Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
D
52
NAPOLI

Digitized by Google

IACOBI GRETSERI SOCIE-
tatis IESV Theologi
DE
IVRE ET MO-
RE PROHIBENDI, EX-
PVRGANDI, ET ABOLEN-
DI LIBROS HÆRETICOS ET NOXIOS,

Aduerſus

FRANCISCVM IVNIVM CAL-
uiniſtam, & IOANNEM PAPPVM,
alioſq; Prædicantes Lutheranos.

Primo Libro inſertum eſt examen libelli
MARTINI LVTHERI, quo ſe purgare ni-
titur ob Ius Canonicum VVitebergæ
exuſtum.

Ad

Magnificum & Illuſtrem Dominum,
IOANNEM ERNESTVM FVGGERVM,
Baronem in Kirchberg & VVeiſſenborn, &c. almæ
Ingolſtadienſis Academiæ RECTOREM.

Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

INGOLSTADII
Ex officina typographica Ederina, per Andream
Angermarium, Anno M. DCIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

MAGNIFICO ILLVSTRI
ac Generoſo Domino, Dn.

IOANNI ERNESTO
FVGGERO, CHRISTOPHORI
F. BARONI IN KIRCHBERG ET VVEISSEN-
horn, almæ Academiæ Ingolſtadienſis RECTORI,
IACOBVS GRETSERVS Societatis
IESV.

DE *Rege Salomone*, MAGNIFICE & ILLVSTRIS DOMINE *Rector*, *libro tertio Regum, capite vndecimo, hoc proditum legimus*: Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas & Sidonias, & Cethæas, de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael, non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſsimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos alienos, *Fœminæ iſtæ peregrinæ & exoticæ;*

 pella-

pellaces & ſeductrices, meo iudicio, figura quædam ſunt & imago librorum Hæreticorũ, quos ne tangamus, præcipit nobis Deus per Eccleſiam; idq́ eo conſilio, ne circumueniamur, Deosque alienos, hoc eſt, hæreſes, amplectamur & veneremur. Quid enim hæretica placita & dogmata aliud ſunt, quàm Dij quidam noui recentesq́, quia, vt nationes manibus; *inqt Tertullianus,* ita Hæretici verbis & opinionibus idola ſibi fabricantur. *Et ea, cum S. Auguſtino dicam,* ſi non in templis, tamen quod eſt peius, in ſuo corde ponunt, & falſorum ridendorumq; ſimulacrorum templa ipſi fiunt.

Tertull. li. de carne Chriſti.

S. Auguſt. in Pſal. 80.

Cæterùm, quod Salomoni accidit, id etiam hac ætate plurimis vſuuenit: ille enim diuino interdicto minimè abſterritus, prædictis mulierculis copulatus eſt amore ardentiſsimo. *Quo fructu?* Auerterunt mulieres cor eius, deprauatũq; eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur Deos alienos, *& quidem, quod dictu turpius,* cũ iam eſſet ſenex: *colebatq;* Aſtarthen Deam Sidoniorum, & Camos Deum Moabitarum, & Moloch Idolum Ammonitarum: *ſingulisque phana exſtruxit. Pari ſtultitia multi hoc noſtro*

ſtro suo, Eccleſiæ præceptum in poſtremis ducentes; totos his Moabiticis, Ammoniticis, Sidoniisque pellicibus & illicibus, libris, inquam, Hæreticis ſeſe tradunt & conſecrant. Sed quam vtilitatem reportant? certè non aliam, quàm Salomon. A veritate abſtrahuntur, & ad fabulas conuertuntur, *animo ita corrupti, vt ſequantur, ſuſpiciant, omniq; cultus genere honorent* Camos *illum Islebicum, Lutherum;* & Moloch *idolum Geneuenſium, Caluinum, & Aſtarthen illam, ſeu potius Megæram Saxonicam, Borrham, eiſq; delubra in pectore ſuo ædificent.*

Nec ignorãt Sectarii, quãta ſit harũ Moabitidũ, Ammonitidũ, h.e. chartarũ hæreticarũ potentia; Quapropter in omnes partes orbis, & propè in omnes angulos eas emittunt; modò Latina, modò Germanica, mox Italica, Gallica, aut Hiſpanica veſte amictas, vt eò promptius & alacrius, & à pluribus quoq; recipiantur, ſi habitu vſitato, & cuiuis nationi noto, adueniant; quæ muneris ſui memores, mox vt Dalila, fortiſſimos etiam Samſonas, blandilo-

quentia ſua proſternunt, & à recto tramite deiiciunt: Lutheranumque aut Caluinianum virus mentibus inſpirant, & regnum Cacodæmonis, niſi obuiã eatur, quàm latiſſimè propagãt. Superſedeo exemplis; vno vel altero cõtentus. Florentiſſimum Bohemiæ regnum, quid fermè peſſundedit, multoſq; ingenio & ſapiẽtia alioquin præſtantes quid dementauit, niſi Sirenes VViclephicæ, ſeu libri quidam Hæretici ex Britannia in Bohemiã illati? Quid hoc ſæculo Lutheri Caluiniq; Sectas tam latè diſſemiãuit, præter Tyrias, Idumæas, & Moabiticas meretriculas, pietatis, religionis, ſacrarumq; litterarũ colore fallaciter fucatas & picturatas libros & libellulos, tractatus & tractatulos, ſchedas & ſchedulas; & vt pigmentatã barbariẽ barbaro, hoc eſt, ſuo vocabulo afficiã; Scarteckas, quarum innumerabilẽ copiã initio ſtatim defectionis ſuæ Nouatores iſti quoquò verſus diſſiparũt, hodieq; diſſipãt, ſine more & modo, adeò, vt ſeu publica, ſeu priuata ſpectes, õnia his decipulis, & ad ruinam illecebris redundent.

Quid agendũ, ſi in huiuſmodi Hæreticã Suadam

dam incidas? parendum arbitror, conſilio di-uino per Salamonem dato, cui ſi ipſe obtemperaſſet, Deos alienos haud ſecutus fuiſſet: Serua mandata mea, & viues: & legem meam (*quæ libros Hæreticos Eccleſia ore vetat*) quaſi pupillam oculi tui, & liga eam in digitis tuis, ſcribe illam in tabulis cordis tui. Dic ſapientiæ; (*quæ per Catholicam Eccleſiam diffuſa*) ſoror mea es: & prudentiam (*non carnis, quæ mortem creat; ſed Dei, quæ vitam parit*) voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere extranea. (*à vaniloquis ſectariorum chartis*) & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit: *quæ mel promittit, ſed fel porrigit: quæ altera manu vitam æternam oſtentat, altera orcum celat: illam ſpõdet, hunc præbet.* Prouerb. 7

Illud item curandũ ab his, qui ad Reipubl. clauum ſedent; ne Licẽtiæ templum aperiatur vbi apertum nõ eſt; & vbi apertũ eſt, vt occludatur, ne peſtibus iſtis aditus pateat. Quodſi quando clanculùm, quò minimè debebãt, irrepſiſſe deprehẽdãtur, pœnas iure diuino & humano decretas luant. Moleſtè quidẽ ferũt hæreſeos patrõi, quãdo venatrices ſuas chartas aut ſtigmate in-

inuri, aut rogo penitus exuri vident. Sed an ideò parcendum? Non parcere mos vetus eſt, nec noſtro ſæculo primùm cœptus: quòd aduerſus Prædicantium inſanas vociferationes fusè & planè duabus iſtis libris doceo, quos tuo nomini conſecro & dedico, MAGNIFICE *atq;* ILLVSTRIS DOMINE RECTOR. *Dedicandi tot propemodùm cauſſas habeo, quot tu nomina & titulos.* RECTOR *Academicus es. Iure igitur ego Profeſſor Academicus hac lucubratione mea meam in te obſeruantiam publicè teſtatam reddo.* ILLVSTRIS *es natalibus: Meritò igitur huic operi ab illuſtri generis tui ſplendore lumen accendo.* FVGGARICO *ſanguine & ſtemmate ſatus es. Vel hoc vno nomine, non modò litterarium hoc munuſculum, ſed & quidquid aliud meæ facultatis & profeßionis eſt, tibi debitum eſt. Quis enim neſcit ampliſſimæ familiæ tuæ in Societatem noſtram plena manu collata beneficia? quibus grata mente recolendis, quàm ſtylo & oratione prædicandis longè magis idoneum me eſſe ſentio. Illuſtris atq; generoſi Domini* CHRISTOPHORI *&c. filius es. Hāc quoq; ob cauſſam,*

alium

alium patronum præter te, fœtui meo adſciſcere non debui: quod mecum fatebuntur, qui exploratum habent, quàm arcto nexu Illuſtris PARENS *tuus ordinem noſtrum ſibi obſtrinxerit. Denique Iuuenis es ad laudem & decus, & ad nobiliſſimæ ſtirpis tuæ incrementum ſimul & ornamentum natus, vt & frater tuus Dominus* OTTHO HENRICVS, *qui paribus veſtigiis viam virtutis & litterarum terit. Nil ergo abs re fecero, Si hac inſcriptione, perſonæ tibi impoſitæ, te commonefaciam, vt quod agis, agas, ſpemq́; de te conceptam non tantùm expleas, ſed & longo interuallo exſuperes: maior indies, vt ætate, ſic etiam probitate & eruditione, quarum pulchritudinem, ſi cum generis claritudine opumq́; affluentia copulare perrexeris, tum demùm eximiè* MAGNIFICVS, ILLVSTRIS *atque* GENEROSVS *ſalutaberis. Ingolſtadii, Kalendis Februarii, 1603.*

PVGNA CALVI- NISTARVM ET LVTHERA- norum, de interdicendis, proſcribendisq́; mala nota libris: cum iudicio, cuius partis cauſſa ſit iuſtior.

Ex Schluſſelb. Luth. lib. 3. de Theolog. Caluiniſt. art. 4.

CVm Comicus initio cuiuſdam Comœdiæ ſpectatoribus denunciaſſet, fore bellum tempore illius dramatis, mox, ne cauea terreretur, diffugiensq́; ſubſellia vacua relinqueret, adiecit:

Plau. capt.

Etiam ne vereamini
Quia bellum Ætolis eſſe dixi cum Aulidis:
Foris illic extra ſcenam fient prælia.

Iiſdem vel alijs, ad eundem tamen modum conformatis, verbis, ſi lectores meos alloquerer, fortaſſe nihil alienum à propoſito facerem, poſtquam ipſa præfationis inſcriptio bella, horrida bella præ ſe fert. At non eſt, quòd quiſpiam expalleſcat, gelidoq́; per medullas frigore currente, pedem referat. nam bella hæc vocis ſunt & calami; non gladij & ſclopi, abſque cuiuſquam, qui pars eſſe nolit, diſcrimine. Cuiuſmodi prælia ſpectatu admodum iucunda cenſentur:

Lucret. libro 2.

Suaue etenim eſt certamina magna tueri
Per campos inſtructa, tui ſine parte pericli.

Sed iam campum ipſum, in quo Caluiniani & Lutherani Laniſtæ decertant, ingrediamur, oculisq; noſtris particulam duntaxat irreconciliabilis illius & perpetui belli contemplemur, quod inter ſe obſtinatiſſimis animis fratres iſti, eodem parente Luthero procreati, gerunt, etiam in hoc de libris argumento. Nam Lutherani prohibent, proſcribunt & exterminant libros Caluinianorum. Caluiniani viciſſim optant & enituntur, vt Lutheranorum libri è medio tollantur. Vtrinque res ſumma vi geritur: velis, remisque agitur; pulſat creber anhelitus artus.

CALVINVS in epiſtolis, *Confeſſionem* IOACHIMI WESTPHALI *de Cœna Domini dicit eſſe librum, non minus inſulſum, quàm virulentum, & expoſtulat cum Miniſtris Eccleſiæ Francofordienſis, quod illic librum publicis typis inuulgari permiſerint. Hieronymus Zanckius in Miſcellaneis fatetur, ſe dediſſe operam, vt liber Hesbuſii de cœna Domini ſcriptus, ſuppprimeretur: additq́, eſſe officium magiſtratus abolere Lutheranorum ſcripta, contra Caluiniſtas edita.* Verba eius hæc ſunt: *Sed miror ſanè vehementer, potuiſſe ab eo Senatu, qui ſemper habitus fuit, &c. prudentiſſimus, &c. permitti, vt contumelioſi iſti libri, qui nihil aliud ſunt quàm eſca incendiorum, imò faces iam accenſa ad omnes Eccleſias nouis diſſidiorum & inimicitiarum flammis concremandas, in ea imprimantur vrbe, quæ ſolebat eſſe ceu mater Eccleſiarũ omnium. &c.* *Verba Schluſſelb.*

Caluiniſtæ Heidelbergenſes non modò Catechiſmũ Lutheri & Brentij palam vetuerunt, ſed & omnes commonefecerunt, vt à cæteris quoque illorum ſcriptis quàm diligentiſſimè abſtinerent. *Georg. Eder. in Inquiſit. Euang. tab. 3.*

Hinc apparet, inquit Lutheranus Schluſſelburgius, *Sacramentarios in id potiſſimum incumbere, vt ipſorum blaſphemi librí ſoli ab omnib. hominib. legantur. Noſtra verò (*Luth.*) ſcripta*

 ex rerum

ex rerum natura funditus exſtirpētur, vtpote inuulgatione publica & lectione indigna. Sicut hic videmus Zanchium Eriſticum, iniquiſſimo ferre animo Hesbuſii & Valentini Erythræi librorum de Cœna Domini publicationem in Argentinenſi vrbe admiſſam fuiſſe.

CALVINVS etiam docet, *libros diuerſos à ſana (*hoc eſt, à ſua*) doctrina non eſſe tolerandos, vt vel proponantur, vel legantur in cœtu virorum, ſed exurantur. Notetur diligenter*, inquit idem ille Schlüſſelburgius, *Sacramentarii volunt ſua blaſphema ſcripta vbique publicari, & poſtulant ea ab omnibus legi, è contra noſtris Theologis* (Lutheranis*) prœla inhiberi cupiunt, & ægerrimè ferunt, quando noſtros auditores & diſcipulos ab ipſorum hæreſi præmonere ſolemus.*

Hæc Caluiniani in Luheranos libros, quibus Lutherani egregiè vicem reponunt: nam *vt Lauatherus Zuinglianus teſtatur, Lutherani ſua tantùm (*ſcripta*) hominibus obtrudere conantur, & noſtrorum* (Zuuinglianorum*) lectione ſuis auditoribus interdicunt, contra manifeſtam Apoſtolorum doctrinam, & veteris Eccleſiæ traditionem.* *Ex Schluſſ.*

Idem Miniſtris Lubeccenſibus obiiciunt Cingliani, Vtenhouius, Micronius & Laſckius in Actis ſacramentariis, vbi hoc modo eos compellant: Veſtros duntaxat præter modum libros ſuſpicitis, ac noſtros interim non modò non legitis, ſed etiam deſpicitis & execramini, eorumq́; lectionem veſtris ſeueriter interdicitis, nobisq́; adeo omnibus, nondum tamen legitimè auditis, aqua & igne interdicitis.

Idem obiiciunt Caluiniſtæ concionatoribus Hamburgenſibus. Idem Cinglius Lutheranis obiecit, vt Lauatherus in Hiſtoria Sacramentaria commemorat. Heidelbergenſes etiam Sacramentarii in confeſſione pia de cœna Domini, Lutheranos de eadē re inſimulāt.

Idem Lutheranis obiectat liber Caluiniſticus; qui inſcribitur *Orthodoxus*; (à Lutheranis vocatur *Cacodoxus*) *conſenſus.*

Cùm

Cùm celeberrima quædam Germaniæ ciuitas Zvvinglii & Oecolampadii libros de Euchariſtia prohibuiſſet, Zvvinglius data ad eam Epiſtola, inter cætera ſic ſcribit: *Per Deum & fidem veram vos obteſtor, ne noſtræ Eccleſiæ & Tigurinorum ciuitatis exemplum vel contemnere vel damnare libeat, quæ omnes cuiuſcunq; tandem ſint generis, libros Papiſticos, Anabaptiſticos, &c. liberè venundari, emi, legiq; permittit. Eodem modo, vos quoq; Oecolampadii, Argentinenſium, Auguſtanorum, ac meos libros in vrbe veſtra venum exponi, haberi ac legi patiamini.*

Lambertus Danæus indigniſſimè fert, & conqueritur Lutheranos publicè proſcribere Caluiniſtarum libros, & lectione eorum populo interdicere: atq; promulgationem vſquam fieri, prohibere, more Pontificiorum, ad extinguendum omnis veritatis lumen.

Quid quod Caſpar Cruciger, Chriſtophorus Pezelius, Fridericus VVidebramus, & Henricus Mollerus, propter Caluiniſmum ab Illuſtriſſimo Saxoniæ Electore in vincula cōpacti, nō aliter abire pmiſſi ſunt, quàm vbi iurauerāt in certas quaſdam conditiones, præter cæteras, etiā in hanc: ſe de cœna Domini nihil docturos, concionaturos, moturos, ſcripturos, niſi conſenſu & permiſſu Illuſtriſſimi Electoris: nec de vllo alio argumēto librum vllum ſe publicaturos, niſi permiſſu & approbatione eiuſdem Principis. Adeò Lutherani nōn modò iam natos, ſed & ex Caluinianorum lumbis naſcituros libros exterminant & proſcribunt: Sæuiores iudicio Caluiniſtarum, Ægyptiis, qui infantibus nondum editis parcebant, editos exponebant.

Schluſſel lib 3 de Theolog. Caluiniſt. art. 1. pag. 9

Nec abnuunt Lutherani querelas iſtas Caluiniſtarum eſſe veras: *Non diffitemur*, inquit Lutheranus Superintendens, *noſtros magiſtratus in quibusdam locis, bibliopolis*

interdicere, ne libros Hæreticorum Pontificiorum, Anabaptiſtarum, Caluiniſtarum, & id genus phanaticorum hominum, ſine diſcrimine, quibuslibet diuendant, ſed habita ratione perſonarum ementium videant, ne idiotis & imperitis, venenata & erronea ſcripta communicent, qui nondum confirmati in doctrina Chriſtianæ fundamentis, ſine vllo iudicio ea legentes, facilè poßint ſeduci. Doctis autem & intelligentibus liberum eſt, quoſlibet Scriptores, apud noſtrates bibliopolas proſtantes, emere ac perlegere. At quid ſi apud veſtros Bibliopolas non proſtent, idq; ideò, quòd Edicta magiſtratuũ proſtare interdicant. Certe libros Caluiniſtarũ quibusdã in locis Lutheranis ſimpliciter prohiberi ſicut apud nos iidem libri prohibentur; allatæ Caluiniſtarum querelæ ſatis ſuperq; declarant, vt & ea, quæ VVirtembergenſes ſcribunt in Refutatione Caluiniſtici conſenſus.

Vides Lector, pugnam Caluinianorum & Lutheranorum. Accuſant Caluiniani Lutheranos: Lutherani Caluinianos, quod illi horum: & hi illorum libros ex humana ſocietate pellendos eiiciendosq; ſanciant. Quorumnam querela & accuſatio iuſta, quorum iniqua? Ego equidem ſic ſtatuo, rectiſſimè agere Lutheranos, cum libros Caluinianos vetant, & rurſus vigilantis magiſtratus partes explere Caluinianos, cum libros Lutheranos opprimunt, neue ſuccreſcant, enituntur: Caluinianos autem iniquè agere, quãdo conquerũtur prohiberi libros ſuos, & Lutheranos non maiore vti iure, cum lamentantur ſuos libros à Caluinianis damnari, & ex communi hominum conſortio tolli. Quod demonſtrabitur hoc loco non meis, ſed Lutherani Schluſſelburgii rationibus paulò generalius, quàm ipſe accipiat, acceptis.

Nam I. Magiſtratum impiè ac temerè nõ agere, cum *diſtractionem & diuenditionem librorum, qui erroribus ac hæreſi-*

bus

bus ſcatent, nō permittit ſine diſcrimine; primò inde liquet, *quia veriſſimè dictum eſt ab Eraſmo, nullum venenum eſſe præſentius malo libro.*

II. Quia *ex noui teſtamenti & primitiuæ Eccleſiæ hiſtoria certum eſt, Apoſtolos & eorum ſucceſſores, non tantùm malorum librorum lectione ſuis auditoribus interdixiſſe, verùm etiam eiuſmodi libros comportatos coram omnibus, exuſſiſſe, vt Act 19 legitur*: & vt S. Lucas ait, *computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium, vt rectè vetus tranſtulit interpres*, inquit Lollius: *non numûm, vt Eraſmus vertit in annotationibus. Eſt autem ſumma, vt Budæus ſupputauit lib. 5 de Aſſe, eiuſq; partibus, quinq; millia coronatorum hoc eſt, 6250. aureorum Rhenanorum.* Quidam ſummam faciunt 5600. *Quis hoc miraculum efficacia prædicationis Euangelicæ editum, ſatis dignè explicare poſſet?* ait Brentius. *Epheſii Magicis artibus mirum in modum dediti erant. Horum multi comportatos libros exuſſerunt coram omnibus, & ſupputatis preciis illorum, repererunt quinquaginta millia denariûm, quæ ſumma, ſi ad noſtram monetam exigas, plusquam quinque milia aureorum Rhenenſium valet.* Summa *ergò admiratione dignum eſt, quod non vnus ſed multi; nec tales, quos reſipiſcenti paruo conſtet. ſed qui magno ſuos libros comburunt, potentia Euangelii reſipiſcunt, & dignos pœnitentiæ fructus afferunt. Immane, quanto interuallo Epheſii illi, nos* (Lutheranos & Caluinianos) *poſt ſe relinquant. Illi enim vna hora diſpendium plusquam quinq; millium aureorum fecerunt, tantum, vt palàm & ingenuè fidem ſuam in Chriſtum teſtarentur, & Magicas ſuas artes deteſtarentur; Nos autem vix vnius vel alterius floreni iacturam æquo animo toleramus*; vt libros Lutheranos & Caluinianos, eiuſdemq; farinæ alios aboleri, & per fumum in tenues auras conuerti permittamus.

Loſſ. in ca. 19. Act.

Brent. in c. 19. Act.

Sed ad Epheſios *redeamus*, monet Rudolphus Gvalterus Zvvinglianus, *quorum multi curioſis artibus hucuſq; dediti*

Rudol. in c. 19. Act.

ſue-

fuerant, nunc autem propiore numinis afflatu tacti, libros publicè cōgeſtos exurūt. Vbi nō Magicos modò libros intelligunt, ſed omnes alios quoq́; quotquot inutilibus, & offēdiculi plenis ſtudiis potiusquā pietati ſeruiunt, quales ferè ſunt Aſtrologici, Geomantici, fatidici, amatorii, & ſi qui alii ſunt huius generis. Indicatur verò librorum pretium, quod ſi ad Germanicæ monetæ rationem ſupputes, ad ſummam florenorum ſex millium & ſexagintaſex aſcendet. Ita verò ſanctiſſimi homines, tùm ſibiipſis, tùm aliis impoſterum peccandi occaſionem eripere voluerunt. Eſtq́; hoc proprium eorum, qui verè pœnitent, quod cum peccatis illorum quoque inſtrumenta odiſſe ſolent, nec piget illos, quantumuis pretioſiſſimarum rerum iacturā facere, quas ſibi aliquādo offēdiculo fuiſſe norūt. Quare nec peccatorum atrocitatē intelligere, nec verè pœnitere putandi ſunt, quotquot ſcelerum inſtrumenta adhuc ſeruare & retinere ſolent, qualia ferè noſtro tempore habentur imagines, &c. libri ſuperſtitionum magiſtri, amatoria ſcripta, laſciuæ veſtes, & alia huius generis infinita. Hæc Zuuinglianus ille Tigurinus.

Schluſſelb. *Falſiſſimum ergo eſt, quod Lauatherus affirmat, librorum ſuſpectorum, & impiorum prohibitionem, eſſe contra manifeſtam Apoſtolorum doctrinam, & morem veteris Eccleſiæ,*

Bulling. in cap. 19. act. *Nemo enim negat,* inquit Bullingerus, *impios & malos libros eſſe exurendos. Et libri Epheſii idololatriam reſipiebant, proinde digni erant, qui exurerentur.* Quocirca, ſi Lauatherus Epheſiorum exempli memor non erat, oportebat, vt ſaltem ſententiæ ſui Symmiſtæ, & fortaſſe etiam Magiſtri, Bullingeri, vt & Gualtheri memor eſſet, ne ex eadem Tigurina Schola eadem de re diuerſa pronunciata prodirent.

Igitur reiecta Lauatheri manifeſtè falſa aſſertione, dubium non eſt, hunc morem comburendi libros prauos, *Ex Schluſſelb.* *ſemper in Eccleſia Dei obſtinatiſſimè vſurpatum & retentum fuiſſe à ſanctis Patribus:* id quod inde etiam apparet (& hoc ſit

tertium

tertium noſtræ ſententiæ ſtabiliendæ argumentum) *quòd multorum Hæreticorum nomina & errores recenſentur, quorum tamen ſcripta non exſtant, vt ex Epiphanio, Tertulliano, Hieronymo & aliis demonſtratur. Philaſtrius, ſynchronus Ambroſii, ſcripſit librum de 128. Hæreſibus, ſicut Auguſtinus refert, & tamē nullum tot Hæreticorum ſcriptum amplius exſtat.* Quod argumento eſt, eos à veteribus illis, & orthodoxis Chriſtianis, quoquo modo fieri poterat, oppreſſos, abolitos, & in cinerem conuerſos eſſe.

IV. *Tempore Marciani Imperatoris, in communi Concilio Chalcedonenſi decretum eſt, vt comburerentur libri Manichæorū, Neſtorii & Eutychetis,* inquit ſuperintendens, & rectè quidem de libris Eutychetis. de cæteris num erret; viderit ipſe: cur ergo parceretur libris Caluiniſtarum & Lutheranorum; Eutychianis illis nihilo ſanioribus & rectioribus?

V. *Cum Magiſtratus ſit cuſtos & executor primæ quoq; tabulæ, non tantum peccata, hæreſes, blaſphemias, & falſa dogmata &c. abolere & prohibere debet; ſed etiam occaſiones eiuſmodi rerum Magiſtratum tollere oportet: non igitur culpandi ſunt illi, qui corruptelistarum* (Caluiniſtarum & Lutheriſtarum) *libellos prohibent omnibus communicare vel diuendi.*

VI. *Magiſtratus rectè facit admonens ſubditos de cauendis adulterinis monetis: Medicus non peccat, quando ægroto noxios & venenatos cibos prohibet, & hæc tamen omnia tantùm corpora humana concernunt. Multò verò magis piè & laudabiliter agit magiſtratus, prohibens lectionem & diuenditionem impiorum librorum, quibus animæ hominum immortales infici & ſeduci poſſunt.*

VII. *Qui libros impuros, obſcænos* (& impios) *omnibus paſſim, &c. diuendit aut communicat, ſimiliter facit, ac is, qui furioſo gladium porrigit, cum enim homines à natura ad falſas opi-*

hiones & praua dogmata procliues ſint, ex ſcriptis veneno infectis errores inſtar fomitis, facillimè concipiunt & imbibunt, qui deinde difficulter & vix magno cum labore extirpari & auferri poſſunt. Si has & ſimiles rationes Magiſtratus noſter conſiderans, ſcripta Caluiniſtarum (& Lutheriſtarum) *blaſphema, ſcurrilia, impia & maledica, non omnibus promiſcuè diuendi ratione ſui officii curat, nemo pius, in quo vel guttula Chriſtianæ pietatis reſidet, id iure reprehendere poteſt.*

Quapropter cum Caluiniani reprehendant Lutheranos ob prohibitionem librorum Caluiniſticorum, & Lutherani Caluinianos ob interdictum librorum Lutheranorum, ſequitur ex Schluſſelburgii ratiocinatione, ne *guttulam* quidem *Chriſtianæ pietatis* in his vel in illis reſidere.

Quod autem Caluiniſtarum (& Lutheranorum) *libri obſcœnitatibus, blaſphemiis, erroribus, & plurimis palpabilibus nugis ſcateant, id demonſtrari poteſt abundè ex ſcriptis Bezæ. Idem teſtantur multi libri Caluini, Cinglii, Laſcouii, Kleinuitzij, Toſſani, Danai.* Idem liquet ex Tomis Lutheri, maximè ex Sermonibus Epularibus, ſeu conuiuialibus. Præterea ex operibus Philippi, Brentii, Heſſhuſij, Illyrici, VVeſtphali & talium ſexcentorum. *Hæc veriſſima ſunt, quæ hic à me aſſeruntur, & quidem adeò vera, vt ipſosmet Sacramentarios* (& Lutheranos) *pigeat & pudeat futilitatum & blaſphemiarum* (& ſordium) *quas Beza* (& Lutherus) *in quibuſdam libris, ſine metu diuinæ maieſtatis euomuit. Si quis de hac re ambigere volet, ille duos Dialogos Bezæ, contra Heſſhuſium* (& librum Lutheri contra Papatum) *legat, qui certè non ab homine, ſed ab ipſo incarnato Beelzebub exarati eſſe videntur. Horret animus blaſphemias iſtas obſcœnas, & diabolico atramento tinctas referre, quas impuri iſti conuiciatores eructauerunt. Optarem ipſis, vt libros iſtos cum omnibus impiis & blaſphemis ſcriptis, quæ plurima emiſerunt in lu-*

cem,

rem, abolerent, ne à teneris, piis & caſtis hominibus in æternum viderentur.

IIX. Caluinus etiam docet, libros diuerſos à ſana doctrina non eſſe tolerandos, vt ſuprà vidimus.

Idem docet Bullingerus. Et tamen immemor ſuæ doctrinæ, eodem loco ſtomachatur aduerſus illos, qui agebant, quod Bullingerus agendum eſſe monebat: *Adeò*, inquit, *ſæuit quorundam dira in veritatem rabies, vt ne à Bibliorum quidem abſtineant proſcriptione & incendio.* Sed immeritò excandeſcit Bullingerus. Nam qui Biblia Zuuingliana & Lutherana (hæc enim *Bibliorum* nomine intelligit) flammis tradit, is non magis aliquo crimine ſe obſtringit, quã Epheſij, qui libros curioſarum artium Vulcano corrigendos & excudendos, vel potius extrudendos tradiderunt. *Bulling. in cap. 19. Act.*

Scimus inſuper, *ipſos Zuuinglianos ægerrimè tuliſſe, & grauiter expoſtulaſſe cum aliis, quòd impios Serueti libros & publicis typis inuulgari & in aliorum manus venire paſſi eſſent.*

Imò Caluinus ad Miniſtros Synagogæ Francofordienſis Epiſtolam dedit; qua monuit, ſedulò vt cauerent, ne SERVETI libri Francoforti venderentur. *Nebulo hic* inquit Caluinus de Serueto, *cùm ex Germania profugus ſub fictitio nomine in Gallia latuiſſet, nuper ex priore illo libro & nouis figmentis, quæ ſibi fabricatus eſt, maius volumen conſarcinauit, quod Viennæ in Vrbe Lugduno vicina, clanculum excuſum eſt. Eius autem multa exemplaria proximis nundinis Paſchalibus Francofordium deuecta fuerant, verum Inſtitor Typographi, cùm admonitus foret, nihil illic præter immenſam errorum farraginem contineri, ſuppreſſit, quidquid habebat. Quàm multis erroribus, imò prodigioſis in DEVM blaſphemiis ſcateat, longum eſſet referre.* Paucis interiectis. *Veſtrum eſt dare operam, ne hoc tam peſtiferum venenum longiùs emanet. Nuncius vobis referet, in qua Apotheca ſint libri, & quo numero. Librarius* *Caluin. epiſt. 153.*

niſi fallor, exuri patietur. Quodſi quid obſtaculi eſſet, vos tam forte cordatos confido, vt mundus tam noxia corruptela purgetur, &c. Et vt ingentem Caluini ſollicitudinem clarius perſpiciamus, preces adiungit, & quidem efficaciſſimas. Ait enim. *Quanquam ita de veſtra integritate ſum perſuaſus, vt vos eſſe admonitos ſufficiat: rei tamen magnitudo poſtulat, vt per Chriſtum vos obteſter, ne vobis effluat occaſio, vt ſedulò ſitis ad officium veſtrum intenti.* Huc vſq; Caluinus.

Lutherus itē & Lutherani Zvvingliãos libros vetuerūt. Exemplū integræ ciuitatis Lutheraæ adduxi iam ante ex Zvvinglio, qui alicubi Luthero ſupplicat, vt patiatur ſuos ſuorumq; adiutorum libros à Lutheranis legi: *Aude,* inquit, *hoc, mi Luthere, quod nos ſumus auſi; libros noſtros apud omnes Eccleſias legi patere, nam nos tam tua in hac re, quàm Pontificiorum libros commendauimus ad legendum.*

Zvvingl. Tom. 2. in Exegeſi Euchariſtici negotii contra Lutherum.

NecZvvinghi tantum libros Lutherus damnauit; ſed & Eraſmi, & quidem edicto plusquàm Baſilico. *Omnibus impero, iuſſu Dei,* inquit Lutherus, *vt Eraſmum odio habeant, illiusq; libros fugiant:* Eiuſdem Lutheri ſunt iſti verſiculi:

Luth. in Sermon. conuiuali.

Qui Satanam non odit, amet tua carmina Eraſme,
Atq; idem iungat furias, & mulgeat Orcum.

Quam parodiam expreſſit à Luthero ſumma operum Eraſmicorum execratio; & quidem cum non in Parnaſſo, ſed in lecto eſſet, vt vel hinc agnoſcamus facile illam Lutheri venam fundendi carmina. Scribit idem Lutherus, ſe nullum *aduerſus ſe ſcriptum librum penitus perlegiſſe: excepta Diatribe Eraſmi; ſed lectis duabus tribusué pagellis, Deæ Cloacinæ & Stercutio conſecraſſe, ſordibusq; abſtergendis deſtinaſſe.*

Luth. in Serm. conuiuali.

Cur ergo iſti ſibi mutuò, & Catholicæ fidei profeſſoribus ſuccenſent, quando peſtilentes libros prohiberi, & ſordibus deputari vident; cum ipſi malos libros prohibēdos, lacerandos & exurendos eſſe tradant? Cur iniquè ferunt

runt, homines præmoneri, vt à pernicialium librorum lectione ſibi temperent?

Multi circumferunt Serueticas blaſphemias, inquit Philippus, *contra Filium Dei. Et Thammerus editis libris transformat Euangelium prorſus in Ethnicas allegorias. Tales furores damnamus vnà cum ipſis Auctoribus, quos, manifeſtum eſt, eſſe organa Diabolorum, &c. pertinet ad officiũ politicæ poteſtatis, &c. prohibere blaſphemias, & punire blaſphemos, vt ſcriptum eſt Leuitici 24. In multis locis turbant Eccleſias & Stenckfeldiani libelli, & ſatellites, &c. Teſtamur nos Stenckfeldii errores improbare.* Philip in Act. VVor. tom. 4. operũ Philip.

In vtraque Academia, VVitebergenſi & Lipſienſi (inquiunt VVitebergenſes) *ſeuera animaduerſione eſt opus, ne infamantia aut alia huius generis leuia aut futilia, ſed vtilia ad inſtitutionem & diſciplinam ſcripta exprimantur. Ideoque Typographis mandatum, ne ſine permiſſione Rectoris quidquam exprimendum recipiant.* VVitebers lib. de Interim.

IX. Meritò prohibent Caluiniani Lutheranos, & Lutherani Caluinianos, & Catholici vtrorumque libros, quia vt ait Philippus Melanchthon, Lutherocaluinianus, vel Caluinolutheranus: *Plurimùm refert, quales libri veniant in manus hominum, cauendumque, ne ſpargantur impia dogmata, aut famoſi libelli. Hinc officinæ Typographicæ negligendæ non ſunt. Ideò Magiſtratus in ſingulis locis præficiant certos inſpectores, ſeu cenſores officinis,* monet Philippus, *ne liceat edere libros non approbatos ab his cenſoribus.* Qua de cauſſa, *in benè conſtitutis Rebuspublicis Chriſtianis, eſt inſpectio, quæ eſt poteſtas ab Eccleſia vera, & magiſtratu pio, quibusdam Eccleſiaſticis, &c. viris doctis & piis commiſſa, qua libri tùm recens ſcripti, tùm ex veterum monumentis eruti inſpiciuntur & examinantur, & cenſentur, an editio eorum & inuulgatio fieri poſſit cum Eccleſiæ & Reipublicæ, pietatis & honeſtatis commodo aut detrimento.*

Quin & priuilegijs libros exornare, non parum emolumenti adfert. *Priuilegia nouis libris impetrari, nec abs re olim, nec ſine publico bono conſtitutum fuit*, ait CALVINVS, *Hoc enim remedio decebat coerceri furioſam iſtam ſcripturientium libidinem, quæ tot librorum examina, nullo modo, nullo delectu, nullo pudore ſubinde nobis parit. Adeò vrit non paucos ſtolidæ nominis cupiditas, vt malint quouis facinore vtcunque innoteſcere, quàm benè latere. Nunc immodica ſua facilitate peſſimè conſulunt Reipublicæ Principes, qui non modò malos libros edi permittunt, ſed peſſimos quoque ſuo ſuffragio comprobant.* Ita Caluinus.

Caluin. epiſt. 1.

Ex his igitur, quæ Lutherani & Caluiniani ipſimet ſcribunt, perſpicuè apparet, quàm iniquè agant, cùm ſe multis conuicijs ob libros huius aut illius partis interdictos lacerant, aut, cùm Cenſores conſtitui nolunt, qui libros cenſeant, & num luce, an tenebris digni ſint, dijudicent.

Repeto, iterúq; repetã, laudandos eſſe Lutheranos, cũ Caluinianorum, & Caluinianos pari præconio dignandos cùm Lutheranorum libros ſuis à finibus exterminant, imò & hoc addo, maiora encomia merituros, ſi quæuis pars non modò aduerſariæ partis, ſed ſuos quoque libros damnaret, ita vt Lutherani & Caluiniani nec Caluinianos, nec Lutheranos libros ferrent, ſed omnes pari ſuffragio repudiarent, Cenſoresque ſeueriſſimos conſtituerent, qui vbique aduigilarent, ne quis liber Lutheranus aut Caluinianus typis à Typographo deſcriberetur, aut à Bibliopola venderetur, vt apud Catholicos moris eſt; quos Caluiniani & Lutherani ob id in crimen vocaro non deberent, ſi ſibi conſentanea loqui vellent, cùm

faciant,

faciant, quod ipſimet faciendum eſſe tanta ſollicitudine monent.

Atdicent LVTHERANI: Suos libros non eſſe dignos interdicto aut rogo. Cæterùm idem magno clamore affirmant de ſuis Caluiniani. Idem de ſuis Anabaptiſtæ, idem Seruetiani. An idcircò Lutherani libros iſtos à proſcriptione, relegatione & pyra liberant, quia parentes eorum innocentes pronunciant? Si ergò Lutherani fidem non adhibent Caluinianis talia aſſeuerantibus; cur Caluiniani, aut auitæ Religionis propugnatores crederent Lutheranis, bonitatem, præſtantiam, puritatem & innocentiam librorum ſuorum deprædicantibus. Arius, Apollinaris, Eutyches, Neſtorius, ſimilesque peſtes olim ægrè ferebant, libros ſuos à Concilijs & Imperatoribus proſcribi, an ideò, quia ægrè ferebant, proſcribendi non erant? An ideò boni erant, quia peſſimi Auctores aiebant eos eſſe bonos?

Salutaris igitur eſt hæc circa libros cura, quæ Eccleſiæ ſemper curæ fuit, vt toto primo libro, allatis ex tota antiquitatis memoria exemplis demonſtramus, voluimusque de induſtria rem altius repetere, vt hæreticorum ora obturaremus: qui contra ſuam doctrinam, fideliũq; perennẽ morẽ Catholicos calumnijs onerant, & infinitis criminationibus proſcindunt, quòd libros pernicioſos abolere, aut ſi vtiles alioquin ſunt, maculas tamen næuosque aſperſos habeant, emaculare & expurgare ſtudeant, quaſi mos iſte Chriſtiano orbi vſq; ad hanc noſtram ætatem inuſitatus fuerit.

Tractarunt hoc ipſum argumentum, etſi non ex inſtituto, proprioque opere, Catholici Scriptores, Ioan-

Ioannes Gerſon libro contra Romantium de Roſa. Alphonſus à Caſtro lib.2.de iuſta hæret. punitione, capit. 15. 16. & 17. Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Laicis, cap. 20. Ioannes Capetius lib. de modo coërcendi hæreticos cap. 30. & Petrus Binsfeldius Comment. ad L. Culpa, C. de maleficis & Mathematicis. Sed cæteris copioſius & ex profeſſo materiem hanc exſecutus eſt Gabriel Putherbeus Turonicus tribus libris; quos clariſſimus vir Doctor Ioannes Baptiſta Ficklerus, Conſiliarius Bauaricus, pro ſuo de patria benè merendi ſtudio in Germanicam linguam tranſtulit. Horum veſtigijs inſiſtentes laboribusq; adiuti hos duos libros confecimus, qui, vt tibi, lector fructuoſi ſint ac ſalutares, Deum ex animo precor, ſupplexque veneror.

AD MAGNIFICVM ILLV-ſtrem atq; Generoſum Dn.

IOANNEM ERNE-STVM FVGGERVM, BARO-

nem in Kirchberg & Weiſſenhorn, Academiæ Ingolſtadienſis RECTOREM

CARMEN

PHILIPPI MENZELII, P.L.

MEDICINÆ DOCTORIS ET PROFESSO-ris in Academia Ingolſtadienſi.

SI vetus illa ſacro Tharſenſis ab ore magiſtri
Manauit vox plena fide, & veriſſima dictu:
Colloquiis ſanctos prauis abolescere mores:
Quis ſtupor, aut furor eſt, aut deplorata phreneſis,
Scripta per authorum, nullo diſcrimine, nullo
Obuia delectu, cæcaq; libidine ferri?
Principiò anguſti nos terminus admonet æui,
Parcere præpetibus fugitiui temporis horis,
Optima ſectantes, vt ſe dant quæque: nec vltrò,
Ingenii ſatiare famem dum tendimus, atrum
Certatim lolium, pingui pro farre, legentes.
Quid verò, molli coluber ſi tortilis herba
Sæpe ſubeſt? tectusque latet? morſuque venenum
Intentat? Procul eſſe ſua iubet vrbe Poëtas
Socraticæ princeps Sophiæ, quòd pectora vulgi

Flexanimo ſermone trahant. Quantò æquius ergò
Auribus, atque oculis, omnique excluſa piorum
Concilio, Herculeas trans exulet illa columnas,
De re CHRISTIADVM, *de relligione, Deoque*
Impia doctrinæ nouitas, triuenefica Siren,
Dulce canens: cui mille artes, cui mille colores,
Verborum ſpecie, & titulis, fucoq; ſacrorum,
Dementare animos. Hæc Socratis illa cicuta eſt,
Quæ, celerans fatum, generoſo miſta Falerno,
Diditur in vita latebras, & corporis arcem.
Quin ergo, Heroum ſoboles, flos, ARIOVISTE,
FVGGARIDVM; *cui noſtra ſuos Academia faſces*
Submittens, humerum ſummo inſigniuit honore,
Effulgentem oſtro, & pretioſæ pellis amictu:
Quin ea verſamus tantùm monumenta, diurnâ,
Nocturnaq; manu, quæ commendata per orbem,
De meliore nota, doctiſque piiſque leguntur:
Contrà autem, iuſtis quæ ſunt deleta lituris,
Mittimus ad coruos, flammaq; abolemus & vndis?
Vna ſalus nobis, ea nos firma anchora fundet,
Hoc ſub diluuio, properantis ad vltima, mundi,
Robore Nohææ, tabuliſque includier Arcæ.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam.

DVos iſtos libros, de iure & more prohibendi & abolendi libros hæreticos & noxios aduerſus Iunium, Pappum, aliosque Prædicantes conſcriptos auctore P. IACOBO GRETSERO

SERO Societatis noſtræ Theologo, à quatuor Patribus itidem Theologis viſos & approbatos Ego GREGORIVS ROSEFFIVS Societatis IESV per Germaniam ſuperiorem Præpoſitus prouincialis, poteſtate mihi ab admodũ R. P. N. Præpoſito generali P. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc Auctori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, ſigilloque munitum dare voluimus. Ratisbonæ, die 10. Nouembris, Anno 1602.

GREGORIVS ROSEFFIVS.

Facultas D. Decani Facultatis Theologicæ in Academia Ingolſtadienſi.

DVo iſti libri de iure & more prohibendi libros noxios, excudi poterunt: nihil enim aut fidei, aut bonis moribus contrarium continent.

PETRVS STEVARTIVS SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Coloniæ ad SS. Apoſtolos Præpoſitus, &c. & Collegii Theologici pro tempore Decanus.

REGVLÆ QVÆDAM EX INDICE LIBRORVM PROHIBITORVM.

REGVLA II.

HÆreſiarcharum libri, tam eorum qui poſt prædictum annū hæreſes inuenerunt, vel ſuſcitarunt, quàm qui hæreticorum capita aut Duces ſūt vel fuerūt, quales ſūt Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, Balthaſar Pacimontanus, Schvvenckfeldius, & his ſimiles, cuiuſcunq; nominis, tituli aut argumenti exiſtant, omninò prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex profeſſo tractant, omninò damnantur.

Qui verò de Religione non tractant, à Theologis Catholicis iuſſu Epiſcoporum & Inquiſitorum examinati & approbati permittuntur.

Libri etiam Catholicè conſcripti, tam ab illis, qui poſtea in hæreſim lapſi ſunt, tam ab illis, qui poſt lapſum ad Eccleſiæ gremium rediere, approbati à Facultate Theologica alicuius Vniuerſitatis Catholicæ vel ab Inquiſitione generali, permitti poterunt.

REGVLA V.

Libri illi, qui Hæreticorum auctorum opera interdum prodeūt in quibus nulla aut pauca de ſuo apponūt, ſed aliorum dicta colligūt, cuiuſmodi ſunt Lexica, Concordantiæ, Apophtegmata, Similitudines, Indices & huiuſmodi, ſi quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis Epiſcopi & Inquiſitoris vnà cum Theologorum Catholicorum conſilio ſublatis, aut emendatis permittantur.

REGVLA VII.

Libri, qui res laſciuas, ſeu obſcenas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cum non ſolùm fidei, ſed & morum, qui huiuſmodi librorum lectione facilè corrumpi ſolent, ratio habenda ſit, omninò prohibentur, & qui eos habuerint, ſeuerè ab Epiſcopis puniantur.

Antiqui verò ab Ethnicis conſcripti propter ſermonis elegantiā & proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGVLA VIII.

Libri quorum principale argumentum bonum eſt, in quibus tamen obiter aliqua inſerta ſunt, quæ ad hæreſin, ſeu ad impietatem, diuinationem ſeu ſuperſtitionem ſpectant, à Catholicis Theologis Inquiſitionis generalis auctoritate expurgati, concedi poſſunt.

Idem iudicium ſit de prologis, ſummariis ſeu annotationibus, quæ à damnatis auctoribus, libris non damnatis appoſitæ ſunt, ſed poſthac non niſi emendati excudantur. DE

DE CORRECTIONE LIBRORVM EX INDICE CLEmentis IIX. Pont. Max.

§. I.

HAbeant Epiſcopi, & Inquiſitores coniunctim facultatem, quoſcunque libros iuxta præſcriptum huius Indicis expurgandi, etiam in locis exemtis, vbi verò nulli ſunt Inquiſitores, Epiſcopi ſoli.

Librorũ verò expurgatio non niſi viris eruditione & pietate inſignibus committatur, iique ſint tres, niſi forte conſiderato genere libri, aut eruditione eorum, qui ad id deligentur, plures vel pauciores iudicentur expedire.

Vbi emendatio confecta erit, notatis capitibus, paragraphis & foliis manu illius, vel illorum, qui expurgauerint, ſubſcripta reddatur eiſdem Epiſcopis & Inquiſitoribus, vt præfertur, qui ſi emendationẽ approbauerint, tunc liber permittatur.

§. II.

Qui negotium ſuſceperit corrigendi atque expurgandi, circumſpicere omnia, & attentè notare debet, non ſolum, quæ in curſu operis manifeſtè ſe offerunt, ſed ſi quę in ſcholiis, in ſummariis, in marginibus, in indicibus librorum, in præfationibus, in epiſtolis dedicatoriis, tanquam in inſidiis deliteſcunt.

Quæ autem correctione atque expurgatione indigeant, vide lib. 2. c. 10.

§. III.

In libris autem Catholicorum recentiorũ qui poſt annum Chriſtianæ ſalutis 1515. conſcripti ſunt, ſi id, quod corrigendum occurrit, paucis demptis aut additis emendari poſſe videatur, id correctores faciendum curent, ſin minus, omninò deleatur.

§. IV.

In libris autem Catholicorum veterum, nihil mutare fas ſit, niſi vbi aut fraude Hæreticorum, aut Typographi incuria manifeſtus error irrepſerit.

Si quid autem maioris momenti, & animaduerſione dignum occurrerit, liceat in nouis editionibus, vel ad margines, vel in ſcholiis adnotare, ea in primis adhibita diligentia, an ex doctrina locisque collatis eiuſdẽ auctoris ſententia difficilior illuſtrari, ac mens eius planius explicari poſſet.

§. V.

Poſtquam Codex expurgatorius confectus erit, ac mandato Epiſco-

piſcopi & Inquiſitoris impreſſus, qui libros expurgandos habebunt, poterunt de eorundem licentia iuxta formam in codice traditam, eos corrigere atq; purgare.

His conuenienter, quæ prius partim PIVS IV. partim poſtea CLEMENS IIX. ſanxit, concinnatus eſt in Belgio Index expurgatorius librorũ, qui hoc ſæculo prodierunt, vel doctrinæ non ſanæ erroribus inſperſis, vel inutilis & offenſiuæ maledicentiæ fellibus permixtis, *Philippi* II. Regis Catholici iuſſu & auctoritate, quem Indicẽ Iunius alijq; Prædicantes exagitandum ſuſceperunt.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

I.

INgreſſus ad ſequentem diſputationem, de iure & more prohibendi, corrigendi & abolendi libros hæreticos & noxios.

2. Ab Ethnicis ſolùm naturæ lumen ſecutis libros malos vetitos & exuſtos eſſe, probatur id exemplis Athenienſium & Romanorum.

3. Libros Chriſtianorum à Diocletiano, & libros Iudæorum ab Antiocho interdictos & flammis adiudicatos eſſe.

4. Ob edictum Diocletiani de libris Chriſtianorum exurendis multos martyrio affectos, & non paucos traditores factos eſſe.

5. Probatur exemplo primitiuæ Eccleſiæ, libros malos vitandos, igniq́ue tradendos eſſe.

6. Edictum Conſtantini magni aduerſus libros Arii & Arianorum.

7. Libri Eunomiani, Aetiani, Eutychiani & Apollinariani interdicti.

8. Libri Manichæi interdicti & proſcripti.

9. De libris Porphyrii & Neſtorii rogo adiudicatis.

10. Libros Magicos & Iudiciarios interdictos eſſe.

11. De libris Marcelli Ancyrani & Oirgenis.

12. *De*

12. *De libris Seuerianis à Iuſtiniano proſcriptis.*

13. *Libri mali à Leone Magno, Gelaſio, Tiberio Cæſare, Synodo ſexta & ſeptima, & à Gregorio Magno prohibiti aut aboliti.*

14. *Liber quidam Photii Romæ & Conſtantinopoli damnatus & exuſtus. Et plura huius generis exempla.*

15. *Libri in Chriſtum & Chriſtianam Religionem iniurii, Iudæis quoque prohibiti fuerunt, deq; libris Mahometanis à Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano concrematis.*

16. *Libri Iudaici exuſti.*

17. *Libri VViclephi & Huß damnati rogoque adiudicati.*

18. *Libri hæretici, nominatim Lutherani, à Leone X. Pontifice Max à Carolo V. Imperatore, & ab aliis Epiſcopis, Principibus & Academiis interdicti flammisq; addicti.*

19. *Quæ cura Pontif. Romani aliiq; Præſules huius ætatis, & Concilium Tridentinum hæreticis & peſtiferis libris obuiã ierint*

20. *Libros pernicioſos prohibendos eſſe, oſtenditur exemplo libellorum famoſorum.*

21. *Libros hæreticorum prohibendos & comburendos eſſe, docent exemplo ſuo ipſimet hæretici.*

22. *Breuis Refutatio libelli, quo ſe Lutherus purgat ob Ius Canonicum publicè exuſtum.*

23. *Lutherum eodem iure potuiſſe comburere Ius ciuile, quo combußit Ius Canonicum.*

24. *Commemorabile exẽplũ, de libris Dauidis Georgii Baſileæ palam concrematis.*

25. *Ratione probatur libros Hæreticorum abolendos eſſe.*

26. *Libros laſciuos & impuros meritò prohiberi, & ab eorum lectione iuuentutem arceri.*

27. *Rectè ex Auctoribus alioquin doctis, politis, & argutis obſcœna exſcindi, vt à iuuentute legi, & à Magiſtris in Schola, incolumi morum integritate, prælegi poßint.*

28. *De pœnis quas incurrunt, qui libros prohibitos legunt, retinent, ſpargunt.*

29. *Quid reſpondendum ad argumenta quibus probari videtur, hæreticorũ libros permittendos & legendos eſſe.*

30. *De*

30. *De libris S. Gregorii magni Pontificis, vtrum poſt mortem eius fuerint combuſti. Et de Iuliani Apoſtatæ interdictione, ne Chriſtiani libros Gentilium legerent.*

LIBER SECVNDVS.

1. R*Eſutatio quorundam conuiciorũ Iunii in epiſt. dedicat.*

2. *De modo quem ſancti Patres cum Hæreticis eorumque libris tenuerunt.*

3. *Num ſanctorum Patrum ſcripta ſint corrupta & quis corruperit.*

4. *De cauſis, cur libri falſis inſcriptionibus aliquando prænotentur.*

5. *Hæreticorũ proprium eſſe libros non bona fide tractare.*

6. *Libros orthodoxorum Patrum addendo vel demendo corrumpere proprium eſſe hæreticorum.*

7. *Refutatur impudẽtia Anglicuiuſdam Caluiniani vociferantis ſcripta Patrum à Catholicis deprauari.*

8. *Quibus indiciis librorum corruptelæ deprehendantur, eorumq; partim examen, partim refutatio.*

9. *Refelluntur calumniæ & conuicia Iunii in Pontifices, Cõcilia, Academias, Collegia Digreſſio interpoſita contra Hunnianam vaniloquentiam.*

10. *Num antiqui Patres corrigantur, & quid Index expurgatorius de Bertramo Presbytero ſtatuerit.*

11. *Quomodo Prædicantes libros Lutheri, Confeſſionem Auguſtanam, eiuſque Apologiam demendo & addendo corruperint, inuerterint & immutarint, & de mutua inter illos ſuper his falſariis deprauationibus digladiatione.*

12. *Refelluntur ineptiæ & mendacia Iohannis Pappi Prædicantis Argentoratenſis, de Indice expurgatorio.*

13. *Diligentiæ hæreticæ libros ſuos vbique diſſeminanti, opponendam eſſe diligentiam eoſdem pernicioſos libros exſtirpandi & exterminandi.*

DE

DE IVRE ET MORE PROHIBENDI, EXPVRGANDI ET ABOLENDI LIbros hæreticos & noxios Liber primus.

CAPVT PRIMVM.

Ingreſſus ad ſequentem diſputationem de iure & more prohibendi, corrigendi & abolendi libros hæreticos & noxios.

CONSCRIPTVS & poſtea typis deſcriptus eſt ante aliquot annos libellus quidam hoc titulo: *Index expurgatorius librorum, qui hoc ſæculo prodierunt, vel doctrinæ non ſanæ erroribus inſperſis, vel inutilis & offenſiuæ maledicentiæ fellibus permixtis, iuxta ſacri Concilii Tridentini decretum: Philippi II. Regis Catholici iuſſu & auctoritate, atque Albani Ducis conſilio ac miniſterio in Belgio concinnatus anno M. D. LXXI.* Cuius cùm Franciſcus Iunius Caluiniſta exemplar ex Plantiniana Typographia nactus eſſet, euulgandum cenſuit, præfixa præfatione calumniis & ſycophantiis pleniſsima, quam his duobus libris refellam, cùm, vt Iunii vanitatem Lectori patefaciam, tùm vt aliorum

Prædicantiũ clamores comprimã, qui hũc Indicẽ ſemper in ore habent, Catholicíſq́; ſummi ſceleris loco obiectant.

Ex quorum numero, ſi primas tribuam duobus Prædicantibus Palatinis Heilbrunneris, cæteros, opinor, nulla iniuria affecero. Mentiuntur iſti Ieſuitas indicem illum feciſſe. Reſpondere pro nobis poſſem, primò, eximii Poëtæ verbis: *Quod illi maledictum vehemens exiſtimant, eam laudem hic ducit maximam*: quid enim reprehenſione dignum committit ille, qui ſedulam dat operã, vt libri peſtiferi aut omninò exterminentur, aut certè ſi quos næuos interſperſos habeant, emaculentur? Quid non laude dignum in hoc vel facto, vel conatu, cum venenum, quo animi pereunt, latius & pernicioſius non propagetur, quàm per libros. Optimè igitur de mortalibus meretur, qui aut ipſe huiusmodi libros abolet vel caſtigat; aut quomodo purgandi & caſtigandi ſint, viam & rationem monſtrat; quod egregiè auctores Indicis expurgatorii præſtiterunt.

Deindè dico, Prædicantes ab ipſo Indice redargui vanitatis; Ieſuitas autem abſolui. Nam neque Rex *P*hilippus in ſuo Diplomate, neque Arias Montanus in ſua præfatione vllam Ieſuitarum mentionem facit. Nam Montanus Regi inprimis, deindè Duci Albano (quod *P*rædicantibus iucundum nomen) cenſuram iſtam adſcribit; qui quibus auxiliis vſus ſit, docet his verbis Montanus: *Communicato cum Regiis Senatoribus conſilio, atque omnium calculis probato, litteras ad Archiepiſcopos Epiſcopos, Vniuerſitates omnes, alioſque cum doctiſſimos viros, cum ciuitatum Senatus dedit: apud quos librorũ expurgandorum claſſibus diſtributis, lectionis ſuſcipiendæ ac ineundæ, & ſententiæ de ſingulis deſcribendæ, atque ad ſe mittendæ curam eſſe voluit; meque eius rationis procuratorem nominauit. Nouem autem ferè menſium ſpatio ſinguli commiſſas ſibi partes tranſigentes vnà cum ſententiis ſuis indices miſerunt locorum omnium,*

um, in quibus aliqua vel minima offenſio, vel offenſionis ſuſpicio notari poſſet: nullis etiam leuiſſimis rebus prætermiſſis: id enim Ducis conſilium, mandatumque fuerat, vt poſtea collatis ſingulis librorum indicibus cum libris ipſis & ſententiis examinatis, locisque recenſitis, quid tandem reiiciendum omninò, quid corrigendum, quid admittendum tolerandumve eſſet, cenſorum etiam Collegio eam ad rem inſtituto, decerneretur ſtatueretur que. Huic autem doctiſſimorum Theologorũ Collegio Epiſcopũ Eccleſiaſtica auctoritate praeeſſe, meq; vt Regis miniſtrum Regio nomine adeſſe voluit. Hæc & plura in eandem ſententiam Arias Montanus, vbi nihil de Ieſuitis.

Sed Prædicantes ſolito acumine colligunt, Ieſuitas huius Indicis eſſe auctores: 1. *Quia in omnibus Scholis & Typographiis primas tenere ſtudent, ita, vt alii nullo ſint amplius in numero & pretio. Ergò Ieſuitæ fecerunt Indicem expurgatorium.* 2. *Quia Academia Duacenſis materiæ aliquid pro hoc Indice ſuppeditauit; In Academia autem Duacenſi verſantur Ieſuitæ; ſequitur ergo quod antea, ex Ieſuitarum officina hunc Indicem profectum eſſe.* Primi Argumenti antecedens eſt mendacium: & conſequentia, ineptia. Non ſumus ignari illius; *qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltauerit, humiliabitur. Vide,* ait S. Chryſoſtomus, *quomodo* (Dominus) *rectè ad contrarium auditorem impellit. Non enim à cupiditate primatus prohibet ſolum, ſed ad alterum extremum hortatur. Sic enim deſiderio potieris, inquit, tuo: propterea qui primas partes obtinere contendit, neceſſe eſt, vt poſtremas perſequatur.* Abſit ergò à nobis, vt primatum ordine præpoſtero deſideremus; & hoc ipſo, quod pręter præſcriptum deſideramus, ab eo excidamus; præſertim cum in ſecundis, tertiis, imò & in quartis conſiſtere pulchrum ſit & honorificum. Icitè Lyricus: *Non ſi priores Mæonius tenet ſedes Homerus, Pindarcæ latent, Ceaq; & Alcæi Steſichoriq; graues Camenæ.* Pari modo in hoc militantis Eccleſiæ exercitu, non ideò obſcuri & ſine nomine in tenebris deliteſcemus;

Heilbr. in ſuo Poſtcolloq. pag. 84.

S. Chryſoſt. hom. 74. in Matth.

Horat. lib. 4. Od. 9.

mus; licet primas non teneamus; ſed vel vltima ſtatione contenti contra Auerni ſatellites & emiſſarios, hoc eſt, contra Prædicantes dimicemus.

Deindè reſpondeo, vt maximè Ieſuitæ in pluribus Academiis degant, & ad plures officinas Typographicas aditum habeant; quàm *Prædicantibus* placeat; conſecutionem tamen vanam & futilem, & Prædicantium ingeniis conſentaneam eſſe. An enim illis, quibus vltimus, aut à primo valdè diſſitus locus obtigit, omnis idcirco ſcriptio interdicta eſt: vt nihil in lucem emittere, nihil publicare valeant; tota hac gloria illis, qui primas occupant, relicta? Præterea non quid Prædicantes ſomnient, ſed quid Rex ſuo in *E*dicto, quid Montanus ſua in præfatione dicat, attendere oportet: Iſti varios huius indicis auctores fuiſſe indicant, nec quenquam nominatim deſignant. Vnde ergò hæc certi & indubitati Auctoris notitia *Prædicantibus*?

Accedit, quòd quæ communi alicuius Academiæ, aut Regis, aut Principis nomine publicãtur, non adſcribi ſolent illi; qui opus compoſuit, ſed illi, cuius auctoritate cõpoſitum eſt, & publicatum; aliàs *Inſtitutiones Iuris*, aut *Codex*, aut *Pandectæ*; aut *Nouellæ*, non erunt Iuſtiniani; nec Iuſtiniano rectè adſcribentur; ſed hæc omnia ad illos, tanquam ad Auctores, referenda erunt, qui ea collegerunt, diſpoſuerunt, digeſſerunt, aut de integro compoſuerunt: & hodie quoque quotuſquiſque *P*rinceps eſt, qui ſua programmata & decreta, ipſemet concipiat; ſcriptisq́; mandet. Et tamen huiuſmodi edicta non Cancellarii aut Notarii, ſed *P*rincipis edicta appellantur, eò quod iuſſu & auctoritate eius conſcripta & euulgata fuerint.

Si quis obiiciat: ipſam quidem legem non poſſe adſcribi ei, qui compoſuit; ſed Principi, in quo poteſtas ferendi

rendi leges reſidet,quiq; componi mandauit: attamen rectè dici ei,qui legem compoſuit; *hæc tua eſt ſententia; hæc tua verba, hoc tuum iudicium in hac vel illa lege*; cùm nomen *ſententiæ, iudicii*, aut *verbi* non denotet auctoritatem illam legislatricem; quam vocabulum legis indicat: Reſpondeo; vt id ita ſit,& ſi non eſt,faciamus eſſe; ſemper tamen inſtare licet,& vrgere Prædicantes; vnde ſciant, verba & ſenſa Indicis, Regis & Ducis nomine publicata, eſſe propria verba & ſenſa Ieſuitarum; tanquam illorum, qui iuſſu Regis & Ducis Indicem illum confecerint & contexuerint? Inde videlicet iſti hoc compertum habẽt, vnde Roſſæum & ſimiles eſſe Ieſuitas. Inde, vnde neſcio quis Cramerus ex *Pomerania* prædicans, nouit Reuerendiſsimum Antiſtitem Secouienſem Martinum eſſe Ieſuitam: ex mentiendi nimirum & calumniandi libidine; qua inflammati; non modò multa ſcripta anonyma; ſed & quorum Auctores paſſim noti ſunt; Ieſuitis, veluti Auctoribus aſſignant. *Cram. in conc. cõtra P. Scargam.*

Alterum argumentum de Academia Duacenſi gemellum eſt primo. Quæro, vndenam conſtet Prædicantibus Collegium Duacenſe iam anno Domini M.D.LXX. fuiſſe exſtructum. Etſi iam tum exſtabat, quo auctore didicerint, Academicos Duacenſes, qui partem Indicis adornarunt, Ieſuitarum opera vſos eſſe?

Verumenimuero licet Ieſuitæ ſoli hunc Indicem feciſſent; cauſæ nihil eſſet, cur eos facti huius aut puderet aut pœniteret. *Et* ſi tam exploratum haberem, Ieſuitas auctores eſſe; quam exploratum habeo, eos Auctores non eſſe; libentiſſimè id propalam confiterer; nec manum verterem, quantumuis *Prædicantes* omnibus ſuis in Schedis & chartis clamitarent; ex Ieſuitarum officina Indicem expurgatorium prodiiſſe. Nunc cùm temerè affirment, quod neſciunt, & quidem non ſine calumniis & mendaciis, æ-

quum non eſt, vt hæc temeraria quiduis effutiendi & criminandi libido irrepercuſſa maneat. Sed vide, mi lector, os & frontem Prædicantium. Rogati cur aſſeuerent, quod cognitum non habent, negant ſe aſſeuerare, quod aſſeuerant.

Heilb. ſpec. Ieſuit. fol. 64. Heilbr. in Relat. de Poſtcolloq. Ratisb. fol. 83. Quærit Prædicantium quidam: *An Papiſtæ & Ieſuitæ, nullum vnquam librum recuderint, recudendoque aut per additionem auxerint, aut per ſubtractionem imminuerint, & annon hoc ipſo conſilio Indicem expurgatorium confecerint.* Si viciſsim ex præcone iſto ſciſcitetur quis; qua mente & fronte Ieſuitis, Indicem expurgatorium, tanquam Auctoribus, attribuat, negat ſe id facere, & cur id non faciat, promptè cauſſam reddit: *Quia*, inquit, *non ſolos Ieſuitas nominaui, ſed Ieſuitas ſimul & Papiſtas.* Sed an ideò Auctores Ieſuitas non facit, quia non ſolos; ſed ſimul cum aliis Catholicæ fidei Profeſſoribus Auctores facit? An qui Illyricum cum ſuis illis Triumuiris dicit eſſe Auctorem Centuriarum Magdeburgenſium, ideò negat Illyricum Auctorem eſſe? Nec in priuato Colloquio Ratisbonenſi dictum eſt, Prædicantem iſtum *ſolis Ieſuitis* confectionem huius indicis adſcribere; ſed Ieſuitis. Quæ igitur impudentia eſt inficiari iam, quod antea affirmaueris, & dicere; te non dixiſſe, quod dixeris? Alibi ait idem Prædicans: *Ieſuitas in Indice expurgatorio fateri fraudes & dolos, quibus Patrum ſcripta tractent. Et periculum eſſe, ne à Ieſuiticis Ariſtarchis ſimilis Index cudatur in Biblia.* Si perconteris, vnde norit, Ieſuitas Indicem expurgatorium conſcripſiſſe; è veſtigio reſpondet: ſe id non affirmare.

Heilbr. in Poſtcolloq. Ratisb. Quid igitur affirmas, vel potius blateras prædictis verbis ô Prædicans? Si Ieſuitæ in Indice illo fatentur, ſe patrum monumenta fide & manu mala verſare, vtique oportet eos illius Indicis Auctores eſſe, aut ſaltem illius confeſſionis, qua de ſe ipſi ſuas artes & impoſturas enunciant.

At tu dicis eos in Indice illo fateri ſua malefacta; Ergò eoſdem Indicis illius Auctores eſſe dicis; aut, ſi putas in alieno libro Ieſuitas etiam loqui poſſe; neceſſe eſt; vt ſaltem ſint, & à te dicantur Auctores partis illius; qua ſuas technas, vt ais, confiteantur. Sed vbi illa pars, vbi illa confeſſio?

Scio ad quæ Indicis verba alludas: ad iſta nimirum; quæ tuus germanus etiam protulit: *Cùm in Catholicis veteribus aliis plurimos feramus errores & extenuemus, excuſemus, excogitato commento perſæpè negemus, & commodum iis ſenſum affingamus, dum opponuntur in diſputationibus, aut in conflictionibus cum aduerſariis, non videmus, cur non eandem æquitatem mereatur Bertramus.* Sunt ne hæc Ieſuitarum verba? Fatenturne Ieſuitæ his verbis nequitiam & improbitatem ſuam in monumenta ſanctorum patrum, vt tu, cum Germano tuo parum germanè mentiris? qui ad oram imperitiſſimi ſui libri hæc verba Germanica appoſuit: Jeſuwideriſche Bubenſtück. Quantò rectius ego dixerim: Prædicantiſche Bubenſtück. Dicite Prædicantes, ſuntne hæc Ieſuitarum verba? *At ſunt Academiæ Duacenſis, cuius de Bertramo iudicium Index ſuo calculo comprobauit.* Quid tum? An ideo ſunt verba Ieſuitarum? Ieſuitæ docebant tunc Duaci. Sed ſupra iam ſciſcitatus ſum; quo Auctore hoc afferant Prædicantes. Exſpecto reſponſum. Deindè vt maximè anno Domini 1570. (quo Index concipi & cõtexi cœptus) noſtri in Duacenſi Academia bonas litteras profeſſi fuiſſent; iſtis tamen non liquet, vtrum Academici Duacenſes eorum operam expetierint & adhibuerint; in expediendo penſo ſibi à regiis adminiſtris demandato. Cur ergo tanta confidentia, ne dicam impudentia; aſſeuerant; quod ignorant?

Pag. 11. Ind. Ieſ. Heilb. contra D. Piſtorium.

Verùm de his verbis Academiæ Duacenſis ſeu Indicis plura lib. 2. vbi perſpicuè demonſtrabo nullam in his verbis contineri confeſsionem alicuius in ſanctorum pa-

trum lucubrationes maleficii & deprauationis; neque eſſe cur *Prædicantes* adeò fulminent & tonent, præſertim ſi oratio integra proponatur, nec abrupta initio & fine detruncetur. Hic tantum obſeruet Lector, quam Palatinus prædicãs inſignis, fiduſq; ſit interpres: qui verba illa Indicis: *Excogitato commento*; ſic vertit Germanicè: Weil wir offtmals ein Luge erdencken/ damit wirs laugnen / quaſi Index dicat: *Obſcuriores veterum locos, & qui errorem redolere videntur, excogitato mendacio, ſæpè à nobis reiici & negari*: quæ non eſt mens Indicis, ſed criminatio Prædicantis. Sciuit enim Academia Duacenſis perprobè; ſciuerunt itidem; qui Indici conficiendo præfuerunt; nullum probi & Catholici pectoris diſputatorem aut ſcriptorem eſſe, qui per mendacium neget & repudiet difficilem quempiam & tenebricoſum antiqui Doctoris locum. Mendacium cum ab omni alio, tum præſertim à Theologico congreſſu exulare debet. Nec *commenti* nomen vſurpatur ab Indice vt mẽdacium; ſed vt explicationem, ſeu gloſſam ſignificat, veteri & ſolenni Academiarum ritu; quæ hanc notionem iam olim huic voci impoſuerunt. Quis enim Auerroem citans, aliter explicationes illius in Ariſtotelem nominat, aut ſaltem, quis ex Philoſophis aliter olim nominauit; quã *commenta*: *commenti* & *commentarii* vocabulo, vna eademque ſignificatione accepto?

Nec omittendum, illud: *Excogitato commento*, non referri ad ſequentia verba: *perſæpè negemus*: vt Iunius ineptè, ſi nõ malitioſè edidit; ſed ad prius illud: *Excuſemus*. Hoc enim dicit Index; veterum dicta errorem præ ſe ferentia crebrò excuſari, addita explicatione, &, vt vocant, gloſſa quapiã: cuiuſmodi dicta non rarò occurrunt in Lactantio, Arnobio; aliiſq;: eadem igitur ęquitate obſcuriores & horridiores loquendi modos Bertrami dignandos eſſe. At Prædicans

cans noſter ex *commento* mendacia nobis cudit, ne mentiendi materia deſtituatur.

Illud perlepidum eſt; quod alter Spermologus ait: ideo hæc verba Indicis Ieſuitarum eſſe, *quod à Ieſuitis approbentur.* Ergone omnia illa dicta & facta; quæ approbamus, noſtra ſunt? Probo carmina Virgilii: An ideo méa ſunt? Probo orationes M. Tullii: An ideò me Auctorem habent? probo dicta Chriſti & Apoſtolorum. An ob hoc meum iudicium, eorum ego Auctor ero? probant duo iſti clamatores Confeſſionem Auguſtanam: an ideo non mentiar; ſi dicam: *Heilbrunneri hoc vel illo modo in Confeſſione Auguſtana loquuntur?*

Cæterum, vt Lector, quaſi in ſpeculo intueatur, quo candore, qua fide & ſinceritate iſti Principum animos tractent, deq; controuerſiis inter nos & ipſos inſtruant; libet vnum exemplum apponere, quod ipſimet mihi ſuppeditant ſua in Relatione de Colloquio priuato Ratisbonenſi: Narrant enim ipſummet illuſtriſſimum Principem Palatinum Philippum Ludouicum &c. in Colloquio illo percenſuiſſe, quid ipſe de hoc Indice acceperit; ſeu, quo modo de hoc huius Indicis negotio informatus fuerit. Informatio autem conſiſtit in hoc: *Franciſcum Iunium Profeſſorem Heidelbergenſem quodam tempore Lugduni in Galliis in quãdam officinam Typographicam ingreſſum eſſe, in qua Opera Ambroſii ſub prælo erant. Sed cùm animaduertiſſet nonnulla in exemplari deleta & obliterata eſſe; hoc eum reſponſi à Typographo accepiſſe: Ieſuitas id ita velle & præcipere. Et ex eo tempore Iunium rem ſedulò indagaſſe, donec tandem impreſſum Indicis expurgatorii exemplar adeptus ſit, illudque Heidelbergæ typis deſcribi curauerit.* Hæc in illa Relatione. Appello nunc iſtos informatores; ſiue prædicantes, ſiue prædicantium affines fuerint; an nõ ſint egregii, ne dicam ſcelerati impoſtores; dum illuſtriſ- *fol. 84. 85.*

mo *Principi* tam flagitioſè & impudenter mendacia, tam certa & refutatu, tam prompta obtrudere audent? Dicitne Iunius in ſua præfatione Ieſuitarum conſilio factum eſſe; vt aliqua in editione Ambroſiana omitterentur, aut delerentur? Nominatne Iunius Ieſuitas? Reſpondete informatores: Oſtendite hoc in præfatione Iunii. Oſtendite, inquam, aut fraudulentos deceptores *Principum* & lectorum vos eſſe fateamini. Nullum verbum Iunius de Ieſuitis. Nullam ſyllabam; nullam litteram, nullum punctulum. Quid ergò mentiuntur iſti? cur mentiendo tantos *Principes* in fraudem inducunt? Mentiri autem informatores iſtos, ipſemet Iunius libenter teſtabitur; quandoquidem totum hoc factum non in Ieſuitas, ſed in duos Franciſcanos confert; ſed tam verè, quàm verè iſti informatores id conferunt in Ieſuitas; & quidem, quod longè improbius eſt, ex *I*unii teſtimonio, quaſi id in præfatione ſua ſcribat. Vbi oculi veſtri, vbi animus, vbi frons, vbi pudor erat; quãdo Iunii præfationem euoluebatis, hæcq; non Iunii dicta, ſed veſtra mendacia illuſtriſſimo *Principi* referebatis? Nec minus falſum illud; quod ex veſtra itidem officina manauit: Iunium ex eo tempore de re inueſtiganda diligenter elaboraſſe, donec tandem exemplar Indicis expurgatorii nactus ſit. Nihil ſimile Iunius de ſe ipſe ſcribit. Et quidem ſi de Indice ſermo ſit, quomodo, quæſo, ex eo tempore de Indice cogitare potuit, cùm Index ille duodecim annos poſt commentitiam illam operum *S*. Ambroſii deprauationem natus ſit? Nam quod Iunius fide Caluiniana narrat accidiſſe; id accidit anno Domini 1559. vt ipſemet Iuni⁹ teſtatur. At Index impreſſus eſt Antuerpiæ anno Dom. 1571. Quomodo hæc cohærent cũ eo: quod informatores illuſtriſſimo *Principi* retulerunt? An potuit Iuni⁹ de Indice hoc quærendo cogitare, antequam Rex *Philippus*, Dux

Dux Albanus,& Arias Montanus de eo conſcribendo excudendoq; cogitarent? Quid, quod Iunius de hoc *Indice* nihil penitus ſciuit,niſi poſt ſeptendecim propè ab Indice publicato annos. Quid, quod caſu in iſtum Indicem incidit;vt ipſemet non ſemel profitetur?Qua igitur ratione de *Indicis* huius exemplari adipiſcendo ab anno 1559.laborare potuit; qui de eo nihil penitus vſque ad annum Domini 1586.ſciuit? *En* candide lector,quomodo informatores iſti ſummos *Principes* circumueniant, ſermonibusq; ementitis circumducant.

Sed iam tempus eſt, vt audiamus querelas *Prædicantium* aduerſus iſtum Indicem. Ac primò quidem cum Iunio queruntur, *quod Index iſte non factus ſit fori & iuris publici; ſed duntaxat priuati:concluſus intra domeſticos cenſorum parietes.* Verum *Prædicantes* meminiſſe oportebat; *Philippo* Regi catholico & potentiſſimo, Duciq; Albano, tantum licuiſſe,quantum longè minores ſibi aliquãdo ſumunt. An nullum vnquam ſuæ ſectæ nouerunt,qui librum aut tractatum aliquem typis mandarit;nec tamen promiſcuè in omnium manus venire permiſerit? Deinde quid attinebat publicare hunc Indicem; quando non omnibus, ſed aliquibus duntaxat munus libros expurgandi committendum erat ex Regis voluntate & decreto? Quid ad cæteros non cenſores iſte Index?

Aiunt Prædicantes, *hoc ideò factum, vt his clandeſtinis technis & fraudibus libri in poſterum ad Papiſticam normam conformati, recuderentur; neq; reliqui omnes ignorarent, quid cum his libris actũ fuerit.* Nihil minus, ô Prædicantes; cauſa non euulgandi paſſim Indicis,fuit illa,quam dixi;non illa, quam vos ex male affecto cerebro comminiſcimini. Cauſa autem ſcribendi & conficiendi abſolutè Indicis hæc fuit, vt ex bonis cæteroquin libris tollerentur malæ notæ, gloſſæ, *Relat.p.10*

epentheſes; noxia aſſumenta, praua ſcholia, malè aut parum verè dicta, ſcommata; ſarcaſmi, irriſiones Dei & hominum, rerũq; humanarum pariter & diuinarum ludificationes; vno verbo; Auctores Indicis, alium ſcopum non ſpectarunt; quam vt lector inoffenſo pede libros peragrare, & ſine lethalis veneni metu aut periculo, litterarum campum decurrere poſſit.

Obiiciunt Prædicantes: *nefas eſſe homini iam vita functo; ſepultoq́, quidquam ſuis in monumentis mutare.* At hæc dicendo totam antiquitatem damnant; quæ mortuorum quoq; libros non modò ſæpius à ſordibus, aut morum religionisq́. toxico expurgauit; ſed & ſæpiſſimè proſcripſit, & ſeueriſſimis legibus ex hominum manibus excuſſit, tandemq; in cineres vertit. Exempla plurima, certiſſima, & omni ex parte indubitata totus hic primus liber exhibebit.

Si quis huiusmodi Auctorum redderetur huic vitæ, inquit Prædicans, *quiddamq́, ſuis in libris immutatum reperiret; haud amplius pro ſuis agnoſceret.* Ego verò pro ſuis agniturum affirmo; nam aut ex cœlo ad nos rediret, aut ex purgatorio, aut ex inferno. Si ex cœlo; nemo ſanæ mentis dubitare poteſt, quin non modò futurus contentus; ſed & ampliſſimas gratias acturus eſſet. Gauderet enim ſummoperè, ſi conſpicaretur ſuis ex lucubrationibus exempta omnia illa; quæ alicui viam ad cœlum vel prorſus intercludunt; vel certè difficilem reddunt. Eodem animo eſſet, ſi ex purgatricibus flammis ad nos remitteretur. Quod ſi ex inferno reuerteret, equidem exiſtimo, non deteriorem futurum; quàm epulonem illum in ipſis Tartari cruciatibus verſantem; qui curam ſuſcepit de fratribus, ne & ipſi in locum tormentorum deuenirent: pari modo & iſte elata voce moneret, vt tam ex ſuis, quàm ex aliorum libris exſcinderetur, quidquid morum integritati & ſanctimoniæ officeret;

ret;ſicq; viam ad orcum pararet; aut ſi tam Diabolica mēte & obſtinatione foret,vt hunc tam ſalutarem peſtilentes libros purgandi morem improbaret; non magis audiendus eſſet;quàm nunc audiamus Prædicātes, eandem cantilenam,Dæmonis impulſu, nobis occinentes.

Decipiuntur, inquit Prædicans, *emptores huiuſmodi librorum,& in fraudem inducuntur.* Quæ verò deceptio;ſi emptori offeratur merx proba, probata, & ab omni ſorde & veneno depurata? Non decipitur; qui ab interitu præſeruatur.Non decipitur;cui peſtis non offertur. Imò vos veſtrique ſimiles decipitis;cùm libros peſtilentiſſima contagione infectos ſcribitis, excuditis, ſpargitis; nam emptores credunt ſe mercari volumina; quæ bonas literas, veramque fidem;& doctrinam moribus conformandis idoneam contineant; & ecce prorſus contrarium accidit: Nam loco bonarum litterarum, veræq; religionis inueniunt ſcurrilitates, turpitudines, criminationes in omnis conditionis homines,&,vt rem in pauca conferam, hæreſes, & inſanias falſas. Et tamen his tam pernicialibus libris præfigitur & apponitur tanquam hedera; titulus bonarum & liberalium artium; veræ doctrinæ & fidei; & ſimiles; quibus incautus emptor ineſcari,& in naſſam pertrahi poteſt.

Nequeunt *Prædicantes* ſibi perſuadere,*Eccleſiæ*, vel illi,qui tanquam ſummus paſtor, *Eccleſiæ* præſidet,*aliquid poteſtatis in alienos libros conceſſum eſſe.* Si nihil conceſſum eſt; quo ergo iure tot millia voluminum variis ætatibus exuſta ſunt ab Eccleſia, & in Eccleſia? *Plus* profectò iuris Eccleſiæ datum arbitror in hoc negocio, quàm Luthero; qui ius Canonicum in flammas coniecit: niſi fortè Prædicantes putant minus quiddam eſſe libros Vulcano tradere; quàm amputatis iis,quæ nocere ſolent,corrigere. Præterea,quid ſibi vult illud: *Paſce oues meas*: Petro non ſemel tàm ſerio

commendatum. An paſtori facultas non erit remouendi à paſcuis mala gramina; euellendiq; & funditus exſtirpandi omnia, quæ gregi nocumentum, imò interitum procreare ſolent?

At poſteri, inquit Prædicans, *ignorant, ſi libri mutilentur, quæ cuiusque ſententia fuerit.* Hoc inprimis verum non eſt, nam vt rem vnico exemplo declarem; poſteritas & ſcit, & ſequentibus annis probè ſciet; quis qualisve Eraſmus fuerit; quæ placita, & dogmata, & ſcommata libris ſuis intexuerit, licet Chiliades, & aliæ quædam lucubrationes illius ſint caſtigatæ; & ab omnibus, quæ nocumentum lectoribus parere poterant, expurgatæ. *E*t quid refert, tametſi poſteritas neſciat; num iſte vel iſte hæreticus fuerit: num laſciui & impuri oris: num calumniator, num irriſor omnium, num quid per furiam aut impudentiam effuderit; quod minimè oportebat effuſum. Certè ipſemet Auctor, ſi ſapiat, hæc à poſteris neſciri, quàm ſciri præoptet. Nec vllum periculum ab Indice expurgatorio ſcriptis ſanctorum patrum, aut ipſis ſacroſanctis Bibliis imminet, vt Prædicantes verentur; non enim hos in vſus conſcriptus eſt ille Index; cùm quæ ſancti Patres nobis tradiderunt, piè & reuerenter ſuſcipiamus: ſed hic Indicis finis eſt; vt quod virus vel ſuis vel veterum *P*atrum monumentis malè feriata ingenia adflant, id expungatur, & è medio tollatur, ne latius ſerpat, ſerpendoque multis exitium creet. & Prædicantes toties impudenter mentiuntur, quoties affirmant, quidquam in veterum Patrum libris à nobis deleri, aut vt deleatur ab Indice expurgatorio præſcribi. Nihil delem⁹ in *P*atribus; nihil obliteramus vt libro 2. aduerſus Iunii calumnias copioſius declarabo: non enim ſancti *P*atres huius oris aut pectoris fuerunt, cuius ſunt iſti nouelli, qui niſi maledicant, aut turpiloquia, hæreticaq; dogmata

mata effutiant, nihil ſe dicere exiſtimāt: ac proinde patres huiuſmodi cenſura minimè egent. *In libris Catholicorum veterum*, inquit Index Clementis IIX. *nihil mutare fas ſit, niſi vbi aut fraude hæreticorum, aut typographi incuria, manifeſtus error irrepſerit.*

Porrò cùm in priuato Colloquio Ratisbonenſi reſponſum fuiſſet; *opus miſericordiæ* reputari debere, ſi tales libri emaculentur, & ſeueræ cenſuræ ſpongia eluantur; Prædicantes animo & cogitatione minimè informare valuerūt, quomodo eiuſmodi factum ad *miſericordiæ* virtutem referri poſſit. Imò patrem Ioannem Hylin, Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis Eccleſiaſten, qui hoc aſſeruit, audaciæ & temeritatis accuſant. Sed Prædicantes, veluti *pecora irrationabilia*, ſine vlla ratione, aut ratiocinatione, quæ *ignorant, blaſphemant*, aut *ſubſannant*. Dicite Prædicantes, an non eſt *opus miſericordiæ* auertere corporis perniciem à proximo? ſi hoc opus miſericordię, cur non & illud, cū pernicies animi à ꝓximo auertitur? quod fit ſi noxia quæq; ex libris exſecentur, ne lectorum mores & vitam contaminent, aut ad exitium rapiant. Annon animus præſtantior corpore? Oportet ergo, vt beneficium in animum collatum longè ſit excellentius, quàm illud quod confertur in corpus. *Relat. de Poſtcoll. p. 90.*

Nec duntaxat miſericordiæ opus eſt comparatione lectorum; ſed & reſpectu ipſorum Auctorum. Nam corrigere & inſtruere errantem, vtique miſericordiæ opus eſt. At quid aliud totus Index expurgatorius facit, quàm quod errantes corrigit, monetque, quid ſcribendum, quid non ſcribendum fuerit. Nec refert, quod qui corriguntur, hoc beneficium non ſemper agnoſcunt, grataque mente accipiunt. Non enim idcirco beneficium deſinit eſſe beneficium, quia contemnitur; cùm beneficii natura non pendeat ab affectu accipientis, ſed potius

tius dantis; & à conditione ipſius rei; quæ ſi in alterius emolumẽtum cedere queat, beneficium eſt, ſiue ab altero repudietur, ſiue acceptetur. Scilicet miſericordiæ opus cenſeri non debet, quando Catholici libros hæreticos & peſtiferos, vel prorſus exterminant, vel emaculant; & *miſericordiæ opus* erit; quoties hæretici tale quid in libros bonos & orthodoxos patrant. Neque enim dubito *Prædicantibus* miſericordiæ opus præſtitum videri, cùm liber quidam Emſeri contra Lutherum à Magdeburgenſibus publica ignominia affectus notatusq; fuit: De quo facto ita Lutherus ad ſuum *Spalatinum*: *Magdeburgi libellus Emſeri in publico infamiæ loco affixus eſt, cum titulo: Talis liber, tali loco dignus. Addunt, additam virgam, quæ pœnam eius ſignificaret.* Bene, profectò, bene; ſi eo loco non Emſeri, ſed Lutheri, aut alterius *Prædicantis* tractatus quiſpiam pependiſſet. Quis autem publicus iſte infamiæ locus fuerit, clarius explicat alibi Lutherus: *Emſeri liber Magdeburgi fixus in publico palo, quod* Sack/*ſeu* den Pranger *vocant, adiectis hinc & hinc duabus virgis ſeu ſcopis, adiecto titulo: Hic locus tali libro dignus.*

Luth. tom. 1. epiſt. lat. epiſt. 213.

Epiſt. 218.

Longè maius adhuc miſericordiæ opus cenſebunt *Prædicantes*; probrum illud & dedecus in Bullam Pontificis aduerſus Lutherum: *Bulla*, inquit Lutherus, *Lipſiæ affixa ſtercore contaminata & lacerata eſt. Idem Torgæ. In Doeblin affixa mox conſtercorata* (ſic enim loquitur iſte Stercutius) *& lacerata eſt: adſcriptis iſtis verbis*: Nidus adeſt, auolarunt aues. Das Neſt iſt hie/die Vögel ſind außgeflogen. Hæc nimirum ſceleratiſſimorum hominum facinora; Prædicantium iudicio, egregia ſunt *miſericordiæ opera*. Cætera commenta quæ *Prædicans* iſte adducit; refellam commodius libro ſecundo.

Epiſt. 218. 219.

Nunc ad Iunium:

Principiò culpat Iunius, quod Index ille non ſit publici

lici iuris factus: *Fœtus*, inquit, *eſt cẽſorum Belgicorũ, hunc fœtum genuerunt illi, ſed naſcentem inter genua ſua compreſſerunt, & circumtulerunt in ſinu conditum.* Atqui non eo conſilio conceptus & genitus, & Plantinianis formis excuſus fuit ille fœtus, vt paſſim ab omnibus legeretur, & tereretur, ſed vt ab illis tantùm, quibus officium corrigendi & expurgandi libros committendum erat: quod Rex ipſe teſtatur in ſuo diplomate his verbis: *Librum conſcripſerunt* (cenſores ad hoc deputati) *hoc titulo: Index expurgatorius: quem propriis impenſis Architypographi noſtri excudi curauimus, non quidem euulgandum diſtrahẽdumq́, ſed diſtribuendum ſolis cognitoribus, inſtitutis, in vrbibus & municipiis noſtrarum prædictarum prouinciarum, Eccleſiaſticis Prælatis, & cæteris, qui huic muneri exequendo ſpeciatim à nobis ordinabuntur.* Hæc Regium diploma. Tu qua fronte in lucem profers, quæ Rex tantus proferri noluit? Quid tibi iuris in alienum partum? *Tarquinius Rex*, inquit Valerius, *M. Tullium*, ſeu vt alii vocant, *M. Atilium Duumuirum, quòd librum ſecreta ciuilium ſacrorum continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum, corruptus, Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in mare abiici iuſſit.* Non minus eſt tuum crimen; nec in minorem Regem, ac proinde quod præmium merueris, tu ipſe cogita. *Valer. lib. 1. cap. 1.*

Cur in lucem demus, inquis, *boni facilè animaduerſuri ſunt.* Ita eſt. Facilè animaduertunt te hoc obtrectandi & calumniandi ſtudio feciſſe. Id enim abundè teſtatur tua præfatio, in qua præter criminationes aut nihil, aut perparum. Sed vt aliâs alii, ita & tu hic plus inſciens, quàm ſciens feciſti boni. Nam qui optimi Regis Catholicæ religionis in Belgio conſeruandæ ardor multis exteris ignotus fuiſſet, iſte iam poſt publicatum à te Indicem paſſim innotuit; & quod in Belgio tantum gerebatur, id præſtant nunc alii quoque, & ex bonis alioquin, & Reipublicæ litterariæ fru-

ctuoſis libris, malas gloſſas & notas exſcindunt, aſſumenta eximunt, conuicia in orthodoxos & Catholicæ Eccleſiæ ordines obliterant, & omne illud, quod noxium eſſe poteſt, ſtudioſè tollunt, vt Lector bono puro, ſine admixtione mali fruatur, & abſque lethalis veneni periculo lucubrationes illas euoluat. In quo quid criminis? Quanta enim cura ſemper circa libros adhibita fuit, ne qui peſtilentes in vulgus diſſeminarentur? Non ignorant enim illi, qui ad Reipublicæ clauum ſedent, plus cladis & ſtragis per libros importari poſſe, quàm Troianis importatum fuerit ab Helena, cùm Troiam venit.

Ergo, qui vt futuris detrimentis obſtent, tempeſtiuè elaborant, ii faciunt, quod lex ipſa naturæ faciendum monet: quodque ſingulis, præſertim Reipublicæ moderatoribus, in ipſis pectoribus, ſcriptura indelebili, inſcriptum eſt: vt ſcilicet libros euertendis bonis moribus, & Religioni veræ exterminandæ idoneos, aut corrigant, ſublatis damnoſis maculis, aut prorſus aboleant, ſi correctione videantur indigni, digniores officina Mulciberi, quàm alicuius Typographi aut Librarii. Neque hîc vetus illud prouerbium timendum eſt; *prius antidotum, quàm venenum*. Nullum pharmacum, quod peſti aditum claudit, meritò iudicatur intempeſtiuum. Exemplis iam præiuerunt veteres minoribus. Cur non ſequerentur? Id vt planum fiat totum hunc primum librum eorum exemplis percenſendis impendam, qui libros pernicioſos aut vetuerunt, aut correxerunt, aut exuſſerunt.

CA-

CAPVT II.

Ab Ethnicis ſolùm naturæ lumen ſecutis libros malos vetitos & exuſtos eſſe; probatur id exemplis Athenienſium & Romanorum.

PRIMVS omnium, inquit Lactantius, *Protagoras extitit temporibus Socratis, qui ſibi, diceret, non liquere, vtrum eſſet aliqua diuinitas, nec ne. Quæ diſputatio eius adeò impia, & contra veritatem & religionem iudicata eſt, vt & ipſum Athenienſes expulerint ſuis finibus, & libros eius, in concione, quibus hæc continebantur, exuſſerint.* Similia de Protagora Cicero, Euſebius in Chronico, Suidas & Laërtius, qui addit: βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ ὑπὸ κήρυκα ἀναλεξάμενοι παρ᾽ ἑκάστου τῶν κεκτημένων: *in foro combuſſerunt libros eius, à ſingulis, qui eos habebant, Præconis voce, collectos. Ex quo equidem exiſtimo*, ait M. Tullius, *tardiores ad hanc ſententiam profitendam multos eſſe factos quippe cùm pœnam ne dubitatio quidem potuiſſet effugere.* Non enim definitè dixerat Protagoras, nullam eſſe naturam diuinam, ſed dubitanter. hæc enim verba in principio ſui libri poſuerat, teſte Laërtio: περὶ θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι οὔτε ὡς εἰσίν, οὔτε ὡς οὐκ εἰσίν. hoc eſt, vt vertit Cicero, *De Diis neque vt ſint, neque vt non ſint, habeo dicere.*

Lact. lib. de ira Dei, ca. 9.

Cic. li. 1. de nat. Deor.

Cùm, vt Valerius Maximus teſtatur, *P.* Cornelio & Bæbio Tamphilo Coſſ. inuenti eſſent *libri latini ſeptem de iure Pontificum, totidemq. Græci de diſciplina ſapientiæ, Latinos magna diligentia aſſeruandos curauerunt, Græcos, quia aliqua ex parte ad ſoluendam religionem pertinere exiſtimabantur*, L. Petilius Prætor Vrbanus *ex auctoritate Senatus per victimarios, igne facto, in conſpectu populi cremauit. Noluerunt enim priſci viri quidquam in hac aſſeruari ciuitate, quo animi hominum à Deorum cultu auocarentur.* Ita Maximus. Eadem Plinius ex

Valer. li. 1. c. 1.

Vide Lactant. lib. 1. cap. 22. Plutarch. in Numa.

Plin. lib. 13. cap. 13.

antiquis rerum Romanarum ſcriptoribus; etſi de numero & argumento librorũ non omnium eſt vna eademque ſententia.

Liuius lib. 39 ſeu lib. 9. decad. 4.

Liuius lib. 25. ſeu li. 5. decad. 3. init.

Quoties hoc Patrum auorumq; ætate, inquit ille apud Liuium, *negotium eſt magiſtratibus datum, vt ſacra externa fieri vetarent, ſacrificulos vatesq; foro, circo, vrbe prohiberent? Vaticinios (vaticinos) libros conquirerent, comburerentq;?* Alibi idem Liuius de M. Æmylio, qui *ſenatusconſultum* (aduerſus noua & inuſitata ſacra) *in concione recitauit & edixit, vt quicunq; libros vaticinos precationesve, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet, eos libros omnes litterasve ad ſe ante Kalendas Apriles deferret.*

Tacit. lib. 6. Annal.

Quanta cura cauebant Romani, ne quid inter Sibyllinos libros reponeretur, quod Sibyllinum non eſſet; ne quid turbæ hinc crearetur. Tacitus. *Relatum inde ad Patres à Quintiliano tribuno plebis de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus quindecimuir recipi inter cæteros eiusdem vatis, & ea de re ſenatusconſultum poſtulauerat. Quo per diſceſſionẽ facto, miſit litteras Cæſar modicè tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuuentam: Gallo exprobrabat, quod ſcientiæ cærimoniarumq; vetus, incerto auctore, ante ſententiam Collegii non, vt aſſolet, lecto per magiſtros æſtimatoque carmine apud infrequentem ſenatum egiſſet, ſimul commonefecit: quia multa vana ſub nomine celebri vulgabantur, ſanxiſſe Auguſtum, quem intra diem ad prætorem vrbanum deferrentur; neque habere priuatim liceret. Quod à maioribus quoque decretum erat, poſt exuſtum ſociali bello Capitolium, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ; vna ſeu plures fuère, datoque ſacerdotibus negotio, quantum humana ope potuiſſent, vera diſcernere.* Hæc Tacitus. Vides Romanos tutum non putaſſe, ſi carmina Sibyllina paſſim ab omnibus legerentur; aut ſi pro Sibyllino, quiduis ſine delectu, reciperetur. De Auguſto Suetonius:

tonius: *Quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis nullis, vel parum idoneis auctoribus ferebatur, ſupra duo millia contracta vndiq; cremauit: ac ſolos retinuit Sibyllinos: hoc quoq; delectu habito.* *Suet. Aug. cap.31.*

Libri Labieni, quem ob furioſam mordacitatem Rabienum vocabant, ex S. C. publicè exuſti ſunt, teſte Seneca, ſicut & eius, qui hanc in libros Labieni ſententiam dixerat, poſtea viuentis adhuc ſcripta combuſta ſunt. *Iam non malo exemplo,* inquit Seneca, *quia ſuo.* Non enim placet Senecæ ſupplicia de ſtudiis eſſe ſumpta. *Rem nouam & inauditam* appellat. At non quæritur, quid placeat Senecæ, ſed quid Romani agere conſueuerint cum libris, qui bono publico officere videbantur. Et ſi Seneca Rempublicam Romanam, & Athenienſem animo luſtrare voluiſſet, facilè comperiſſet, incendium malorum librorum rem nec nouam, nec inſuetam eſſe. *Sen. lib. 10. cōtrouerſ.*

Stomachatur quoque Tacitus, quod Senatus Cremutii Cordi annales *per ædiles cremandos* cenſuerit. *Sed manſerunt,* inquit, *occultati & editi. Quo magis ſocordiam eorum irridere libet, qui præſenti potentia, credunt exſtingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam. Nam contra, punitis ingeniis gliſcit auctoritas. neq; aliud externi Reges, aut qui eadem ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi atque illis gloriam peperêre.* Hæc Tacitus. Ego vero non diſputo iuréne an iniuria Cordi Annales in cineres ſint verſi: hoc tantum contendo, Romanos meritò aduigilaſſe, ne quid malorum librorum ſereretur, aut ſi diſſeminatum fuiſſet, quàmprimum exſtirparetur. neque inde ſibi infamiam; ſed laudem & gloriam conciliaſſe. Hæc enim cura vel maximè magiſtratum decet. Quod ſi Tacitus aut Prædicantes cum Tacito credunt, exuſtionem librorum ſibi fore gloriæ apud poſteros, equidem nec Tacito, multoq; minus Prædicantibus tantam gloriam inuidemus: quin *Tacit. Annal. 4.*

vt eis vbertima in dies ſingulos obtingat, toto pectore exoptamus.

Tacit. Annal. lib. 14. Apud eundem Tacitum memoriæ proditum eſt, Fabricium Veientonem, qui multa & probroſa in patres & ſacerdotes compoſuiſſet iis libris, quibus nomen *codicillorum* dederat, Italia depulſum, libroſque eius exuſtos eſſe; *conquiſitos lectitatoſq̀*, inquit Tacitus, *donec cum periculo parabantur; mox licentia habendi, obliuionem attulit.* Ita fit ex veteri & vero verbo: *Nitimur in vetitum.* Quantum in diſcrimen coniecerunt Antiſtium Prætorem probroſa illa carmina, quæ aduerſus Neronem factitauerat; *vulgaueratq̀ celebri*, vt ait Tacitus, *conuiuio.* Rectè profectò Romani, ad chartas exitiales tam intenti. O ſi hæc cura, vbi intermortua eſt, reuiuiſceret.

L. cætera. ff. famil. erciſcund. Exſtat reſponſum Vlpiani, quo vult, vt cùm hæreditaria res diuiditur, libri improbatæ lectionis, non diuidantur, ſed aboleantur à Iudice, non ſecus ac mala medicamenta & venena: *Boni enim & innocentis viri iudicio iudicem fungi oportet*, inquit Vlpianus, *tantundem debebit facere, & in libris improbatæ lectionis, Magicis forte vel his ſimilibus, hæc enim protinus omnia corrumpenda ſunt.* Si homo Ethnicus tàm ſollicitè cauit, ne qui noxii libri teſtamento ad alios tranſirent; par nòn fuit, vt Pontifices minorem huius rei curam ſuſciperent. Meritò igitur hanc inter cæteras tulerunt legem: *Idem quoque ſeruetur ab hæredibus & executoribus vltimarum voluntatum, vt libros à defuncto relictos, ſiue eorum Indicem illis perſonis deputandis offerant, & ab iis licẽtiam obtineant, priuſquam eis vtantur, aut in alias perſonas, quacunque ratione eos trãſferant.* *Index Conc. Trid. Reg. 10.* Quantum mali inuexerunt in mundum, quatuor illi libri Scythiani, genere Saraceni; quorum vnum appellauit Euangelium *non quod actiones eius contineret*, inquit S. Cyrillus, *ſed ſolum nomẽ, alterum vocauit Capitum, tertium myſteriorũ; quar-* *S. Cyril. catech. 6.*

quartum verò, theſaurorum; qui poſt mortem Scythiani ad Terebinthum, diſcipulum eius peruenerunt; ab hoc, ad viduam quandam Perſicam: Viduâ mortuâ libri hæreditate ceſſerunt Curbico, qui ſe Manem nominauit; ex quib. maxima ex parte peſtilẽtiſſimas illas perſuaſiones & phãtaſias Manes hauſit; quæ ſequentibus annis tot millia mortalium in ſempiternum exitium præcipitarunt. Quantò ſati⁹ fuerat pernicialem illam peſtem perire cum pereunte Scythiano; nec ad quenquam hæreditate tranſmitti!

Idem quod Vlpianus, ſenſit de Magicis libris Paulus Iureconſultus: *Libros Magicæ artis apud ſe neminem habere licet, & ſi penes quoſque reperti ſint, bonis ademptis, aduſtiſq́; his publicè, in inſulam deportantur, humiliores capite puniuntur.* Quod ipſum innuit alibi idem Paulus de libris vaticinis. Vbi Cuiacius, *non tantùm, qui diuinandi artem exercent, ſed & qui eius periti ſunt, aut qui vaticinos libros habent, puniuntur.* *Paul. lib. 5. ſent. tit. 23.* *Paulus Tit. 21.*

Nec Magicos duntaxat libros Romani vetabant & exurebant, ſed & omnes illos, qui receptam religionem conuellere poſſe videbantur. Quod liquet ex narratione Valerii ſuprà adducta, & ex interdicta Sibyllinorum carminum, aliorumq́; lectione; de qua Iuſtinus Martyr hæc: *Opera & inſtinctu malorum Dæmonum mortis ſupplicium aduerſus librorum Hydaſpis & Sibyllæ, aut Prophetarum lectores conſtitutũ eſt, vt per timorem homines ab illis, quo minus ſcripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſeruitute eorum retineantur, abſterrerentur. Quod quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiuerunt. Non enim abſq; timore tantùm huiusmodi ſcripta legimus; verum etiam vobis ad inſpiciendum, quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus, grata acceptaq́; omnibus fore ſcientes.* *Iuſtin. orat. ad Anton. pium.*

CA-

Capvt III.

Libros Chriſtianorum à Diocletiano, & libros Iudaorum ab Antiocho interdictos & flammis adiudicatos eſſe.

EDIDIT Diocletianus Imperator amore Idololatriæ, & odio Chriſtiani nominis edictum, quo, teſte Euſebio, iuſſit vt Eccleſiæ Chriſtianorum funditus diruerentur, & libri eorundem ſedulò conquiſiti flãmis abſumerentur. In quod edictum hæc Arnobius: *Quod ſi haberet vos aliqua veſtris pro religionibus indignatio, has potius literas, hos exurere debuiſtis libros,* (Gentilium nimirum) *iſtos demoliri: diſſoluere theatra hæc potius, in quibus infamia numinum propudioſis quotidiè publicãtur in fabulis. Nam noſtra quidem ſcripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur magiſtratibus, exercitibus, Regibus, &c.* Hæc Arnobius. Quàm ſcelératè autem fecit Diocletianus concremando libros Chriſtianos, tàm probè egit, cùm artis Chimicæ libros diligenter conquiſitos exuſſit, vt ſcribit Cælius: Διὰ τὰ νεωτερισθέντα αἰγυπτίοις, πρὸς τὸ μηκέτι πλοῦτον ἐκείνοις ἐκ τῆς τοιαύτης προσγίνεσθαι τέχνης. *eò quod Ægyptii rebus nouis ſtuduiſſent; ne ex huiuſmodi arte diuitias ſibi compararent.*

Euſeb. lib. 8. ca. 2. & 3.

Arnob. lib. 4. in fi.

Cal. lib. 7. cap. 2.

Nec tam Ethnicos notaſſe videntur Vlpianus & Paulus Iuriſconſulti cum libros *damnatæ & improbatæ lectionis* exurendos eſſe docuerunt, quàm Chriſtianos, quos capitali odio oderant, & pro Magis habebant. Nec defuerunt ex ipſis Ethnicis, qui libros quoſdam Ciceronis, vt de *Natura Deorum,* cremandos eſſe clamarent, quod Ethnicorum de Diis placita & dogmata euertere viderentur. Auctor Arnobius: *Sed quid aucupia verborum ſplendoremque peti ab hoc* (Cicerone) *dicam, cùm ſciam eſſe non paucos, qui auerſentur*

Arnob. lib. 3. init.

tur & ſugiant libros de hoc eius, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum ſuarum præſumpta vincentem? cumque alios audiam muſsitare indignanter, & dicere, oportere ſtatui per ſenatum, aboleantur vt hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur & vetuſtatis opprimatur authoritas? Quin immò ſi fiditis exploratum vos dicere quidquam de Diis veſtris; erroris conuincite Ciceronem, temeraria & impia dicta refellitote, redarguite, reprobate: nam intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.

Eadem via aggreſſus eſt Iudæos Antiochus Epiphanes, de quo ſacræ literæ: *Libros legis Dei combuſſerunt igni, ſcindentes eos, & apud quemcunq; inueniebantur libri Teſtamenti Domini, & quicunque obſeruabant legem Domini, ſecundùm edictum Regis trucidabant eum.* Hæc impij in ſacros Hebræorum, & poſtea Chriſtianorum libros. Simili Spiritu agitati olim Iudæi prohibuerunt, ne quis ex Synagoga ſacros Chriſtianorum libros euolueret. Teſtis Anaſtaſius Abbas; qui Iudæos ſic alloquitur. *Vos etiam Iudæi habetis in commentariis, quæ dicturi ſumus; maiores enim veſtri illis temporibus victi, tamen vt inuicti eſſe viderentur, neq; ſe victos eſſe conuinci & coargui poſſent, iudicio ſuo iuſſerunt, vt nemo Iudæorum cōſcripta haberet Chriſti geſta, neq; quæreret, aut legeret vllo modo, ne ſtudium & diligentia notitiã illis adferret. Verè hæc vobis dicimus, quamuis pro veſtro more, celare veritatem cogamini.*

Lib. 1. Machab. c. 1.

Anaſt. li. contra Iudæos.

Sed ne quis Chriſtianis hæreticorum libros prohibētibus hinc conuicium faciat, quaſi imitentur Antiochum & Diocletianum, obſeruandum eſt, nec Antiochum, nec Diocletianum, neq; vllum alium aut Ethnicum, aut hæreticum Tyrannum malè iudicaſſe, aut erraſſe, cùm cenſuerunt libros pernicioſos, bonisq; moribus noxios prohibēdos, aut in cineres vertēdos eſſe. hoc enim rectum, ſanum

& ex integris ipſius naturæ fontibus hauſtum iudicium eſt: ſed erraſſe, cùm hoc iudicium generale applicarunt in ſpecie ad libros probæ notæ, formandis moribus, virtutibusq; ferendis & religioni veræ conſeruandæ augendæq; accommodatos. At Chriſtiani, cùm libros noxios è medio tollunt, præſertim hæreticos; aut expurgant, nec in generali iudicio, nec in applicatione huius iudicii à vero aberrant, quia hæreticorũ ſermones, & libri, ſcommata, & maledicta hæreſin olentia, vt cancer ſerpunt, & peſtis inſtar legentium animos inficiunt: ſed hæretici errant, cùm eos errare credunt; quin & tunc errant, cùm ex generali illo & vero principio, noxios libros comburi aut emaculari debere; concludunt, libros Catholicorum rogo dignos eſſe: Errant, inquam, non ſecus ac Antiochus aut Diocletianus, in applicatione veri iudicii ad praxin.

Nec malè agebant Romani, quando peregrinæ ſuperſtitionis libros abolebant, etſi malè agebant, faciendo id ſuæ ſuperſtitionis conſeruandæ gratia: quia iure incenditur & aboletur, quicquid nocumẽti aliquid parere poteſt. Nocumentum autem libri ſuperſtitioſi attuliſſent, licet veterem ſuperſtitionem ſuſtuliſſent, nouam enim inuexiſſent priore aliquando nec minorem, nec tolerabiliorẽ.

CAPVT IV.

Ob edictum Diocletiani de libris Chriſtianorum exurendis multos martyrio affectos, & non paucos traditores factos eſſe.

SEgniores non fuerunt prouinciarum præſides in capeſſendis iuſſis Diocletiani, quàm ipſe Tyrannus in ferenda & ſciſcenda impia illa de libris Chriſtianis rogo tradendis, lege. Itaque ſimul atque decretum illud in prouincias peruenit: *luctus vbique, & plurima*

ma mortis imago extitit, repoſcentibus efferatis Diocletiani miniſtris ſacros codices: Chriſtianis autem tradere & prodere recuſantibus; licet rogati confiterentur interdum ſacra legis Chriſtianæ volumina penes ſe eſſe. Et quamuis vbique terrarum mandatum Imperatoris immenſas ſtrages ediderit;] Africæ tamen potiſſimùm vis perſecutionis huius incubuit, cœloq; innumeros martyres peperit: ex quorum cœtu non infimus Felix Epiſcopus Thibarenſis; in cuius Actis hæc prodita legimus: *Conſtantino Chloro & Galerio Maximiano quartùm conſulibus, exiuit edictum Imperatorum ſuper omnem faciem terræ, & propoſitum eſt per Colonias & ciuitates Principibus & Magiſtratibus, ſuo cuique loco, vt libros Deificos legis peterent de manu Epiſcoporum & Presbyterorum. Tunc programma poſitum eſt in ciuitate Thibarenſi die Nonarum Iuniarum. Tunc Magnilianus Curator iuſſit ad ſe perduci ſeniores plebis. Eadem die Felix Epiſcopus Carthaginem fuerat profectus. Aprum verò Presbyterum ad ſe iuſſit perduci, & Cyrum & Vitalem Lectores. Quibus Magnilianus curator dixit: Libros Deificos habetis? Aper dicit: habemus. Magnilianus curator dicit: Date illos igni aduri. Tunc Aper: Epiſcopus noſter apud ſe illos habet.* Sur. Tom. 5. 24. Oct.

Poſtera autem die Felix Epiſcopus venit Carthagine Thibarim. tunc Magnilianus curator iuſſit Felicem Epiſcopum ad ſe perduci per Officialem. Cui Magnilianus curator dicit: Felix Epiſcope, da libros vel membranas quaſcunque habes. Felix Epiſcopus dixit: Habeo, ſed non do. Magnilianus curator dicit: Prius eſt quod Imperatores iuſſerunt, quàm quod tu loqueris. Da libros, vt poſſint igni aduri. Felix Epiſcopus dixit: Melius eſt me igne aduri, quàm ſcripturas Deificas. quia bonum eſt obedire Deo magis, quàm hominibus. Act. 5.

Et nonnullis interpoſitis, ſic Acta pergunt: *Poſt ſexdecim dies Felix Epiſcopus productus eſt de carcere in vinculis, hora noctis quarta ad Anulinum Procõſulem, cui dixit Anulinus: Quare*

ſcripturas ſuperuacuas non reddis? Felix Epiſcopus dixit: Non ſum eas daturus. Tunc iuſsit eum Anulinus ad præfectum prætorio mitti Idibus Iulii. Tunc præfectus iuſsit eum ſuo carcere recipi, & maioribus vinculis ligari. Poſt dies autem nouem iuſsit eum præfectus ad Imperatores nauigare.

Et poſtquam Acta expoſuiſſent; quomodo Venuſium in Apuliam vinctus veniſſet; hæc ſubiungunt. *Tunc Præfectus iuſsit Felicem de vinculis eripi, & dixit: Felix, quare ſcripturas Dominicas non das, aut forſitan non habes? cui reſpondit: Habeo quidem, ſed non do. Præfectus dixit: Felicem gladio interficite. Felix Epiſcopus dixit voce clara: Gratias tibi Domine, qui me dignatus es liberare.* Hæc Acta S. Felicis ex Actis Proconſularibus magnam partem accepta; vt meritò ſuſpicatur Baronius.

Bar. Tom. 2. anno Chr. 302.

De eodem Felice Epiſcopo, Ianuario Presbytero, & Septimo Menologium Græcorum hæc 16. die Aprilis: *S. Felicis Epiſcopi, Ianuarii Presbyteri, & Septimi Diocletiano & Maximiano Imperatoribus; hi omnes cum Imperiali decreto iuberentur gentilibus ſuos libros tradere, ſanctiſsimus Epiſcopus id renuit his verbis. Scriptum, inquit, eſt, ô præſes, nolite ſanctum dare canibus, neque proiicere velitis margaritas veſtras ante porcos. His de cauſis vincti, educti de carcere, miſsi ſunt ad Præſidem Prætorii, quos poſt dies quatuordecim eductos è carcere impoſuit nauigio, alligatos pedibus equorum: cumque ſancti viri volutarentur ad pedes brutorum animalium ieiuni, ac ne aquam quidem per quatuor dies guſtantes, Deo ipſi gratias agebant; cùm verò perueniſſent ad vrbem Tauromenium appellatam, in Lucaniam deducti tenuerunt ciuitatem Eleorum. Tunc præſes ſoluens illos viros ſanctos à vinculis leniter & blandè rogabat; vt libros, quos habebant, traderent; illi verò cùm reſpondiſſent, ſe neque libros prodere velle, neque idolis immolare, iuſsit Præfectus illos obtruncari; ſententiâ latâ, ad Deum preces miſerunt, è cuius manu coronas cœleſtes perceperunt.* Hactenus Menologium.

Extat tõ. 2. Antiquæ lectionis Henrici Caniſii.

In

In Actis SS. Martyrum Agapes, Chioniæ & Irenæ, quærit Præſes: *Num aliqua apud vos ſunt impiorum Chriſtianorum commentaria, vel membranæ aliqua, vel libri? Reſpondit Chionia: Nulla ô præſes nobis ſunt: omnia enim illa Imperatores à nobis abſtulerunt.* *Sur. Tom. 2. die 1. April.*

Quid quod inuenti ſunt, qui vltrò; non rogati; publicè profiterentur; ſe ſacros libros habere; tradere tamen nolle: quorum immaturum ardorem compeſcuit, teſte S Auguſtino, Menſurius Epiſcopus Carthaginenſis; nam Martyrii honoribus eos priuandos cenſuit, qui non diuini ſpiritus impulſu; ſed temeritate quadam id egiſſent: Idem Menſurius egregio ſtratagemate eos, qui libros ſacros ad incendium quærebant, eluſit, etſi Donatiſtæ, homines ad calumnias nati; Menſurio factum illud vitio verterint; indeq; euincere voluerint, Menſurium traditionis crimine ſeſe obſtrinxiſſe. *Legerunt enim eius Epiſtolam ad ſecundum Tigiſitanum datam, qui tunc habebat primatum Epiſcoporum Numidiæ. In qua Epiſtola videbatur Menſurius, velut de ſuo crimine confiteri; qui tamen nō ſcripſerat ſe ſanctos Codices tradidiſſe; ſed potius, ne à perſecutoribus inuenirentur, abſtuliſſe atque ſeruaſſe: dimiſiſſe autem in Baſilica nouorum quæcunque reproba ſcripta hæreticorū; quæ cùm inueniſſent perſecutores & abſtuliſſent, nihil ab illo ampliꝰ poſtulaſſe: Veruntamen quoſdam Carthaginenſis ordinis viros poſtea ſuggeſſiſſe Proconſuli, quòd illuſi fuerant, qui miſſi fuerant ad Chriſtianorum ſcripturas auferendas & incendendas, quia non inuenerunt, niſi neſcio quæ ad eos non pertinentia; ipſas autem in domo Epiſcopi cuſtodiri, vnde deberent proferri & incendi; proconſulem verò ad hoc eis conſentire noluiſſe.* Hæc ſanctus Auguſtinꝰ de Menſurio. Porrò, vt Deus loco Iſaac ſuppoſuit arietem; & Michol loco Dauidis ſimulacrum Dauidis; ita & iſte in vicem ſacrarum litterarum fætidas & hircinas hæreticorū chartas ſubſtituit iure optimo; dignæ enim ſunt flammis à quocunque tandem flammis addicantur, Idem

S. Aug. in breuic. collat. die 3.

Apud S. Auguſt. loc. cit.

Idem Diocletiani edictum traditores procreauit; multi enim manus perſecutorib. dantes, ſacras etiam ſcripturas ad pyram dabant. Ex quo ingentes turbæ in Eccleſia natæ; & tandem pernicioſiſſimum illud ſchiſma, quod à Donato nomen inuenit; cùm flagitioſi homines, ſcelere, audacia & ambitione furentes, crimen traditionis, quod ipſi admiſerant, in Cæcilianum, aliosq́; ab omni noxa immunes conferrent. Verùm hæc per digreſſionem occaſione decreti Diocletiani. Nunc ad alios libros pio Imperatorum ſtudio prohibitos accedamus.

CAPVT V.

Probatur exemplo primitiuæ Eccleſiæ libros malos vitandos, ignīq́; tradendos eſſe.

MISSIS nunc Ethnicis, ad Chriſtianos progrediamur, quibus non minima cura librorum, vt probi diffunderentur, improbi ſupprimerentur, aut incenderentur. Illuſtre huius rei exemplum ſuppeditant
Act. 19. nobis Apoſtolorum Acta. Vbi S. Lucas: *Multi ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt coram omnibus, & computatis precijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* Inſigne moris, de quo agimus, documentum, ſiue ſpontè, ſiue ab Antiſtitibus iuſſi libros illos inflammandos obtulerint. Eſt autem diligenter notandum id, quod narrationi de cōbuſtis libris S. Lucas ſubiungit; & eſt hoc: *Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur.* Quo ſignificat libros pernicioſos impedimento eſſe, quo minus doctrina cœleſtis ſucceſſibus lætis prouehatur, firmasq́; radices agat; viciſſim verò combuſtionem huiuſmodi librorum ad vtrumq; multum momenti adferre.

Cùm Chriſtiana religio adhuc tenera eſſet, vixq́; ex incunabulis exiiſſet, prohibuerunt Apoſtoli libros Genti-

lium,

lium, ne Chriſtianorum animi recens Chriſtiana doctrina imbuti, aliquid detrimenti inde acciperent. Exſtat edictũ hoc apud Clementem Romanum his conceptum verbis: *Abſtine ab omnibus libris gentilium, quid enim tibi cum alienis ſermonibus, aut legibus, aut falſis Prophetis, quæ quidem homines leues à fide recta detorquent?* Clem. lib. 1 conſtit. cap. 6.

Conſonat cum hac conſtitutione Apoſtolica Concilij Carthaginenſis Canon, qui reperitur quoq; apud Gratianum: *Epiſcopus gentilium libros non legat; Hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore.* Similes Canones reperire eſt apud Gratianum; quorum vnus ſic habet. *Sacerdotes Dei, omiſſis Euangeliis, & Prophetis videmus Comœdias legere, amatoria Bucolicorum verſuum verba canere: Virgilium tenere, & id, quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis.* Eodem tendit Canon, qui proximè ſubſequitur. *Nónne vobis videtur in vanitate ſenſus, & obſcuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in Dialectica arte torquetur: qui Phyſicus perſcrutator oculos trans cœlum leuat, & vltra profundum terrarum & abyſſi in quoddam inane demergitur, qui iambum ferit; qui tantam metrorum ſyluam in ſuo ſtudioſus corde diſtinguit & congerit?* Concil. Carth. 4. cap. 16. d. 37. C. Epiſcopus.

Canone Legant, reprehenduntur Epiſcopi & Preſbyteri, *qui filios ſuos ſæcularibus litteris erudiunt, & faciunt illos Comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare. Legimus de beato Hieronymo*, inquit alius Canon, *quod cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo eſt correptus, eò quod vir Chriſtianus paganorum figmentis intenderet. Hinc etiam filius ille prodigus*, ait Gratianus, *in Euangelio reprehenditur, qui de ſiliquis, quas porci manducabant, ventrem ſuum repleri cupiebat. Hinc etiam Origenes ciniphes & ranas, quibus Ægyptii ſunt percuſſi, vanam Dialecticorum garrulitatem & ſophiſtica argumenta intelligit.*

Propter hæc & id genus alia ſcribere non verentur

Præ-

Andr. Oſiand. in epiſt. ſynod. Prædicantes quidam, ſacerdotibus iure pontificio prohiberi lectionem poëtarum & oratorum Ethnicorum. Sed faciunt, quod ſolent. Mentiuntur nimirum & calumniantur ſine rubore & fronte. Annon enim cum Gratianus prædictos Canones ſibi obiecïſſet; vt plerunq; facere conſueuit: ſtatim ſua veraq; ex ſententia ſubdidit: *Sed contra*
Act. 7. Dan. 1. Exod. 3. & 11. Leuit. 2. *legitur, quod Moyſes & Daniel omni ſcientia Ægyptiorum & Chaldæorum eruditi fuerunt. Legitur etiam, quòd præcepit Dominus filiis Iſraël, vt exſpoliarent Ægyptios auro & argento, moraliter inſtruens, vt ſiue aurum ſapientiæ, ſiue argentum eloquentiæ apud Poëtas inuenerimus, in vſum ſalutiferæ eruditionis vertamus. In Leuitico quoq; primitias mellis, id eſt, dulcedinem humanæ eloquentiæ Domino iubemur offerre. Magi quoq; tria munera obtulerunt Domino, in quibus nonnulli tres Philoſophiæ partes volunt intelligi.*

Poſtquam hæc & alia huius generis Gratianus diſſeruiſſet; mox eandem ſententiam Canonibus firmare aggreditur; ex quorum numero primus. *Turbat acumen legentium, & deficere cogit; qui eos à ſæcularibus litteris modò æſtimat prohibendos: in quibus, ſi qua inuenta ſunt vtilia, quaſi ſua ſumere licet. Alioquin nec Moyſes, nec Daniel ſapientia vel litteris Ægyptiorum paterentur erudiri, quorum tamen ſuperſtitiones ſimul & delicias horrebant. Nec ipſe Magiſter gentium aliquot verſus Poëtarum ſuis vel ſcriptis indicaſſet, vel dictis.* Eodem pertinent C. *ſi quis*, & C. *qui de menſa*. Et C. *de quibuſdã, mandatur, vt Magiſtri & Doctores conſtituãtur, qui ſtudia litterarum, liberaliumq; artium dogmata aſſiduè doceant.* Cur ad hæc & huius claſſis ſimilia Prædicantes oculos non aperiunt? Cur obiectiones arripiunt; nec ad reſponſiones animum aduertunt? Sed impoſtores non eſſent, ſi fraudibus ſepoſitis, candidè & ſincerè agerent.

Ad διάταξιν ſeu Conſtitutionem Apoſtolicam ſuprà allatam,

latam, Reſpondeo, eam fide iam firmata, & Ethniciſmo ex mortalium animis penitus abolito, deſiiſſe: non enim periculum eſt, ne quis iam lectione librorum gentilium in errores eorundem incurrat; nimis namq; manifeſti ſunt, vt hac tanta luce nemini imponere queant. Etſi ne Apoſtolicis quidem temporibus, ſingulis indiſcriminatim lectio gentilium librorum vetita videtur, ſed iis duntaxat, qui necdum ſat altas radices in Chriſtiana religione egerant: id enim indicant verba illa: *Quæ quidem homines leues à recta fide detorquent.*

Ad Canonem Concilii Carthaginenſis, & alios reſpondeo, nec prohiberi, nec reprehendi decretis illis librorum gentilium lectionem, ſed nimiam, & turpem quoque lectionem; & eam, quæ ſolius voluptatis cauſa inſtituitur, ita vt quę potioris ſunt momenti, diuinoq; cultui mancipatos magis decent, negligantur & faſtidiantur, tanquā horrida & incompta, aut delectationis expertia; quo pacto S. Hieronymus M. Tullii libros euoluiſſe fertur: *Sæculares litteras*, inquit Gratianus, *quidam legunt ad voluptatem, poëtarum figmentis, & verborum ornatu delectati: quidam verò ad eruditionem eas addiſcunt; vt errores gentilium legendo deleãtentur; & vtilia, quæ in eis inuenerint, ad vſum ſacræ eruditionis deuotè conuertant. Tales laudabiliter ſæculares litteras addiſcunt. Ideo prohibetur Chriſtianus figmenta legere Poëtarum*, inquit Iſidorus, *quia per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentiua libidinum.* Qui Canon ad laſciuos poëtas pertinet, de quibus ſuo loco copioſius à nobis diſputabitur.

Porrò, cur Chriſtiani Ethnicorum libros verſent & perlegāt; multas cauſas adducunt cùm alii, tum Nicephorus, licet non tàm ex ſua, quàm ex veterum & melioris notæ Auctorum officina; Agens enim de edicto, quo Iulianus Apoſtata Chriſtianæ fidei addictos à lectione Orato-

Vide Ioan. Turrecrē. ad d. 37. Can. Epiſcopus,

Vide S. Hier. epiſt. 22, ad Euſtoch, ca. 13. Et Apolog. 1. contra Ruf. cap. 7.

Iſid. lib. 3. de ſummo bono, ca, 13. d. 37. C. Ideo.

Niceph. li. 10. cap. 26.

Lege Epiſt. 84. S. Hieronymi ad Magnum Oratorem.

rum & Poëtarum Græcorum arcuit; & de vtroq; Apollinari, qui rem Chriſtianam oratoria & poëtica ſua facultate inſigniter promouerant, ſic ſcribit: *Apollinarium ſtudium quod Chriſtianiſmo impenderunt, reiicere, & Chriſtianos rurſum Græcas diſciplinarum inſtitutiones in manibus verſare, vix quiſpiã religioni noſtræ commodum eſſe exiſtimauerit: quod Græci libri detrimentum nobis afferant; deorum multitudinem, fabulas & mendacia docentes. Aduerſus obiectionem iſtam ſtatim reſponſum noſtrum afferemus. Doctrinam Græcorum neq; Chriſtus ipſe, neq; eius diſcipuli videntur vel recipiendam eſſe vt bonam, & diuinitus inſpiratã, vel reiiciendam, vt noxiam & incommodam cenſuiſſe. Atq; id non ſine prouidentia Dei factum eſſe opinor. Non pauci enim apud Græcos Philoſophi non longè à cognitione Dei abſuêre. Declarat id quod nonnulli præſtantibus libris aduerſus Epicuri ſectatores pugnarunt, qui nullos deos eſſe aſſeruit, omniaq; fortuitò & ſua ſponte exiſtere ſenſit, & mundum nulla prouidentia regi apertè docuit. Eos illi redarguendo & inſcitiam eorum euertendo confutarunt: Proindeque non exiguam vtilitatem nobis, qui veritatem rectæ pietatis ſequimur, attulerunt, &c Et vna quidem ratio noſtra ſic habet.*

Altera verò illa eſt: Seruatoris dicta, & diuinitus inſpirata Scripturæ admirandæ quidem prorſus doctrinæ ſunt & inſtitutiones, rectam fidem, & religionem veram nobis tradentes. Fidem inſuper Deo gratam ſtudioſis exhibent. Minimè verò nos diſſerendi docent artem, vt ſatis idonei ſimus quum velimus, tempore flagitante pro eis fortiter aduerſariis reſiſtere, eaſq; colluctando defendere. Porrò ſuis ipſius armis hoſtem ferire ſtrenui admodum & fortis viri eſt. Id verò ipſum Chriſtianis ex lucubrationibus, quas Apollinares reliquerunt, ſatis addiſcere minimè licuiſſet. Quod quum certò Iulianus ſciret, ne Chriſtiani Græcorum doctrina imbuerentur, lege ſanxit. Non etiam ignorabat, fabulas ethnicas, famam & gloriam ipſius obſcuraturas, criminationis cauſam aduerſus eum allaturas: quas etiam Socrates inter Græcos Philoſophos præcipuam laudem conſecutus

cutus, quum nibili faceret, veluti adulterare ſacra Græcorum, & nouos Deos inferre inciperet, condemnatus eſt.

Tertia ratio noſtra hæc eſt: Spectatos numularios nos eſſe diuinum oraculum iubet, & vt pulcherrimum quodque ex rebus omnibus deligentes, quod malum eſt, abiiciamus; quod bonum autem diſquiramus, atque inuentum retineamus. Attenti quoq; præcipuè vt ſimus, ne quis prædam è nobis agat, per inanem & vanam Philoſophicorum dogmatum ſeductionem. Id autem quomodo perſpicere poſſimus, niſi illorum ſubeamus arma? Non equidem vt eis vſurpandis eadem, quæ illi ſentiamus, ſed ex abundanti, ſuis contra eos potius vtamur telis. Et malum quidem auerſemur, quod verum autem & oportunum eſt legentes, cautè recipiamus. Vbicunq; enim aliquid boni eſt, ipſius veritatis id eſt. Quod ſi quis accuratiore perſuaſione nos hæc contorquere atq; affectatè dicere arbitretur, illud mihi conſideret velim: ipſum diuiniſſimum Paulum non ſolum græcis doctrinis nobis non interdixiſſe, ſed etiam alicubi in epiſtolis ſuis, verbis earum vſum eſſe, vt qui eas quoq; attigerit. Videtur ſanè multa, quæ à Græcis ſunt dicta, didiciſſe. Niſi enim Epimenidis Cretenſis oracula legiſſet, viri ſacra & cæremonias inſtituentis, quomodo verſum illum protuliſſet?

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

Vnde etiam hemiſtichium illud ſumpſiſſet:

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Ipſius enim & genus ſumus.*

Si Arati Aſtronom. Φαινόμενα, *librum non attigiſſet?* Sed illud

Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

ſatis indicat eum in Euripidis fabulis libenter verſatum fuiſſe. Id quod itidem ante illum Solomon in eandem ſententiam dixit. Verum quid opus eſt pluribus hanc rem perſequi? Iam inde enim ab initio, veluti conſuetudine & ſtudio eo non interdicto, viri ſancti fauore & gratia Spiritus locupletes, & Eccleſiæ noſtræ doctores inſignes, à tenera ipſa ætate ad ſenectutem vſq; ſedulò Græcorum libros legerunt: partim ad linguam ſermonemq; expoliendum, & mentem exercen-

ercendam: Partim vt ex rebus deterioribus id, quod ineſt boni colligerent. Quare illud etiam ſunt aſſequuti, vt rectè Græcos in eo, quod à decoro exciderunt, & per errorem lapſi ſunt, damnare poſſent. Indicat hoc Baſilius Magnus, & Ioannes, qui propter eloquentiæ ſuauitatem Chryſoſtomi nomen accepit; & magnus itidem in Theologia Gregorius, qui hunc etiam locum de Græcis diſciplinis in oratione funebri de Magno Baſilio tractat. Æquum ſanè eſt viſum, eum locum tempeſtiuè huic operi ad ea, quæ agimus comprobanda inſerere. Satis namque apparet, non ipſum ſolum optimè in eis diſciplinis eruditum eſſe: ſed alios quoq; illum ad eas diſcendas hortari, ſimulq; iniuriarum eos accuſare, qui eruditionem Græcam affectantibus obſtant. ſic enim ſcribit.

Omnes, opinor, qui ſaniore mente ſunt, hoc confiteri, doctrinam inter ea, quæ nobis ſunt bona, præcipuam eſſe. Non iſtam ſolum præſtantiorem noſtram, quæ elegantiam oſtẽtationemq; orationis omnem negligens, ſaluti vni & rerum intelligendarum pulchritudini inhæret: ſed externam etiam illam quam multi Chriſtiani perinde atq; inſidiatricem, fallacem, & longius à Deo abducentem, contemnentes deſpuunt, peruerſa ſanè & periculoſa perſuaſione. Quemadmodum namque cælum, terram, aërem & quæcunque in his ſunt, quamuis homines nonnulli malè ea accepta, quæ Dei eſſent opera, pro Deo coluerũt: propterea tamen non deſpicimus: ſed quantum vtilitatis habent ex eis ad vitæ vſum percipimus: quod verò noxium eſt in eis fugimus: neq; quod ſtulti faciunt aduerſus creatorem creaturam ipſam quaſi ad rebellionem commouemus: verùm ex rebus conditis conditorem deprehendimus, & quod D. Paulus ait, in captiuitatem redigimus intelligentiam omnem in Chriſtum. Ac ſicuti ignem, alimentum, ferrum, atq; alia per ſeipſa quidem vel vtilia, vel incommoda maximè eſſe ignoramus: Sed de eis pro eo atq; hominibus illis, qui eis vtuntur, videtur, iudicamus. Quum etiam in reptilibus feris quædam ſint, quæ vtiliter ad ſalutem pharmacis, & remediis miſcemus. Sic quoq; ex diſciplinis iſtis, quod ad veritatem inqui-

inquirendam, & iudicium acuendum, nec non ad contemplationem exercendam facit, id recepimus: quod autem ad dæmones ipſos, & ad perditionis profundum deducit, deſpuentes reiecimus: propterea quòd ex eis rebus in vera pietatis ſtudio non itidem adiuuemur: eo pacto meliora ex deterioribus addiſcentes, & imbecillitatem illorum in robur doctrinæ noſtræ conuertentes. Non igitur contemnenda eſt doctrina liberalior, propterea quòd hoc ſic quibusdam faciendum videtur; ſed praui atque inerudití, qui in ea ſunt ſententia cenſendi ſunt, qui alios omnes ſibi ſimiles eſſe velint, vt in communi ſui ſimilium frequentia latere, & inſcitia ſuæ reprehenſionem effugere valeant. Hæc D. Gregorius. Baſilius verò Magnus non ſolùm doctrinam Græcorum diſcere permittit, ſed etiam præclaro libello maximè hoc confirmat, cui titulum fecit, Quomodo iuuenes ex Græcis diſciplinis vtilitatem capere poßint.

At quòd, vt refert Ioannes Diaconus, & ex hoc Iuo, S. Gregorius Magnus omnes omninò Pontifices à lectione librorum gentilium inhibuit, probabiles conſilii ſui cauſas habuit. Deſiderium certè Galliarum Epiſcopum meritò reprehendit; qui nonnullis Grammaticam explicabat; quaſi Epiſcopo tantum ſit otii à negotiis ſui muneris, vt Grammaticis tricis extricandis vacare poſſit: etſi Gloſſa apud Gratianum, & ipſe Gratianus exiſtimant, Deſiderium iſtum, eò dici Grammaticam expoſuiſſe; quòd in Eccleſia peritiam ſæcularis litteraturæ oſtentaret; fabulaſque poëtarum *in prædicatione ſua moraliter* exponeret.

Ioan. lib. 3. de vita S. Greg. ca. 33. Iuo 4. p. ca. 165. S. Grego. li. 9. epiſt. 48. Ioan. Diac. loc. cit. Iuo p. 4. ca. 161. & p. 5. cap. 199. Grat. d. 86. C. cũ multa. Burch. lib. 1. cap 97.

Verùm, vt ad Canonem Concilii Carthaginenſis reuertamur, quod Epiſcopis facultatem concedit, vt pro neceſſitate aut occaſione libros Hæreticorum euoluant, id indicio eſt, primùm, libros hæreticos promiſcuè omnibus non fuiſſe permiſſos. Secundò, ſemper aliquos in Eccleſia fuiſſe, quibus hæc facultas euoluẽdi hæreticos libros conceſſa fuerit.

Clem. lib. 6. conſtit. c. 16. Interdixerunt etiam Apoſtoli lectione librorum hæreticorum, qui nomine Apoſtolorum falsò prænotati circumferebantur. *Hæc omnia*, inquiunt, *ſcripſimus vobis, vt ſcire poßitis, qualis ſit noſtra ſcientia, & ne libros, quos impii, noſtri nominis inſcriptione, munierunt, approbetis, neque enim nomina Apoſtolorum attendere debetis, ſed naturam rerum, & ſententiam nunquã à recto deflexam. Scimus enim Simonem & Cleobium venenatos libros nomine Chriſti & diſcipulorum eius compoſuiſſe, quos ad decipiendum eos, qui Chriſtum & nos ſeruos eius dilexerunt, circumferunt. Atque etiam priſcis temporibus quidam libros Apocryphos ſcripſerunt Moyſis, Enoch, Adam, Eſaiæ, Dauid, Eliæ, & trium Patriarcharum, libros dico peſtiferos, & veritatis inimicos. Tales nunc libros ediderunt infames Hæretici, quibus calumniantur creationem mundi, nuptias, prouidentiam, procreationem liberorum, legem, Prophetas, ſcribuntq́; in his ipſis nomina quædã barbara, vt illi quidem aiunt Angelorum, vt autem vera fateamur, dæmonum potius, quorum inſtinctu & afflatu iſta ſcripſerunt. Fugite ergò horum doctrinam ne ſupplicii eorum, qui iſta ad fallendum fideles & probos Domini Ieſu diſcipulos ſcripſerunt, participes efficiamini.*

Can. 59. edit. Holand. Exſtat eorundem Apoſtolorum de iiſdem libris Canon talis. εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία ὡς ἅγια ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας δημοσιεύει ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω. *Si quis ab impiis falsò inſcriptos libros in Eccleſia publicat ad perniciem populi & cleri, deponatur.*

CAPVT VI.

Edictum Conſtantini Magni aduerſus libros Arii & Arianorum.

VENIAMVS ad Imperatores Chriſtianos. Et quidem primò ad Conſtantinum Magnum, qui Arii libros igni addixit: *Imperator non Arium ſolùm mul-*

Sozom. lib. 1. ca. 20. *ctauit exilio*, inquit Sozomenus, *verumetiam Epiſcopis omnibus & po-*

& populis edictum ſcriptum miſit, vt tum illum, tum eius opinionis fautores, impiorum numero ducerẽt, & ſi qui liber reperiretur ab illis ſcriptus, in ignem coniicerent, quo neq; ipſius, neq; opinionis, cuius auctor fuerat, vllum monumentum extaret. Quod ſi quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non illico in publicum productum incenderet, vt capitis mulctaretur ſupplicio. Quinetiam epiſtolas ad ciuitates ſingulatim ſcriptas miſit, quibus Arium, eiuſque fautores damnabat. Theophanes in Chronico de Conſtantino Magno. ſtatuit πορφυριανοὺς αὐτοὺς ὀνομάζεσθαι, καὶ τὰ συγγράμματα αὐτῶν κατακαίεσθαι καὶ τοὺς μὴ τοῦτο ποιοῦντας θανατοῦσθαι. *vt Ariani vocarentur Porphyriani, eorumq; libri comburerentur, quiq; ſecus agerent, capitali ſupplicio afficerentur.*

Reperitur apud *S*ocratem Conſtantini edictũ his verbis conceptũ: *Victor Conſtantinus Max. Aug. Epiſcopis & populo. Cũ Arius ſceleſtorum & impiorũ hominum cõſuetudinẽ imitetur, eandem cum illis ignominiæ & turpitudinis notã meritò ſubire debet, quẽadmodũ Porphyrius capitalis pietatis hoſtis, qui nefarios libros contra religionẽ Chriſtianã edebat, mercedem dignã laboribus cepit, & eiuſmodi quidẽ, vt apud poſteriora ſæcula nõ ipſe ſolũ maximis probris vexatus fuerit, & turpiſſima infamiæ labe aſperſus, verũ etiam impia eius ſcripta deleta penitus & extincta: ſic etiam viſum eſt, Arium & eius ſectatores, Porphyrianos nuncupare; vt quorum ſecuti ſint mores, eorum etiam nomen habeant. Quinetiam, ſi quod opus ab Ario ſcriptum reperiatur; illud cremandum eſſe; vti non modò execrabilis eius doctrina tollatur funditus, ſed etiam nullum monumentum eiuſdem omnino relinquatur ad poſteritatem. Illud etiam mandamus, vt ſi quis librum ab Ario compoſitum occultaſſe deprehenſus ſit, & eum non ſtatim in mediũ adductum igne combuſſerit, morte mulctetur, nã mox vt cõprehẽſus fuerit, capite mulctetur. Deus vos ſeruet incolumes.* Edicta hæc aduerſus Arii libros edidit Cõſtãtinus, exẽplo ipſius Synodi Nicęnę, q̃ nõ modò Ariũ dãnauit, *ſed*, vt ait Niceph. *idẽ anathema in voces quoq; hæreſeos eius exten-*

Socrat. l. 1, cap 6.
Hiſt. Trip. lib. 2. c. 15.
Nicephor. lib 8. c. 18

extendit, & in librum, quem ille contra pietatem compoſitum Thaliam inſcripſerat, cuius ſtylus & elocutio, ſicuti ex ſcripto ipſo cognoui, ſimplex & diſſoluta, Sotadiſq; Poëtæ cantilenis perſimilis fuit. Ac præterea, ſi quod aliud eius, aut ſectatorum eius inueniretur ſcriptum, vt id igni mandaretur.

Socrat. lib. 1. cap. 6.

Qua ratione Arianas chartas tractare oporteret, docuit nos ſuo etiam exemplo Theodoſius Magnus: Formulas enim, quibus Ariani, Eunomiani, Macedoniani ſuam perfidiam explicabant, ſibi oblatas diſcerpſit, & in fruſta comminuit, vt auctor eſt Sozomenus. Quod prius itidem factum à Patribus Concilii Nicæni *Quinetiam fidei formulam, quam compoſuerunt* (Ariani) *Concilio propoſuerunt*, inquit Theodoretus, *quæ ſimul ac perlecta fuit, quoniam omnes eam νόθον καὶ κίβδηλον, ſpuriam & adulterinam eſſe aiebant, illico diſcerpta eſt.* De optimo Gotthorum Rege Recharedo hæc Aimoinus: *Omnes libros ſectæ Arianæ apud Toletum vno in loco adunari præcipiens igne cremauit, & Gotthos ad veræ fidei vnitatem adduxit.*

Sozom. lib. 7. cap. 12.
Theod. lib. 1. hiſt. ca. 7.
Aimoin lib. 3. c. 77.
Appen. ad Greg. Turon. cap. 8.

Sed ad Conſtantinum oratio ſe recipiat, qui præterea Nouatianos, Valētinianos, Paulianos & Cataphrygas grauiſsimo edicto proſcripſit, eorumque conuentus vetuit, & templa dirui mandauit. *E*xſtat edictum apud Euſebium, qui eadem lege decretum ait; vt libri hæreticorum diligenter inueſtigentur. Qua Imperatoris ſeueritate non pauci hæreticorum territi, ad ſaniorem mentem reuerterunt, licet in ipſis edicti verbis, prout referuntur ab Euſebio, non fiat mentio librorum.

Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. cap. 61. 62.

CAPVT VII.

Libri Eunomiani, Aëtiani, Eutychiani & Apollinariani interdicti.

PAri ſeueritate prohibiti ſunt libri Eunomiani *Codices ſanè eorum ſcelerum omnium doctrinam ac materiam continentes*, inquit Imperator, *ſumma ſagacitate mox quæri ac prodi exſerta auctoritate mandamus, ſub aſpectibus iudicantium mox cremandos. Ex quibus ſi qui fortè aliquid, qualibet occaſione vel fraude, occultaſſe nec prodidiſſe conuincitur, ſciat, ſe velut noxiorum Codicum, & maleficii crimine conſcriptorum retentatorem capite eſſe plectendum.* Hæc lex. Præter cæteras cauſſas, quibus adductus Theodoſius Magnus Eunomium in exilium eiecit, hæc etiam vna erat, quod, vt inquit Socrates, *libros abs ſe editos palàm oſtenderat.* adeò deteſtabatur pius Imperator impii Eunomii ſcripta. Epiſtolas Aëtii damnauit Synodus Conſtantinopolitana prima, vt ſcribit Theodoretus & Hiſt. tripart.

Lib. 16. cod. Theo. L. 16.

Socrates lib. 5. c. 10. Theod. li. 2. cap. 28. Trip. l. 5. c. 43.

Libros Eutychetis & Apollinaris proſcripſerunt Imperatores Valentinianus & Marcianus his verbis: *Nulli inſuper Eutychianiſtæ, vel Apollinariſtæ, publicè vel priuatim cõuocandi cœtus, vel circulos contrahendi, & de errore hæretico diſputandi, ac peruerſitatem facinoroſi dogmatis adſerendi tribuatur facultas. Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonenſem ſynodum liceat aliquid vel dictare, vel ſcribere, vel edere atq; emittere, atq; aliorum dicta vel ſcripta ſuper eadem re proferre. Nemo huiuſmodi habere libros & ſacrilega ſcriptorum audeat monumenta ſeruare. Quod ſi qui in his criminibus fuerint deprehenſi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò qui diſcendi ſtudio adierint de infauſta hæreſi diſputantes, decem librarum auri, quæ fiſco noſtro inferendæ ſunt, iubemus ſubire diſpendium. Vltimo etiam ſupplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint. Omnes verò huiuſcemodi*

L. Quicunque. C. de Heret. Exſtat in Concil. Chalced. ſub fin.

modi charta ac libri, qui funeſtum Eütychetis ſcilicet & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur, vt facinoroſa peruerſitatis veſtigia flammis combuſta depereant. Æquum namque eſt, vt immaniſſima ſacrilegia par pœnæ magnitudo percellat, ſcientibus moderatoribus prouinciarum, eorumq. apparitoribus, defeſorib⁹ etiã ciuitatum, quod ſi ea quæ legis huius religioſiſſima ſanctione cuſtodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiſerint temeritate violari, denarũ librarũ auri mulctã fiſco noſtro inferre cogantur, inſuper etiam exiſtimationis ſuæ periculũ ſuſtinebũt. Dat. Conſtantinop: Id. Aug, Conſtantio & Ruffo COSS.

Vide Syn. Chalced, Act. 3.

Eoſdem Eutychianos libros interdixerunt iidẽ Imperatores alio edicto; in quo præter cætera, hæc: *Coperimus præterea quædã eos in contumeliam religionis & inuidiã venerabilis ſynodicæ definitionis fuiſſe mentitos, conſcriptisq. libris, & chartarum tomis plura finxiſſe, quæ eorum inſaniam aduerſus veram fidem apertè ſignarent: atq. ideò præcipimus, vbicunq. huiusmodi ſcripta reperta fuerint, ignibus concremari. Eos verò, qui vel ſcripſerint, vel aliis legenda tradiderint, docendi ſtudio vel diſcendi, cenſemus deportatione puniri. Docendi etenim hanc infauſtam hæreſin, ſicut pridem edictis Serenitatis noſtræ continetur, omnibus adimimus facultatem, quia vltimo ſupplicio coërcebitur, qui illicita docere tentauerit. Eos verò qui diſcendi ſtudio audierint ſcelerata diſſerentem, decem librarum auri mulcta compeſcimus. Ita enim materia ſubtrahetur erroris, ſi peccatorum & doctor defuerit, & auditor.* Hæc Imperatores.

Nyſſ. in vita S. Ephram.

Feſtiuum porrò eſt quod cum codice quodam Apollinaris Hæretici egit magnus ille Ephrem. rem his verbis refert S. Gregorius Nyſſenus. *Apollinarium leuem, imò dementem atq. inſanum nuncupabat: qui res nouas moliens, multa impia, ſcripturæq. ſacræ aduerſantia duobus comprehenſa libris, è ſuo eructans ventre, admodum inſulsè ac temerè proloqueretur. Illos*

verò

verò libros, cuidam quam in delitiis habuiſſe ferebatur, fœminæ adſeruandos cõmiſerat. Quæ cũ magno innotuiſſent Ephrem, ipſe eiuſdẽ ſe opinionis eſſe confingens, feminã quæ libros cuſtodiebat, adiit: & de ſe, quis ſit, & quàm fauſta ei ex eremo adferat, patefecit. Nonnullaq; fortè id genus alia adiiciens, tandem rogat, vt Præceptoris ſibi ſcripta publicæ vtilitatis cauſa exhibeat, vt nobis ſcilicet, quos tunc hæreticos vocabat, repugnare commodius poſſet. Quibus capta verbis femina, eumq; ex illis vnũ, qui Apollinarii ſuſtinerent partes, reputãs, libros præbuit, eos tamẽ ſibi celeriter reſtitui deprecans. Cæterùm magnus hic Iacob dementẽ ſupplantans Eſau, ac flagitioſa illa primogenita rapiens, prudẽter oppreſſit. Nam piſcis glutino omnes illinens, ita folium folio connexuit, vt cùm pars vna ab altera ob firmam coniunctionem planè ſeiungi nequiret, in vnam quaſi tabulam ſinguli libri apparerent redacti. Sicq; eos mulieri, à qua commodatò acceperat, reddidit. Quæ quidem artificii eiuſmodi, vti mulier, ignara, cùm formam eorundem exteriorem ſaluam cerneret, quid intrinſecus eſſet, diligentius inſpicere neglexit. Dies verò haud ita multi elapſi erant, cùm orthodoxis quibuſdam defertur ſanctus ſenex, qui Apollinarium acciuiſſet, & cum eo ſermones contuliſſet. In iudicium itaq; vocatus, impiis illis libris fretus ad ſtatutum diem venit. ac dicere quidem pro ſe, quod graui iam premeretur ſenio renuit: poſtulauitq;, ideò ſibi proferri libros, vt ex illis reſpondere poſſet, atque contradicere. Cùm ergò iſtius delatoris ſocii frementes in medium libros produxiſſent, inueteratus ille dierum malorum iniuſtitiæ iudex, vnum ex iis in manus ſumens, aperire atq; explicare nitebatur. Sed quod glutino vinctus non cederet, ad partem eius mediam aperiendam eſt aggreſſus; eamq; ipſam eodem conglutinatam modo inuenit. Quare ſua illa, ex priori libro fruſtratus ſpe, ad alterum ſe contulit. Quem quidem totum ita firmiter connexum cernens, vt prorſus explicari nequiret, tanto rubore atq; pudore ſuffuſus eſt, animoque vſque adeo perturbatus, vt ex eo conſeſſu abiens, quaſi mentis atque

 conſilii

conſilii inops, & exanimatus, in morbum prolapſus ſit, illamq́; ignominiæ notam ita ægrè ac moleſtè tulit, vt parum admodum abfuerit, quin tum mortem obiret. Hæc de præclariſſimo facto S. Eremitæ Ephræmi Nyſſen⁹; Ex quo liquidè apparet, quo loco S. Ephræm libros hæreticos habuerit.

CAPVT VIII.

Libri Manichæi interdicti & proſcripti.

Lib. 1. Cod. Iuſt. tit. de hæret. L. 16. edit. Contii, IN conſtitutione Græca hæc de libris Manichæorum ſanciuntur ὁ ἔχων βιβλία μανιχαϊκά, καὶ μὴ φανερῶν αὐτὰ ἐπὶ τὸ καυθῆναι, τιμωρεῖται. *Qui habet libros Manichæos, nec manifeſtat, vt comburantur, punitur.*

Eorundem Manichæorum libros prohibuit, flammiſq; addixit Leo Magnus Pontifex; de quo hæc S. Proſper in Chronico: *Hoc tempore plurimos Manichæos intra vrbem latere diligentiæ Papæ Leonis innotuit, qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudinem & damnare fecit & prodere, incenſis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerunt interceptæ. Quæ cura viro ſancto diuinitus, vt apparet, inſpirata, non ſolùm Romanæ vrbi, ſed etiã vniuerſo orbi plurimum profuit: ſiquidem confeſſionibus in Vrbe captorum, qui Doctores eorum, qui Epiſcopi, quiue Presbyteri, in quibus prouinciis vel ciuitatibus degerent, patefactum eſt; multiq; Orientalium partium ſacerdotes induſtriã Apoſtolici Rectoris imitati ſunt.* Hęc S. Proſper, quæ ex parte ab ipſo S. Leone litteris ſunt ꝑdita, ſic. n. S. Leo epiſt. ad Turib. c. 16. ſcribit ad Turibiũ: *Quam* (Manichæorum turpitudinem) *etſi eloqui erubeſcimus, ſollicitiſſimis tamẽ inquiſitionib⁹ indagatã, & Manichæorum, qui comprehenſi ſunt confeſſionibus, detectam, ad publicam fecimus peruenire notitiã, ne vllo modo poſſet dubiũ videri, quod in iudicio noſtro, cui non ſolũ frequentiſſima præſentia ſacerdotum, ſed etiam illuſtrium virorũ dignitas, ac pars quædam ſenatus ac plebis interfuit, ipſorũ, qui omne facinus perpetrarant, ore reſeratum eſt.*

Cæte-

Cæterum hæc tanti Pontificis diligentia excitauit non ſolùm Epiſcopos, ſed & ipſos Imperatores aduerſus Manichæos. Seueriſſimam enim legem in illos promulgarũt Theodoſius & Valentinianus, cuius initium hoc. *Superſtitio paganis quoq; damnata temporibus, inimica publicæ diſciplinæ, & hoſtis fidei Chriſtianæ ad excidium ſui clementiam noſtram non immeritò prouocauit: Manichæos loquimur, quos execrabiles, & toto orbe pellendos omnium retrò Principum ſtatuta iudicarunt. Nec diſſimulationem crimina nuper detecta patiuntur; quæ enim & quàm dictu, audituq; obſcœna iudicio beatiſſimi Papæ Leonis coram ſenatu ampliſſimo, manifeſta ipſorum confeſſione, patefacta ſunt? Adeò, vt eorum quoq;, qui diceretur Epiſcopus, & voce propria proderet, & omnia ſcelerum ſuorum ſecreta perſcriberet.*

Exſtat hæc Conſti. inter alias ad finem Cod. Theo.

Eosdem Manichæos Symmachus primus, Pontifex Romanus ab vrbe expulit, eorumq; libros ante fores Conſtantinianæ Baſilicæ combuſſit; quod & ab Hormiſda primo huius nominis factum, vt Anaſtaſius Bibliothecarius in vtriusq; vita ſcriptum reliquit. In vita Gelaſii Pontificis apud Anaſtaſium hæc leguntur. *Huius temporibus inuenti ſunt Manichæi in vrbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum Codices ante fores Baſilicæ ſanctæ Mariæ incendio concremauit.*

De Perſarum Rege Quado ſeu Cabade hæc Zonaras in Iuſtino Thrace. *Quadus Manichæos ſuæ ditionis omnes occidit, eorumq; Epiſcopum & libros combuſſit; quod vnum ex filiis ſuis in deteſtandam illam hæreſin, pellexiſſent.* Factum hoc refert Theophanes in Chronico his verbis: Καὶ ἐξέπεμψε σάκρας εἰς πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτοῦ γῆν, ὥστε τὸν εὑρισκόμενον μανιχαῖον ἀναιρεῖσθαι καὶ πυρίκαυστον γενέσθαι, καὶ τὰς ὑποστάσεις αὐτῶν εἰς τὰ βασιλικὰ ταμεῖα εἰσκομίζεσθαι, καὶ τὰς βίβλους αὐτῶν καίεσθαι. *Litteras miſit in omnem ſuam ditionem, vt vbicunq; Manichæus re-*

periretur, ſtatim de medio tolleretur, & exureretur, vtque facultates eorum in ærarium regium inferrentur, libriſque flammis traderentur.

Petrus Sicul. in cōment de Manich.

Scribit quoque Petrus Siculus, ſub Conſtante Heraclii nepote, multos ex Manichæis fuiſſe vltimo ſupplicio affectos, ac propterea Conſtantinum Manichæorũ in Armenia Anteſignanũ, timore pœnarũ, ſcripta Manichæorũ abieciſſe: *Hoc ſiquidẽ ad cætera ſua egregia facinora*, inquit Siculus, *diuini atq; orthodoxi Imperatores addiderũt, vt Manichæos Montanoſq; capitali ſententia puniri iuberent, eorumq; libros, quocunque loco inuenti eſſent flammis tradi; quod ſi quis vſpiam eoſdem occultaſſe deprehenderetur, hunc eundem mortis pœna addici, eiuſq; bona in fiſcum inferri.*

S. Auguſt. li.1. de Actu cũ Felice.

Idem de natura boni, cap. 47.

Tẽpore S. Auguſtini adẽpti ſunt omnes Manichæi codices Felici Manichæo, & ſub publico ſigillo cuſtoditi, vt ſcribit S. Auguſtin. qui poſt acrem diſputationis conflictũ Felicem hunc ad deteſtationem Manichæi feliciter induxit. Idẽ S. Auguſtinus, deteſtabilem quendã Manichæorũ morem execrans, ait eum aliundè non manare, quàm ex Manichæorum libris: *Manifeſtum eſt*, inquit, *quia hoc etiamſi iſti nõ faciunt, de ipſorum libris hoc faciant, quotquot faciunt.* Quid conſilii? *Abiiciant ergò libros, ſi crimen exhorrent, quod committere coguntur, ſi libros tenent; aut ſi non committunt, mundius viuere contra ſuos libros conantur.* Quocirca mirari nõ debent hodierni ſectarii, ſi orthodoxus magiſtratꝰ libros hæreticos non modò vetet, ſed & retinere volentib. eripiat. Priſci id moris eſt, & ab oĩbus ꝓbis laudati, cùm libri iſti non ex alia, quã ex Diaboli officina prodeant. Ipſe enim eſt, quo Magiſtro hæretici falſa, ſacrilſq; litteris aduerſantia ſenſa excogitãt, & excogitata chartis mandant. *Quæritur*, inquit Tertullianus, *à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreſes faciant? A Diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem.*

Tertull. de præſcript.

Illud

Illud admiratione dignum eſt; quod Manichæi eorumq́; libri non modò Chriſtianis Imperatoribus; ſed & ipſis truculentiſſimis tyrannis Diocletiano & Maximiano intolerabiles, digniq́; ꝓſcriptione viſi ſunt: Supereſt adhuc editũ hoc in Manichæos beneficio Petri Pithœi, ex quo illud exſcripſit Illuſtriſs. Baronius. Meminit eiudſẽ ex Codice Gregoriano Cuiacius, inter cætera ſic edicunt Imperatores: *Iubemus auctores quidem ac principes vnâ cũ abominandis ſcripturis eorum ſeueriori pœnæ ſubiici, ita vt flãmeis ignibus exurantur.* Et ad hoc edictũ alludunt verbis paulò antea adductis Theodoſius & Valentinianus, cum Manetis ſectam vocãt *ſuperſtitionem paganis quoq; damnatam temporibus.*

Pith. in Moſaic. & Rõ. leg collect. tit. 15, Bar. tom. 2, Anno Ch. 287. Cuiac. in paratitl 1. lib. Cod. tit. 5.

CAPVT IX.

De libris Porphyrii & Neſtorii rogo adiudicatis.

Aduerſus Porphyrii & Neſtorii libros hanc legem ulerunt Theodoſius & Valentinianus: *Decere arbitramur noſtrum Imperium, ſubditos noſtros de religione monere. Ita enim & pleniorem adquiri Dei ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti benignitatem poſſibile eſſe exiſtimamus, ſi & nos pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, & noſtros ſubditos ad eam rem inſtituerimus. Sancimus igitur, vt omnia quæcunque Porphyrius ſua pulſus inſania contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inuenta fuerint, igni mancipentur. Omnia enim prouocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & impias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus.*

Cod. Iuſt. de ſumm. Trini. L. 3. edit. Cõtii. Synod. Epheſ. tom. 5. cap. 19.

Præterea ſancimus, vt qui affectant impiam Neſtorii opinionem, vel nefariam eius doctrinam ſectantur, ſi Epiſcopi aut clerici ſint, ab Eccleſiis eijciantur; ſi laici, anathematizentur; ſecundùm ea, quæ iam à noſtra diuinitate ſunt conſtituta. Licentiam habituris orthodoxis quicunque voluerint ſecundùm noſtram legiſlationem abſq; metu & damno ipſos indicare & accuſare.

Quo-

Quoniam verò peruenit ad pias noſtras aures, quod quidam doctrinas quaſdam conſcripſerunt, & expoſuerunt ambiguè, & non per omnia congruentes expoſitæ orthodoxæ fidei à ſancta ſynodo ſanctorum Patrum, qui Nicææ & Epheſi conuenerunt, & à Cyrillo, piæ memoriæ, qui fuerat magnæ Alexandriæ ciuitatis Epiſcopus, iubemus, facta huiuſmodi ſcripta, ſiue antea, ſiue nunc, comburi & perfectiſſimo interitui mancipari, ita vt in nullius cognitionem venire poſſint. His qui talia ſcripta, aut tales libros habere aut legere ſuſtinuerint, vltimum ſupplicium experturis. Hæc Imperatores anno Chriſti 448. ex Chronologia Baronii.

Sed quod ad libros *Porphyrii* attinet; non videntur fuiſſe primi, qui impii *Porphyrii* ſcripta promulgato edicto prohibuerunt. Nam Conſtantinus Magnus in edicto aduerſus Arium ſatis indicat, libros Porphyrii iam anteà fuiſſe proſcriptos, & interdictos, Sed à quo, ſi non ab ipſo Conſtantino? etſi mihi non compertum, vbinam hæc lex exſtet, ſi exſtat; niſi fortè Conſtantinus illis ſuis verbis reſpexit ad interdictum Epiſcoporum, qui libris Porphyrii nigrum Theta præfixerint, aut ad conſuetudinem Chriſtianorum, qui communi conſenſu non ſecus ac iuſſi à lege, libros illos deteſtati ſint, & vbicunque reperirentur voracibus flammis, abſumpſerint. Porrò ſupradictæ legis meminerunt etiam Euagrius, Nicephorus & *Photius* in Nomocanone.

Euagr. lib. 1 cap. 12. Niceph. li. 14. cap. 36.

*E*xtat eorundẽ Imperatorũ alia lex antiquior, quã præcedẽs aduerſus eundẽ Neſtoriũ in hęc verba; *Damnato portẽtoſæ ſuperſtitionis auctore Neſtorio, nota cõgrui nominis ei⁹ inuratur gregalibus, nec Chriſtianorũ appellatiõe abutãtur, ſed quẽadmodũ Ariani ab Ario, lege diuæ memoriæ Conſtãtini, ob ſimilitudinẽ impietatis, Porphyriani à Porphyrio nũcupãtur, ſic vbiq; participes nefariæ ſectæ Neſtorii Neſtoriani vocẽtur, vt cui⁹ ſcel⁹ ſunt in deſerẽdo Deũ imitati, ei⁹ vocabulũ iure eſſe videantur ſortiti. Nec verò im-*

L. Damnato. c. de hæres. lib. 16. Co. Theod. L. vlt. In cõcil. Epheſ. tõ. 5. c. 13. edit. pel. Lata eſt hæc lex an. Ch. 435. ſecundũ Baron.

pios libros nefandi & ſacrilegi Neſtorii aduerſus venerabilem orthodoxorum ſectam, decretaq; ſanctiſſimi cœtus Antiſtitum Epheſi habiti ſcriptos habere aut legere aut deſcribere quiſquam audeat, quos diligenti ſtudio requiri, ac publicè comburi decernimus, ita vt nemo in religionis diſputatione aliquam ſupra dicti nominis faciat mentionem, aut quibuſdam eorum habendi concilii gratia in ædibus, aut villa aut ſuburbano ſuo, aut quolibet alio loco conuenticulum clam aut apertè præbeat, quos omnes cœtus celebrandi licentia priuari ſtatuimus, ſcientibus vniuerſis, violatorem huius legis publicatione bonorum eſſe coërcendum. Dat. III *Kalend. Aug. Conſtantinop. Theodoſio XV. & Valentiniano IV. A A. COSS.*

Cod. Theodoſ. Dat. III. Nonas Auguſt. in Concilio Epheſino, hæc inſuper habentur. *Summa proinde illuſtriſq; auctoritas tua curet, vt noſtra hæc ſanctio omnibus prouinciis, vſitatis edictis & promulgationibus primo quoq; tempore nota fiat. Hanc autem legem Romano ſimul & græco ſermone edimus, quò omnes perſpicuè intelligere queant.* Prætereundum autẽ non eſt prædictam legem tàm in Iuſtinianéo, quàm in Theodoſiano Codice mancam & imperfectam ſenſu eſſe; Etſi magis in Iuſtinianéo. Quis enim, conſiderata ſententia & oratione legis, tam obeſæ mentis eſt, qui non videat aliquid ad complementum ſenſus deeſſe? Cod. Iuſtiniani ſic habet: *Quemadmodum Ariani ab Ario lege diuæ memoriæ Conſtantini, ob ſimilitudinem impietatis, Porphyriani à Porphyrio nuncupantur: Sic vbiq; participes nefariæ ſectæ Neſtorii, Neſtoriani vocentur. Quid noui*, inquit Tertullianus, *ſi aliqua diſciplina de Magiſtro cognomentum ſectatoribus ſuis inducit? Nonnè Philoſophi de authoribus ſuis nuncupantur, Platonici, Epicurei, Pythagorici? Etiam à locis conuenticulorum & ſtationum ſuarum Stoici, Academici. Æquè Medici ab Eraſiſtrato, & Grammatici ab Ariſtarcho, Coci etiam ab Apicio. Nec tamen quenquam offendit profeſſio nominis, cum inſtitutione tranſ-*

Eph. Conc. Tom. 5 ca. 13.

Cont. ſuppleuit ex parte ex Cod. Theo.

Tertulli. Apol. c. 3.

miſſa ab inſtitutore. Quæ ergò pœna fuiſſet Neſtorii Sectatoribus; ſi à Neſtorio Neſtoriani vocati fuiſſent? potius laudi, quàm probro hanc ſibi appellationem duxiſſent. Ergò Imperatores alio nomine ipſis inuiſo & exoſo. Hæreticos iſtos inſignire voluerunt. Quod quale fuerit, docet a-
Lib. 16. tit. 5. L. 66. liqua ex parte lex Codicis Theodoſiani his verbis: *Quemadmodum Ariani lege Diuæ memoriæ Conſtantini ob ſimilitudinem impietatis Porphyriani à Porphyrio nuncupantur; Sic vbiq; participes nefariæ ſectæ Neſtorii Simoniani vocentur.* Appellatio igitur, qua Neſtorij aſſeclas decorari iuſſerũt Imperatores, nõ alia fuit, quàm vt nominarẽtur *Simoniani* à *S*imone Mago, *vt cuius ſcelus ſunt in deſerendo Deum,* ſeu vt Cod. Theod. *Deo, imitati, eius vocabulum iure videantur eſſe ſortiti.*

Plenius hæc Imperatorum conſtitutio Epheſinę Sy-
Eph. Syn. Tom. c. 13. nodo inſerta. *Immutábili lege ſancimus, quotquot vsquam gentium execrandæ opinionis Neſtorii ſequaces extiterint, compertique fuerint, eos omnes Simonianorum nomine cenſendos eſſe: Æquum eſt enim, qui in odio contemptuq; diuino impietatem Simonis æmulati ſunt, vt eandem cum Simone appellationem ſortiantur. Quo etiam modo ſanctione beatæ memoriæ Conſtantini, Ariani vocati ſunt Porphyriani: eam videlicet ob cauſſam, quod eandem cum Porphyrio impietatem imbibiſſent: hic enim ſermonis vi & efficacia verám religionẽ expugnare conatus, non tam eruditos libros, quàm inſcitiæ ſuæ teſtes reliquit.*

De eodem *Simonianorum* cognomento Neſtorianis im-
Syn. Eph. To. 5. c. 14. poſito hæc prouinciarum præſides ſuo in edicto de executione legis aduerſus Neſtorianos latæ. *Ne, cuiuſmodi ſint, qualemue ſortiti ſint appellationẽ, quempiam lateat, ſed huius tragœdiæ, quã extinctã, perpetuæq; obliuioni traditam melius fuerat, auctorẽ vſq; ob oculos propoſitum habeant, Simonianorum nomine illos vocãdos eſſe decreuerunt grauiſſimè in illos, qui ſecus appellauerint, aut errori illorũ adhærere perrexerint, inpoſterũ animaduerſuri.* Hæc

Præſi-

Præſides. quia, vt Imperator in ſua ſanctione dicit, *veneratio cultuſq́, quem ſanctiſſimæ religioni iure debem⁹, poſtulat, vt illos, qui impiè ergà diuinum numen affecti ſunt, meritis pœnis afficiamus, & nomine, quod prauitati illorum conueniat, eiuſmodi appellemus, quo hac infamia notati æternam ſuorum errorum ignominiam ſuſtineant, atq́; vt viui ſupplicium debitum nõ euaſerunt, ſic mortui dedecore nunquam careant.*

De eadem re ſic ſcribit ipſe Theodoſius Imperator in lege, quam deceptus à Chryſaphio pro Eutyche aduerſus Neſtorianos edidit: *Promulgauimus legem, quæ tàm prædictum Neſtorium, quàm eos, qui ei ſimilia ſapiunt, damnat, præcipientes, ne Chriſtiano ſaltem nomine cenſerentur, ſed vt Simoniani potius vocarentur, quoniam blaſphemiam Simonis dilexerunt.* *vide Act. 3. Conci. Chalced.*

Hactenus lex Theodoſii aduerſus Neſtoriũ, quem vt ſua quoq; auctoritate Imperator cõdẽnaret, petierũt Patres Concilii Epheſini literis in eũ finẽ ad Theodoſiũ datis, in quibus hæc: *Veſtram Maieſtatẽ*, inquiunt Patres, *iterũ atq; iterũ rogatam cupimus, vt vniuerſam illam doctrinã è ſanctis Eccleſiis ſubmoueri, eiuſdemq́; libros vbiq; locorum repertos iubeat flammis abſumi. Quod ſi quis veſtras ſanctiones ſpreuiſſe compert⁹ fuerit, ille veſtræ dominationis indignationem nõ abſq; formidine ſentiat.*

Cęterùm priorem illam Theodoſii legem publicarũt Prouinciarum præſides ſua quiuis in Prouincia, addito hoc mãdato. *Piiſſimus Imperator noſter, non ignar⁹ legũ, iuſtæq́; politiæ firmamentũ Orthodoxam religionẽ eſſe, peculiari edicto, omnem impietatis occaſionẽ præſcidit; eos quidẽ qui ea laborant, moderata caſtigatiõe ſanãs, cæteris verò omnẽ honeſtæ vitæ rationem oſtendẽs. Qualia ergo aduerſus libros Porphyrii, quos ille cõtra ſanctam Chriſtianam religionem conſcripſerat; nec non contra illos, qui nefariam Neſtorii doctrinã ſcriptis propagãt, decreuerit; & quo rurſũ pacto nullũ fidei dogma vim vllam obtinere voluerit, niſi illud vnũ, q̃ à ſãctiſſ. piiſſimiſq́; Epiſcopis, q quondã in ciuitate Nicæa, & poſtea in* *Conc. Eph. To. 5. c. 20.*

Epheſina vnà cum venerandæ memoriæ Cyrillo conuenerunt, editum & receptum eſt: & qua tandem ratione Irenæum, qui Tyriorum ciuitatis Epiſcopus extitit, exauctoratum velit: id ex prædicta ſanctione Græco ſermone poſita, clarè diſertèq; cognoſcetis, ne quis ignōrationē in poſterū prætexat. Decet proinde omni diligentia iſthæc obſeruare, comminationēq; ac indignationē regiis literis inſertā vſq; ob oculos habere. Lecta ſunt hæc in Eccleſia Solitariorū, vigeſima tertia Pharmuti, hoc eſt, Aprilis, Indictione 4. anno Diocletiani 164.

Concil. Epheſ. tom. 5 cap. 14.

Poſteriorē verò legem promulgarunt prouinciarū præſides hoc edicto: *Nihil Imperatoribus noſtris æquè gratum eſt, ac iuge pietatis ſtudiū, &c. Quamobrem iis qui fidei dogmata hactenus ſtudent adulterare, in poſterum ſilentium, mentiſq; in melius demutationē indicunt, &c. Cæteris verò qui inſanis Neſtorii commentis per deceptionē aſſenſerunt, & in erroris ſui fomentum tractatus illius hactenus tenuerūt, miſereri, quā punire malētes, ſeuerè denunciant, ſerioq; præcipiunt, vt eiuſmodi libros habētes, vel legētes, eos quā primū igne abſumant penituſq; aboleant, ne illiuſcemodi erroris monumenta in repub. obuerſantia veræ fidei quodcunq; impedimentū adferant: ſed nec vllos quoq; alios deinceps, aut deſcribi aut legi volunt. Quos etiā initio neminem attigiſſe longè ſatius erat, cùm certum exitium lectori pariant: Nam quid anima melius? quid fide pretioſius? At vtrunq; maiorem in modum per huiuſmodi lectionem offenditur. Quandoquidem & animæ iudicium obcæcat, & vt ad deteriora labatur, certam occaſionem præbet, &c.*

Idem Theodoſius alio edicto libros Neſtorii & Porphyrii denuò vetuit, & rectè; licet non rectè, quòd eadem damnationis ſentētia perculit ſcripta Theodoreti iā ad Catholicā fidē regreſſi; ſed nimirū in fraudē inductus fuit Theodoſius ab Eutychianis, qui Theodoretū peſſimis modis oderāt, eò quòd orthodoxā fidem contra Eutychianorum veſaniā fortiter aſſerebat. Verba edicti hæc ſunt: *Sed nec habeat aliquis vel legat, aut trāſcribat, proferatq; Neſtoriū, vel terniones eius, aut codices*

Cōci. Chalced. act. 3. hāc legem abrogarūt.

tes noxios, & maximè, quos contra ſanctas Porphyrius edidit Chriſtianas literas, neq; Theodoreti ſcripta: ſed quicunq; huiusmodi codices habet, publicè illos proferat, & cunctis videntib. igni tradātur: & eos, qui hanc religionē colūt, vel doctores eorū nullus neq; in ciuitate, neq; in agro, neq; in ſuburbio accipiat, neq; eos ſecū patiatur habere conſeſſum, alioquin rebus eius publicatis, ipſe perpetuo exilio relegabitur, quiſquis hoc egerit, vel qualislibet extiterit, vel quiſquis codices habuerit interdictam fidem Neſtorii ac Theodoreti continēcer, vt interpretationes eorum, qui vocantur ſermones allocutorii, ſiue traditiones, iisdem tormentis ſubiaceat; vel ſi ea, quæ ab illis compoſita, alterius nominis fuerint prænotata. Hæc Theodoſius, ab Eutychianis præſertim à Chryſaphio circumuentus, etſi nihil alienum à fide feciſſet, ſi illa tantùm Theodoreti ſcripta, quæ pro Neſtorio aduerſus Cyrillum publicârat, prohibuiſſet, vt fecit in alia lege, quam tulit rogatu Concilii Epheſini Oecumenici, quamq; paulò ante recitauimus.

Valētinianus & Martian. Impp. quatenus erat pro Eutyche aduerſus S. Flauianū Epiſcopum Conſtantinop. & alios orthodoxos, licet nō ſit abrogata; quatenus erat contra Neſtorium & libros Neſtorianos. Vide cōſtitut. Impp. in concil. Chalced. loc. cit.

Quod & Iuſtinianus poſteriore tempore fecit: *Si quis,* inquiens, *defendit conſcripta Theodoreti, quæ expoſuit pro Neſtorio hæretico aduerſus rectam fidem, & Epheſinam primam ſanctam Synodum, & S. Cyrillum, & duodecim eius capitula, & non anathematizat ea, talis anathema ſit. Si quis defendit impiam epiſtolam, quam ad Marim Perſam hæreticum Ibas ſcripſiſſe dicitur, &c. anathema ſit. Si quis defendit Theodorum* (Mopſueſtenum) *& non anathematizat eum, & eius conſcripta, & eos, qui ſimilia illi ſapuerunt, vel ſapiunt, talis anathema ſit.*

Iuſtin. in confeſſ. ſuæ fidei. Vide act. 4. Synodi Quintæ Conſtantinop.

Multùm profectò ſtragis & cladis inuexerunt in Eccleſiā libri Theodori; quò .n. aſtuti⁹ celabāt impia Neſtorii dogmata; eò plures veneno ſuo inficiebāt; & ipſos etiā Eccleſiarū antiſtites inter ſe cōmittebāt; quibuſdā Theodori ſcripta defendentibus; aliis tanquā Neſtorio plena repudiantib⁹. Acceſſit & illud incōmodi, ꝙ ex Græca in varias linguas tranſlati fuerant ſtudio Neſtorianorum; quo

factum eſt; vt nō modò Græcè doctos; ſed & Græcè ignaros deprauarent: De quo hæc Liberatus in ſuo Breuiario: *Neſtorij ſectatores, videntes libros illius blaſphemos non poſſe perferri in publicum, eo quod Synodo Epheſina anathematizante fuerant condemnati, & imperiali lege prohibitum fuerat, ne quis eos legeret aut defenderet, tunc cæperunt Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſueſtenæ ciuitatis Epiſcopi, qui contra Eunomium & Apollinarem vnius naturæ aſſertores, libros compoſuerant, duas in Chriſto oſtendentes naturas in vna perſona (quod Neſtorius ſic non dixerat) circumferre volumina: & ſimpliciſſimos quoque decipere cupientes, aiebant non ſapuiſſe noua Neſtorium, & antiquorum Patrum proſecutum fuiſſe doctrinam. & in tantum ſtudij geſſerunt, vt ipſa eorum volumina malitiosè in Syrorum linguam, & Armeniorum, atq; Perſarum transferrent:*

Sed vbi hæc agnouerunt Acacius Melitenenſis & Rabula Edeſſæ ciuitatis Epiſcopus, &c. Scripſerunt Armeniæ Epiſcopis, ne Theodori Mopſueſteni libros ſuſciperent, tanquam hæretici eſſent, & Auctores dogmatis Neſtoriani. Hæc Liberatus.

Cõcil. Eph. tom. 2. append. 1. c. 2. Quia verò iam toties Synodi Epheſinæ mentio facta eſt, ſilere non decet, quid aduerſus Maſſalianorum libros grauiſſimo edicto decreuerit, cuius hæc ſunt verba: *Placuit librum pollutum illius hæreſeos, qui dicitur Aſceticon, anathematizari, &c. vtpote ab hæreticis cõpoſitũ. Similiter ſi quid illorum impietatem ſapiens apud pleroſq; inueniatur, etiam hoc ſit anathema.*

Lubet autem huc tranſcribere pulchrum exemplum de libro Neſtoriano; ex quo eluceſcit, quãtum damni ſibi procreet, qui libros hæreticos domi ſuæ retinet. Ita igitur *Cap. 46.* Sophronius in Prato ſpirituali: *Acceſſimus ad Abbatẽ Cyriacũ presbyterũ Lauræ Calamonis, iuxta ſanctum Iordanẽ, narrauitq; nobis, dicens: Die quadã vidi per ſomnũ mulierẽ honeſta facie, purpura indutã, & cũ ea viros duos, & ipſos venerando habitu, & aſpectu præclaro,*

claro. Arbitratus autem ſum mulierem illam eſſe Dominam noſtram ſanctã Dei genitricem, eoſq́, qui cum illa erant, duos viros. ſanctũ Ioannem Baptiſtã, & ſanctũ Ioannem Theologum & Euangeliſtam. Egreſſusq́ de cellula orabam illam, vt ingrederetur. Quæ non cõſenſit. Permanſi ergo diutius orans, & obſecrans, ac dicens: Ne, quæſo, auertatur humilis factus cõfuſus, & alia plurima huiusmodi. Illa igitur, vt me vidit inſtare precibus, eandemq́ poſtulationem iterare, ſeueriùs mihi reſpondit, dicens: Habes intra cellam tuam inimicũ meum & vis vt ingrediar? Et his dictis abſceſſit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam, num aliquod in mente peccatum cõtra illã admiſiſſem. neq́ enim erat alius aliquis in cella mea, niſi ego ſolus.

Diutius igitur me ipſum diſcutiens, nihil inueni, quod in illã peccaſſem. Cùm verò vidiſſem me nimio mœrore abſorberi, ſurgens accepi librũ, vt legerẽ, quo per huiuſmodi lectionem dolorẽ vnà cogitationeſq́ repellerẽ. Librũ autem ipſum acceperã mutuò à beato Heſychio presbytero Hieroſolymitanæ Eccleſiæ: Euoluenſq́ librũ, inueni duos impij Neſtorij libros in fine voluminis ſcriptos. Moxq́ agnoui hunc eſſe ſanctæ Dominæ noſtræ Dei genitricis, ſemperq́ virginis Mariæ inimicũ. Tunc ſurgens abij, librumq́ illi qui mihi eum accommodauerat, reddidi, dicens illi: Accipe librũ tuũ frater, neq; enim ex eo tãtum vtilitatis cœpi quantũ detrimenti. Cùm verò ille detrimenti ipſius cauſam ſciſcitaretur, omnem illi rei ordinẽ retuli. Qui zelo Dei ſuccenſus, protinus duos illos Neſtorij libros ex volumine præcidit, eoſq́ igni tradidit dicens: non manebit in cella mea Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis, ſemperq́ virginis Mariæ inimicus.

CAPVT X.

Libros Magicos & Iudiciarios interdictos eſſe.

REfert Glycas ex Euſebio, nonnulla opera nomen *Glyc. 2. p. annal.* Salomonis præ ſe ferentia fuiſſe concremata ab Ezechia Rege, ex quorum numero erant fortaſſis libri de Geniis; quibus docebat, *quo pacto è ſublimi deducantur, & qualibus formis appareant; explicans ſimul eorundem*

natu-

naturas & proprietates, & quo modo vinculis adſtringantur, certiſq́ locis adſueti abigantur; vt idem Glycas ex Pſello commemorat. Vidimus quoq; in Bauarica Bibliotheca librũ græcum hoc titulo: *Hygromantia Salomonis ad filium Roboam*; Quod librorum genus proculdubio ſpecioſo Salomonis titulo fucatum eſt; ac proindè meritò ab Ezechia abolitum, meritò & ab aliis pio Ezechiæ exemplo abolendum.

Diximus iam ſuprà ex Paulo & Vlpiano Iureconſultis, libros Magicos ab ipſis etiam Ethnicis fuiſſe vetitos & exuſtos; Sed nunc id in ſpecie pluribus exemplis demonſtremus. Quàm acriter in Magos & Magicos libros inquiſiuit Valens Imperator, etſi Arianus; licet fortaſſe non tàm deteſtatione noxiorum librorum, quàm odio in diuinatores & ariolos iſtos inflammatus; quod comitia de capite eius egiſſent. Excuſſis enim ſingulorum propemodum ædium latebris, *congeſti ſunt*, vt inquit Ammianus, *innumeri codices, & acerui voluminum multi ſub conſpectu Iudicum concremati, ex domibus eruti variis, vt illiciti, cum eſſent pleriq; liberalium diſciplinarum indices variarum & iuris.*

Ammian. lib. 29.

Imò multi non exſpectantes, dum huiuſmodi Codices apud ſe reperirentur, exploratores anteuerterunt, libroſq; illos aut exuſſerunt, (*inde factum eſt*, inquit Ammianus, *per orientales prouincias, vt omnes metu ſimilium exurerent libraria omnia*) aut in flumen abiecerunt; ex quo Ioanni Chryſoſtomo, tum adhuc iuueni, periculum creatum eſt, quod ipſe his verbis percenſet. *Mota eſt olim me adhuc adoleſcentulo, magna tyrannorum hoſtilitas: militibus etiam foris extra ciuitatem ad inſidias poſitis, fortè fortuitò libellos quærebant incantatorios & magicos. Et qui ſcripſerat librum, nondum perfectum, in flumen abiecerat, & captus, cùm poſtularetur ab eo, reddere non poterat, ſed ducebatur per totam ciuitatem vinctus. &*

S. Chryſo. Hom. 38. in Acta,

ſtus: & cùm ita accuſaretur, dedit pœnam. Tunc ergò ad Martyris Ædem proficiſci volens, tranſibam per hortos iuxta flumen cum alio quodam. Ille autem viſo libro, qui in ſuperficie fluebat: primùm quidem putabat linteum eſſe, propior autem factus, agnouit eſſe librum, & deſcendens recepit. Ego autem contemnebam, vt de communi inuento, & ridebam. Sed videamus, inquit, quidnam hoc ſit; Reuoluit partem paginæ, & inuenit ſcripta magica. Accidit autem eo tempore, militē tranſire, qui hoc animaduertens, abijt, & timere nos fecit Quis enim credidiſſet, quod è flumine ſumptum ſuſtuliſſemus, cū omnes tunc, etiam qui non ſuſpecti eſſent, detinerentur, & abijcere nō audebamus, ne videremur: Idem erat periculum, ſi ſcinderemus. Conceſſit igitur Deus, & abiecimus, & poſtea à periculis liberati ſumus.

De S. Cypriano hæc memoriæ prodidit S. Gregorius Nazianzenus: *Magicos libros publicè proponit; de imbecillitate perniciosi theſauri triumphum agit; amentiam prædicat; ingentem ex illis flammam excitat; diuturnamq; impoſturam, quæ ne vni quidem carnis flammæ opem adferre potuerat, igne abſumit, & à Dæmonibus ſecedit. Qui magiam admirati fuerant, volumina comburunt*, inquit S. Athanaſius de magis ad Chriſtianam fidem conuerſis. Eadem, quæ Nazianzenus, refert de Cypriano Photius in Bibliotheca ex oratione prima Eudociæ Imperatricis in Cyprianum martyrem.

Naz. in S. Cyprian.

S. Athan. lib. de incarnat.

Phot. vol. 184.

Libros Mathematicos, iudiciarios videlicet, flammis abſumi iuſſerūt Imperatores Honorius & Theodoſius hac lege: *Mathematicos, niſi parati ſint, codicib⁹ erroris proprij ſub oculis Epiſcoporum incēdio concrematis, Catholicæ religionis cultui fidē tradere, nunquā ad errorem primum redituri; nō ſolùm vrbe Roma, ſed etiam omnibus ciuitatibus depelli decernimus, quod ſi hoc non fecerint, & contra dementiæ noſtræ ſalubre conſtitutum in ciuitatibus fuerint comprehenſi, vel ſecreta erroris ſui & profeſſionis inſinuauerint, deportationis pœnam excipiant.*

L. Mathematicos, C. de Epiſc. aud. lib. 9. cod. Theo. vid. Pho. in Nomocan. tit. 9. ca. 25.

Morem exurendi libros iudiciarios indicauit quoq; S.

S. Aug. in Pſal. 61. Auguſtinus, loquens de Aſtrologo, quem ad meliorem mentem conuerterat. *Perierat iſte, nunc quæſitus, inuentus, adductus eſt: portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.*

Bull. 21. inter Sixtinas. Eoſdem libros iudiciarios, vt & Magicos, & ſuperſtitióſos, ſeuerè prohibuit Sixtus V. *prohibentes,* inquit, *omnes & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi iudiciariæ aſtrologiæ, Geometriæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, artis Magicæ, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incãtationes ac ſuperſtitiones, continentur, ac vt ſuprà in memorato indice* (Concilii Tridentini) *interdictos ſub cenſuris & pœnis in eo contentis à quibuscunq; fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis & Ordinariis locorum vel Inquiſitoribus præſentari & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus & mandamus, vt contra ſcienter legentes aut retinentes libros & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, Inquiſitores liberè & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire & coërcere poſſint.* Hæc Pontifex. Similia prius Index Cõcilii Trid. quẽ Pontifex citat.

Cùm Chriſtiani Gazenſes, Duce *S. P*orphyrio, *E*piſcopo ſuo, Marnium, templum Idololatricum, incendiſſent, vnà cum ſimulachris, quæ diligenter, etiam in ipſarum ædium latebris, inueſtigabant; *inueniebantur quoq; libri pleni præſtigiis & incantationibus*, inquit Marcus Diaconus, *qui ipſi quoq; eadem paſſi ſunt, quæ Dii ſui.* Marc. in vita S. Porphyr.

Capvt XII.

De libris Marcelli Ancyrani & Origenis.

MArcellus Ancyranus Epiſcopus librum à ſe contra Aſterium Arianum conſcriptum, iuſſus eſt ab Epiſcopis, qui Hieroſolymam ad Encænia conuenerant,

uenerant, tempore Conſtantini Magni, in ignem conii-cere, quod liber ille Sabellianiſmum ſapere videretur, ſiue vetitus fuerit, quod Epiſcopi illi Ario fauerent, animoq; iniquo ferrent Aſterium Arii ſectatorem à Marcello oppugnatum: Siue reuera Sabellii erroribus infectus fuerit, de quo hæc Socrates. *Marcellus dum Aſterio ex aduerſo ſe opponere volebat, in contrariũ errorẽ ipſe delapſus eſt. Nam Chriſtũ ſicut Paulus Samoſatenus, ſolũ hominẽ non dubitauit aſſerere. Quæ cùm Epiſcopi Hieroſolymis cõuocati intellexiſſent, Aſterii nullam rationẽ duxerunt, quandoquidem in numerum ſacerdotum non erat adſcriptus; ſed à Marcello, vtpote ſacris initiato, libri ab eo conſcripti rationẽ popoſcerũt. Vt primùm compererunt, eũ eandẽ cum Paulo Samoſateno opinionem tueri, præceperunt, vt mutaret ſententiam. Ille ad pudẽdum inductus, librum ſe combuſturum promittit, vbi verò Concilium cum feſtinatione dimiſſum erat (Imperator enim Epiſcopos Conſtantinopolim accerſiuerat) tandẽ de Marcelli cauſſa Conſtãtinopoli coram Euſebio, & aliis Epiſcopis, qui cũ eo erãt, denuò diſceptatũ eſt. Simulatq; verò Marcell⁹ recuſauerat, ſicut erat ante pollicitus, librũ illũ tam inconſideratè ſcriptũ comburere, Epiſcopi, qui aderant, eum de gradu Epiſcopatus deiiciunt, & Baſilium eius loco Ancyrã mittũt.* Hæc Socrates, quæ eũ ex falſis Arianorũ actis accepiſſe Baronius credit, cum à Iulio Rom. Pont. & à Synodo Sardicenſi poſtea innocẽs declaratus ſit; Verùm q̃d-quid ſit de hoc; nobis ſatis eſt, quod hîc etiã eluceſcit mos abolendi libros nouorũ & pernicioſorũ dogmatũ ſatores. *Socrat. li. 1. cap. 24.*

Nec decet, vt hoc loco prętereatur inuicta cõſtãtia Saluii Epiſcopi Albigenſis, cui cum Chilpericus Frãcorũ Rex, libellũ, in quo Sabellianismus continebatur, prælegeret, vt eum approbaret, blaſphemiã hanc *in tantum beatus ille abhorruit,* inquit Aimoinus, *vt ſi in eius fortè manibus deueniſſet, in partes ſciſſum minaretur igne cremare.* *Aim. l. 3. cap. 41.*

Libros Origenis, & quidem vniuerſos, interdictos eſſe

in Synodo Alexandrina ſub Theophilo Epiſcopo, teſta- Sulp. Dial. 1. cap. 2.
tur Sulpicius Seuerus his verbis: *Septimo die Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter Epiſcopos atq; Monachos certamina gerebantur, ex ea occaſione, quia congregati in vnum ſæpius ſacerdotes frequẽtibus decreuiſſe Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret aut haberet; qui tractator ſacrarum ſcripturarum peritiſſimus habebatur. Sed Epiſcopi quidam in libris ipſius inſanius ſcripta memorabant, quæ adſertores eius defendere non auſi, ab hæreticis potius fraudulenter inſerta dicebant: & ideo non propter illa, quæ in reprehenſionem meritò vocarentur, etiam reliqua eſſe damnanda, cum legentium fides facilè poßit habere diſcrimen, ne falſata ſequeretur, & tamen Catholicè diſputata retineret. Non eſſe autem mirum, ſi in libris neotericis & recens ſcriptis fraus hæretica fuiſſet operata, quæ in quibusdam locis non timuiſſet incidere Euangelicam veritatem. Aduerſum hæc Epiſcopi obſtinatius renitentes, pro poteſtate cogebant, recta etiam vniuerſa cum prauis, & cum ipſo auctore damnare, quia ſatis ſuperq; ſufficerent libri, quos Eccleſia recepiſſet, reſpuendam penitus eſſe lectionem, quæ plus eſſet nocitura inſipientibus; quàm profutura ſapientibus.* Hæc Sulpicius; qui non vna Synodo; ſed pluribus Origenis ſcripta anathemate percuſſa ait; Et ſi multi decreto huic morem minimè gererent, vel num gerendus eſſet, ambigerent. *præſtantißimi* enim & *doctißimi viri ferebantur in hoc certamine dißidere. Illud me admodum permouebat*, inquit apud Sulpicium Poſtumianus, *quòd Hieronymus vir maximè Catholicus, & ſacræ legis peritißimus, Origenem ſequutus primo tempore putabatur; quem nunc idem præcipuè, vel omnia, illius ſcripta damnaret.*

Sozom. l. 8. c. 14. Socrat. l. 6. ca. 9. Porrò cum Theophilus animaduerteret, tum demum damnationem librorum Origenis ex ſententia ſucceſſuram; ſi conſilii ſui approbatores extra Ægyptum adipiſceretur; litteras dedit ad Epiphanium Salaminæ in Cypro Epiſco-

Epiſcopum; vt ſuo quoq; ſuffragio Origenis opera proſcriberet: *Epiphanius iam olim auerſatus Origenis ſcripta, libẽter aſſentitur Epiſtolæ Theophili, & conuocato Epiſcoporum Cypriorum Concilio, lectionem librorum Origenis damnat; & perſcripto eorum ipſorum decreto, tum aliis, tum Conſtantinopolitano Epiſcopo* (Ioanni Chryſoſtomo) *ſuadet, vt Synodum conuocent, & eadem decernant.* Et hinc poſtea illæ turbæ & lacrymæ; cùm enim Chryſoſtomus, aliiq; cũ Chryſoſtomo Epiſcopi, obtẽperare nollent; variæ ſeditiones non ſine graui Eccleſiæ detrimento, inter Epiſcopos exortæ ſunt. Ex illorum autem numero; qui à partibus Chryſoſtomi ſtabant, vnus itidem erat Theotimus Scythiæ antiſtes, *qui Epiphanium*, vt ait Sozomenus, *in os perſtrinxit. Aiebat enim, nequaquam eſſe fas, eum, qui iampridem eſſet mortuus, afficere contumelia: neq; extra blaſphemiam eſſe maiorum cẽſuram calumniari, & quæ ab illis decreta ſunt, reprobare. Hæc cùm dixiſſet, librum quendam Origenis in medium profert ac recitat; & recitata Eccleſiis vtilia eſſe demonſtrans ineptum quiddam, inquit, his accidit, qui iſta vituperant; periculum enim eſt, ne ea ipſa damnent, de quibus hi libri conſcripti ſunt.* *Sozom. loc. cit.*

In vita S. Pachomii proditum eſt, eum execrari ſolitum eos Monachos, qui Origenis libros legerẽt. Eoſdem damnauit Anaſtaſius primus hoc nomine Pontifex, & ipſi Imperatores, teſte Anaſtaſio, cùm ait: *Illud quoque quod eueniſſe gaudeo, tacere non potui, beatiſſimorum Principum* (Arcadii & Honorii) *manaſſe reſponſa, quibus vnuſquiſq; Deo ſeruiens ab Origenis lectione reuocetur, damnandumq; ſententia Principum, quem lectio rerum profana prodiderit.* Ad idem Imperatorum edictum reſpicere arbitror S. Hieronymum, cùm ait: *Imperatorum quoque ſcripta, quæ de Alexandria & Ægypto Origeniſtas pelli iubent, me ſuggerente dictata ſunt.* *Apud Sur. tom. 3. Anaſt. epiſt. ad Ioan. Hieroſol. Tomo 1. epiſt. decre. p. 2. S. Hier. lib. 1 contra Ruff.*

Verũenimuerò hæc, quæ ex Sulpicio, Sozomeno, & So-

crate adduximus, improbantur à nonnullis tanquam dubiæ & ſuſpectæ fidei. Putant enim Theophilum, Epiphanium & alios, non damnaſſe Origenis libros, ſed errores: nec poſtulaſſe à Chryſoſtomo, vt libros, coacta Synodo, proſcriberet, ſed vt errores, quibus multi in Palæſtina & Ægypto infecti erant, & quotidiè magis magiſque inficiebantur: id liquet ex epiſtola S. Hieronymi ad Pammachium; & ex epiſtola Epiphanii ad Ioannem Hieroſolymitanum; *vbi nihil aliud à Ioanne exigitur; quàm vt erroribus Origenis valedicat; non autem, vt à lectione librorum eius deſiſtat.*

S. Hier. epiſt 61.

Sed & Hieroſolymis, cùm in Eccleſia poſt Ioannem idem Epiphanius loqueretur, hoc ipſum contendiſſe idem tradit S. Hieronymus, nimirum, vt Origenis peruerſa dogmata damnarentur; cuius hæc recitat verba: Æquum eſt, vt quomodo hanc hæreſim condemnamus, etiam Origenis peruerſa dogmata condemnemus. Sed & in epiſtolis vltro citroq; datis inter ipſum atq; Theophilum ſimulq; Hieronymum, *nihil præterea actum, niſi vt Origenis hæreſes damnarentur, ac ſimul cum eis, qui eiuſdem Origenis eoſdem ſectarentur errores. Nec aliud quidem accepit à Theophilo Epiphanius, niſi vt errores Origenis cum auctore ac ſectatoribus cõdemnaret: de libris autem ne verbum quidem. Nam ad ipſum ſcribens de celebrando in Cypro Concilio, & litteris Conſtantinopolim mittendis, vt hoc agat, admonet, nimirum, vt conſenſu omnium ipſe Origenes nominatim atq; hæreſes ipſius pariter damnarentur. Nec quicquam præterea in ſuis Paſchalibus Theophilus profeſſus eſt, qui non octo tantùm, ſed multo plures Origenis collegit errores. Nam de eo hæc Caſſiodorus. Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex, triginta quinq; ſenſus Origenis hæretica prauitate diſtortos, Catholica veritate conuicit. hæc ipſe. Sed nec etiam S. Hieronymus, de iiſdem frequentius agens de damnatione librorum omnium Origenis ſermonem aliquando miſcuit: immo ad Tranquillum ſcribens, eos abſq; crimine legi poſſe ſignificat,* hæc enim ſunt eius verba.

Apud S. Hier. epiſt. 67.

Caßiod. de lect. diuin. ſcript. ca 1.

Quod

Quod dicis Origenis multos errore deceptos, & ſanctũ filium meũ Oceanum illorum inſaniæ repugnare: & doleo ſimul, & gaudeo, dum aut ſupplãtati ſunt ſimplices, aut ab erudito viro errantibus ſubuenitur. Et quia meæ paruitatis quæris ſententiam, vtrũ ſecũdùm fratrẽ Fauſtinũ penitus reſpuendus ſit, an ſecundùm quoſdam legendus ex parte: Ego Origenẽ propter eruditionẽ ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianũ, Nouatum, Arnobiũ, Apollinarium, & nõnullos Eccleſiaſticos ſcriptores, Græcos & Latinos, vt bona eorum diligamus, vitemusque contraria, iuxta Apoſtolum dicentem: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete; cæterum qui vel in amorem eius nimium, vel in odium ſtomachi ſui prauitate ducuntur, videntur mihi illi maledicto Prophetico ſubiacere. Væ his qui dicunt bonum malum; & malum bonum, qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec enim propter doctrinam eius praua ſuſcipienda ſunt dogmata: nec propter dogmatum prauitatem, ſi quos commentarios in ſcripturas ſanctas vtiles edidit, penitus reſpuendi ſunt. S. Hier. epiſt. 76. 1. Theſ. 5. Iſaiæ 5.

Ad ea quæ ex vita S. Pachomii & ex Anaſtaſio Pontifice prolata ſunt; reſpondent, ea intelligenda eſſe, non vniuerſim, de omnibus Origenis operibus; ſed tantùm de libris περὶ ἀρχῶν, quos Ruffinus in latinum ſermonem tranſtulerat.

Cæterùm vtcunque iſta ſeſe habeant; mihi difficile creditu videtur, Hiſtoricos ſuprà laudatos & adductos, falſa pro veris prodidiſſe. Nam Sulpicius, quæ ſcribit; ex Poſthumiano, oculato teſte, acceperat; fuerat enim Alexandriæ, illo ipſo tempore, quo maximè feruebant iſtæ de Origine, eiuſque operibus contentiones. Sozomenum quoque & Socratem hæc litteris mandaſſe abſq; idoneo auctore; non facilè mihi perſuaſerim. Nam quod in Epiſtolis Theophili aut Epiphanii nihil

nihil de libris reperitur; id nihil eſt: hoc ipſo enim quod inſtabãt, vt damnarentur errores; inſtabant quoq;, vt damnarentur fontes errorum, qui erant Origenis libri. Et quamuis nonnulli ex illis nullos errores continerent; ſatius tamen arbitrabantur, vetare vniuerſos; ne quidam permiſſi accenderent etiam deſiderium impermiſſorum; dumq; in licitis Origenes placeret, placeret itidem in illicitis. Adde quod Gregorius Alexandrinus in vita Chryſoſtomi apud Photium, refert Theophilum à Chryſoſtomo petiiſſe, vt damnaret τὰ ὠριγένους quæ tàm ad ſcripta, quàm ad dogmata referri poſſunt. Et de Theophilo ait: καὶ τῶν ὠριγενείων ἀναγνωσμάτων, ἐν οἷς ἐκεῖνον διέβαλεν, οὐκ ἀπείχετο. *Non abſtinuit à lectione Origenis, propter quam calumniabatur Chryſoſtomum.*

Cùm verò decreta illa Theophili & Epiphanii aduerſus libros Origenis, fuerint particularium Antiſtitum & Conciliorum, mirum videri non debet, ſi aliis alia animo ſedit ſententia, præſertim S. Chryſoſtomo, S. Hieronymo, & id genus aliis doctiſſimis viris, qui Origenem legi poſſe cenſebant; hac tamen lege, vt recta ſeligerentur; praua vitarentur: neq; enim ſanctionibus particularium Epiſcoporum ſeſe adſtringi credebant: Certum autem videtur ab Anaſtaſio tantum interdictam eſſe lectionem librorum περὶ ἀρχῶν. Et fortaſsè illam duntaxat prohibuerũt Imperatores edicto ſuo.

S. Pachomius generatim omnium librorum Origenianorum lectionem & familiaritatem deteſtatus eſt. Liquet id ſat manifeſtè ex ipſa hiſtoria, cuius partẽ ſuo loco exſcribemus. Et in ſuo teſtamento omnium ſimpliciter hæreticorum familiaritatem prohibuit; quæ autem maior familiaritas, quàm in libris; vbi hæreticus cum orthodoxo lectore, multò efficacius colloquitur, quàm ſi res ſola voce tranſigatur. At

At quod S. Hieronymus & ex S. Hieronymo Caſſiodorus aiunt; deligendum ex Origene, quod probum; abijciendumq́;, quod malum; id non de omnibus intelligunt: ſed de illis, qui *butyrum & mel comederunt, vt ſciant reprobare malum, & eligere bonum*, ſecluſo tamen vniuerſalis Eccleſiæ interdicto; cui S. Hieronymus libenter adquieuiſſet. Nam quòd non à quibuſuis Origenem legi voluerit; planum euadit ex vltimis ad Tranquillum verbis: *Quod ſi contẽtioſum inter ſe amatores eius* (Origenis) *& obtrectatores ſunẽ duxerint; vt nihil medium appetant, nec ſeruent modum, ſed totum aut probent, aut improbent: libentius piam ruſticitatem; quàm doctam blaſphemiam eligam.* Caſſiodorus accommodat iudicium ſuum ad iudicium S. Hieronymi, exiſtimãs Origenem legi poſſe; ſed non ſine cautela: *Quod ſi adiutorio Domini adbibeatur cautela*, inquit, *nequeunt eius nocere venenoſa.* Etſi ſignificat nõ defuiſſe, qui omnia eius opera ſimpliciter reiicerent: *Poſteriores*, inquit, *in toto dicunt fugiendum; propterea, quia ſubtiliter decipit innocentes.* Qui ſenſus etiam ante S. Hieronymum & Theophilum Alexandrinum multis fuit; vt liquet ex initio Apologiæ Euſebii Cæſarienſis (Pamphilo Martyri falſò adſcriptæ) pro Origene, vbi dicit, quoſdam eo ſolùm nomine hæreticos eſſe iudicatos, quod Origenis libros lectitarent. Prohibuit tandem Gelaſius Pontifex libros Origenis, non omnes; ſed illos; quos S. Hieronymus iam olim reiecerat: *Origenis nonnulla opuſcula*, inquit Pontifex, *quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus, reliqua autem cum auctore ſuo dicimus eſſe renuenda.* Etſi iam inueterata conſuetudine introductum videtur; vt omnia Origenis opera, quæ exſtant vt & Tertulliani; paſſim ab omnibus legantur. Nam emortuæ iſtæ hæreſes, & ante tot annos ſepultæ; vix vlli amplius periculum creare putantur. Iidem libri interdicti ſunt in Quinta Synodo œcumeni-

S. Hier. epiſt. 76.

ca. ἀνεθεματίσθη αὐτὸς καὶ τὰ συγγράμματα αὐτοῦ, *damnatus eſt ipſe & ſcripta eius*, inquit Photius in Bibliotheca.

Capvt XII.

De libris Seuerianis à Iuſtiniano proſcriptis.

Vt libri Seueri, aliorumq́; hæreticorum prohiberentur edicto Imperatorio, petierunt Archimandritæ Conſtantinopolitani & Orientales ab Agapeto Pontifice, rogantes, vt ſua apud Imperatorem auctoritate interpoſita, id efficeret, *hortantes*, inquiunt, *Deo amatum Dominum noſtrum, vt ſanciat, ſicut illa impii Neſtorii, ita & iſta Seueri mente capti animæ incorruptibilia ſcripta, in ſanctam Chalcedonenſem Synodum, & in thronum ſancti Patris noſtri Leonis Archiepiſcopi blaſphemantia igni tradere: Nam per iſta dubiam fidem in animas ſimpliciorum facere ſtuduit, & ſubſannari fecit apud gentes magnum & venerabile nomen Chriſtianiſmi.* Hæc illi, quorum preces exauditæ fuerunt: hanc enim contra Seuerianos libros Iuſtinianus legem tulit.

Exſtat hic libell. in Synod. Cōſtantinop. ſub Mēna.

Cùm multis maledicis & prohibitis libris Rempublicam nobis referſerit (Seuerus) *in vniuerſum omnibus interdicimus, ne quid librorum eius comparent. Et quemadmodùm Neſtorii libros deſcribere aut comparare non licet, propterea quòd ante nos Imperatoribus in ſuis Conſtitutionibus videantur Porphyrij ſcriptis contra Chriſtianos editis ſimiles exiſtere, ita neque Seueri ſcripta dictave apud quenquam Chriſtianorum manento, ſed profana ſunto, & ab Eccleſia Catholica aliena, ignique comburuntor à poſſeſſoribus, niſi illis retinendis in periculum adduci velint. Præterea à nemine in poſterum deſcribantur, ſiue librarius aliquis, ſiue Notarius, ſiue quiſquam alius ſit: ſciens, quod illius dicta conſcribentibus abſciſſio manus in pœnam irrogabitur.* Græcè: γραφέσθω δὲ παρὰ μηδενὸς τὸ λοιπὸν, μηδὲ τῶν εἰς κάλλος, μηδὲ τῶν εἰς τάχος γρα-

Nou. 42. Citat Photius in Nomocā. tit. 9.

φόντων. Tachygraphi ſeu Oxygraphi ſunt Notarii: Calligraphi, Librarii; vt docet Cuiacius.

Cuiac. ad L. 6. ff. de excuſat.

Cæterùm, vt lector videat cuius genii & modi fuerint libri à Seuero profecti; & quàm meritò Iuſtinian⁹ tam ſeuero decreto in eos animaduerterit: vnum tantummodo, ſpeciminis & exempli gratia profertã ex S. Anaſtaſio Sinaita, *Patriarcha Antiocheno*; q à Seuero φιλαλήθης (alii ſcribũ φιλαληθὴς) *Amãs*, ſeu *ſtudioſ⁹ veri* inſcript⁹ erat. Ergo cũ Anaſtaſius in Opere aduerſus Seuerianos, aliosq́; hæreticos, quod ὁδηγὸν, hoc eſt, *viæ ducẽ* indigitauit; commemoraſſet; qua improbitate Seuer⁹ ſacras litteras tractarit, & ad peruerſas ſuas pſuaſiones detorſerit: hæc ſubiũgit Anaſtaſ.

Exſtat Græcè MS. in bibliothec. Auguſtana.

Καθεσθεὶς οὖν ἐκτίθεται αὐτοῖς βίβλον τὴν λεγομένην φιλαλήθη, μᾶλλον δὲ φιλομυθῆ. ἐν ᾗ ὡς οἷα κριτὴν ζώντων καὶ νεκρῶν ἑαυτὸν χειροτονήσας, πίνακα χρήσεων καὶ πατέρων συνέταξεν, οὓς μὲν θέλει δεξάμενος, οὓς δὲ πάλιν ἐκέλευεν ἐξεωσάμενος, ἥντινα βίβλον οὕτω δὴ κατέχουσι κατά τε αἴγυπτον καὶ συρίαν οἵ τε ἰακώβου καὶ σεβήρου, καὶ θεοδοσίου καὶ τιμοθέου καὶ διοσκόρου μαθηταὶ, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐχθροὶ ὑπὲρ αὐτὸ τὸ κατὰ ἰωάννην θεῖον εὐαγγέλιον, καὶ καθάπερ ὡς πρὸ βραχέος εἶπον, οἱ ἰουδαίων παῖδες πάσας τὰς μωσαϊκὰς καὶ προφητικὰς ἐκδόσεις ἀφέντες, τῇ ὑπὸ τοῦ ἀκύλα παραδόσει καὶ πλάνῃ στοιχοῦσιν· οὕτω δὴ καὶ οἱ σεβήρου καὶ ἰακώβου μαθηταὶ πάσας τὰς εὐαγγελικὰς καὶ γραφικὰς καὶ πατρικὰς χρήσεις αἱροῦνται μᾶλλον παραγράψασθαι καὶ διακρούσασθαι ἢ τὴν σεβήρου ἐν τῇ τοιαύτῃ βίβλῳ νομοθεσίαν. κἂν γὰρ αὐτοῖς πέτρον ἢ παῦλον παραγάγοις, κἂν εὐσέβιον καὶ γρηγόριον, κἂν βασίλειον, κἂν ἰωάννην, κἂν ἀθανάσιον, καὶ αὐτὸν τὸν μακάριον κύριλλον, κἂν οἱουδήποτε πατρὸς χρῆσιν ἢ σύνταγμα, οὐ πρότερον δέχονται τοῦτο ἄχρις ἂν ἐν τῇ νομοθεσίᾳ σεβήρου ἐπισκέψωσιν (λέγω δὴ ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ συνταγέντι βιβλίῳ τῷ λεγομένῳ φιλαλήθει). καὶ πρὸς τὴν αὐτοῦ κρίσιν καὶ ἐπιτροπὴν καὶ ἀπόφασιν ἢ δέχονται ἢ ἀπωθοῦνται τὸν διδάσκαλον καὶ τὴν τούτου φωνὴν, διδάσκαλον τῶν διδασκάλων, καὶ κριτὴν τῶν θαυματουργῶν καὶ ἐπιστήν. καὶ δοκι-

μαστὴν τῶν θεοφόρων ἀνδρῶν αὐτὸν καταστήσαντες. ταῦτα ἡμεῖς οὐκ ἐξ ἀκοῆς γράφομεν, ἀλλ' ἐκ πείρας πολλῆς τυγχάνοντες καὶ ἐν συρίᾳ καὶ ἐν αἰγύπτῳ, καὶ ἐν ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐν ἑτέροις τόποις, εἰδότες τοὺς τὴν μίαν φύσιν ἐν τῷ χριστῷ δογματίζοντας πᾶσαν γραφικὴν καὶ πατρικὴν λέξιν κατὰ τὴν νομοθεσίαν σεβήρου ἀνακρίνοντας καὶ ἑρμηνεύοντας.

Sedens igitur componit ſectatoribus ſuis librum, qui Amans veri ſeu potius Amans fabularum inſcribitur; in quo quaſi viuorum ſimul & mortuorum iudex eſſet; indicem ſententiarum & Patrum confecit, recipiens quos lubebat; ſimulque repudians quos lubebat. Quem librum in Ægypto & Syria Iacobi, Seueri, Theodoſij, Timothei & Dioſcori diſcipuli, Eccleſiæ hoſtes ita efferunt; vt etiam ipſi ſacroſancto Ioannis Euangelio præponant. Et quemadmodum Iudæi, prout paulò ante dictum, omnibus Moſaicis & Propheticis editionibus relictis, ſolius Aquilæ traditioni adhæreſcunt; ſic Seueri & Iacobi ſectatores omnes Euangeliſtarum, & Scripturæ & Patrum ſententias potius peruertunt & repudiant; quàm decreta Seueri, in eo, quem diximus libro. Siue enim illis Petrum vel Paulum adducas, ſiue Euſtathium & Gregorium, ſiue Baſilium, ſiue Ioannem, ſiue Athanaſium, & ipſum Beatum Cyrillum, ſiue cuiuſcunque patris dictum aut commentarium, prius non recipiunt, quàm decreta Seueri (librum quem Veri amantem inſcripſit, intelligo) conſuluerint; & ad eius iudicium, approbationem aut improbationem omnia aut probant aut improbant, eumque doctorem doctorum, & iudicem eorum, qui miracula patrarunt, examinatoremque & approbatorem virorum, qui numine pleni erant, conſtituunt. Hæc nos non ex auditu, ſed experientia multa edocti ſcribimus, quippe qui in Syria, & in Ægypto, Alexandriæ, & alibi verſati ſumus, certi eos, qui vnam in CHRISTO *naturam ſtatuunt, vniuerſa Scripturæ & Patrum dicta ad Seueri præſcriptum exigere & interpretari.* Hæc de Seueri libro S. Anaſtaſius.

Qui

Qui etiam eodem in loco docet, vndenam Seuerus hæreſin ſuam hauſerit; nimirũ ex lectione librorum Manichæorum, Marcioniſtarum, & ſimilium. *Dicendum eſt breuiter,* inquit Anaſtaſius, *ex quibus hæreſibus priſcisq́ draconibus venenum iſtud ſuxerit. Manichæorum enim, Valentinianorũ, Marcioniſtarum & Arianorũ libris Eutyches nimis deditus*, inde perſuaſionem ſuam hauſit, & ad poſteros ipſumque Seuerum tranſmiſit. Ex quo exemplo perſpicuè eluceſcit, libros peſtiferos iure optimo prohiberi, & exterminari, ne etiam longo pòſt tempore lectoribus exitium creent.

Idem Imperator Iuſtinianus Nouellam edidit, qua lingua legi debeant ſacra Biblia in Iudæorum Synagogis: vbi permiſsâ Hebraicâ, & ſeptuaginta ſeniorum, & Aquilæ, aut etiam Latina, aut alia editione, ſic tandem infit: *Quæ verò deuteroſis, quaſi ſecundaria traditio, ab ipſis dicitur in vniuerſum interdicimus, vt quæ ſacris libris comprehenſa non ſit, neque deſuper tradita per Prophetas, ſed excerpta quædam virorum contineat, qui terrena duntaxat loquantur, neque quidquam in ſe diuini habeant numinis.* Tantam curam Iuſtinianus geſſit, vt improbos libros nę improbis quidem Iudæis permittere voluerit. Addam & hoc, quod Anaſtaſius Sinaita de Seuero notat; eum peruerſo ſuo ſcripturas interpretandi ſtudio Alexandrinis ſuis tradidiſſe, quaſi δευτέρωσιν, τὴν περιέχουσαν τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνευτῶν τὴν ἀναίρεσιν καὶ τοῦ θείου νόμου κατάλυσιν. *quæ ſeptuaginta interpretum editionem tollat; diuinamque legem penitus diſſoluat*; vt proinde Seuerus maluerit ſuos eſſe ἰουδαιόφρονας, quàm Chriſtianos. Nou. 146.

CAPVT XIII.

Libri mali à Leone Magno, Gelaſio, Tiberio Cæſare, Synodo ſexta & ſeptima, & à Gregorio magno prohibiti aut aboliti.

S.Leo epiſt.ad Turib.cap.15.

LIbros Priſcillianiſtarum proſcripſit S. Leo, & vt Turibius Aſturicenſis Epiſcopus proſcriberet, author fuit: *Nos iſtud veracium teſtium relatione comperimus*, inquit S.Leo, *& multos corruptiſſimos eorum codices, qui Canonici titularentur, inuenimus, quomodo enim decipere ſimplices poſſunt, niſi venenata pocula quodam melle prælinerent, ne vſquequaq́ ſentirentur inſuauia, quæ eſſent futura mortifera? Curãdum ergo eſt, & ſacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falſati codices, & à ſincera veritate diſcordes in nullo vſu lectionis habeãtur. Apocrypha autem ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarũ habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atq; ignibus concremandæ. Quamuis enim ſint in illis quædam, quæ videantur ſpeciem habere pietatis, nunquam tamen vacua ſunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione ſeductos, laqueis cuiuscunq́ erroris inuoluant. Vnde ſi quis Epiſcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel ſub Canonicorum nomine eos codices in Eccleſia permiſerit legi, qui Priſcilliani adulterina ſunt emendatione corrupti, hæreticum ſe nouerit iudicandum; quoniam qui alium ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat.*

Can.ſancta Rom.d.15.

Edidit quoque Gelaſius Pontifex Indicem in Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum, quo libros probos à noxiis ſecernit, illorumque lectionem fidelibus permittit, horum vetat. Exſtat decretum hoc apud Gratianum, alioſq; ſacrorum Canonum collectores.

Librum Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani, quem

quem de reſurrectione carnis magis ad Origenis, quàm ad Catholicæ diſciplinæ normam ſcripſerat, flammis adiudicauit Tiberius, vt ſcribit S. Gregorius. Etſi combuſtus nõ eſt ob repẽtinum Eutychii obitum, cum quo ſimul ipſe liber obiiſſe videbatur; Licet Luitprandus Epiſcopus Cremonenſis, in Legatione ſua Conſtantinopolim librum Eutychii à S. Gregorio orthodoxè combuſtum eſſe ſcribat, vt & Leo IX. Pontifex, cuius hæc verba: *Eutychius, quia dogmatizabat humanum corpus in reſurrectione impalpabile futurum, & vento aëreq; ſubtilius, à beato Gregorio tunc Diacono, ita eſt conuictus, vt in præſentia piæ memoriæ Tiberii Imperatoris codices dogmatis eius iuſtis flammis traderentur.* S. Gre. l. 14 Mor. c. 19. Ioan. Diac. lib. 1. de vita S. Greg. Leo lib. ad uerſus præſum. Mich. Epiſc. Conſtan c. 8.

In Synodo ſexta rogo addicti ſunt libri Monothelitarum. In ſeptima Synodo damnatus eſt communi omnium Patrum conſenſu liber, qui inſcribebatur *Itineraria Apoſtolorum*; quemque Hæretici in conciliabulo Conſtantinopolitano aduerſus imagines citarant.; *Si videbitur,* ait Ioannes Preſbyter, *Sanctiſsimus & vniuerſali Synodo, pronuncietur ſententia, ne quis amplius eum librum deſcribat impurum & impium. Sancta Synodus dixit, Nemo amplius deſcribat: nec id ſolùm, ſed & dignum iudicamus, qui Vulcano committatur.* Et Canone nono eiuſdem Concilii Nicæni damnantur omnia commentaria & ſcripta contra venerandas imagines edita. Apud Balſamonem ſic habet iſte Canon: *Puerilia omnia ludibria, furioſaq; dicta ac ſcripta, quæ aduerſus ſanctas imagines edita ſunt, oportet dari Epiſcopo Conſtantinopolitano, vt cum hæreticis libris reponantur. Si quis autem hæc celare inuentus fuerit, ſi ſit quidem Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur, Sin autem Laicus vel Monachus, ſegregetur, id eſt, excommunicetur.* Syn. 6, act. 13. Balſ. com. in 7, Syn.

Quærit Balſamon; *cur cum leges iubeant Hæreticorum libros comburi, Canon iſte mandet, vt reponantur Conſtantinopoli*

in Epiſcopio. Reſpondet his verbis. *Idem eſt comburi profana & impia hæreticorum ſcripta, & in Conſtantinopolitano Epiſcopio reponi. Neq; enim ſi combuſta fuerint, legentur, nec ſi in eiuſmodi tuto & inacceſſo loco reponantur, ab vllo aſpicientur. Qui ergò ea combuſſerit, & in Epiſcopio non repoſuerit, nòn tenebitur canone, vt qui non contrà fecerit.*

Græcè ſic habet Canon prædictus. Πάντα τὰ μειρακιώδη ἀθύρματα καὶ μανιώδη βακχεύματα τὰ ψευδοσυγγράμματα κατὰ σεπτῶν εἰκόνων γενόμενα δέον δοθῆναι ἐν τῷ ἐπισκόπῳ κωνσταντινουπόλεως, ἵνα ἀποτεθῶσι μετὰ τῶν αἱρετικῶν βιβλίων. εἰ δέ τις εὑρεθείη ταῦτα κρύπτων, εἰ μὲν ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, καθαιρείσθω. εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μοναχὸς, ἀφορίσθω. In quæ verba Zonaras. οἱ κατὰ τῶν ἁγίων λυσσήσαντες, καὶ εἴδωλα ταῦτα καλοῦντες, καὶ συγγράμματα συνεγράψαντο συγκροτοῦντα τὴν δόξαν αὐτῶν ἅτινα ἡ ἁγία αὕτη σύνοδος ὠνόμασε μειρακιώδη ἀθύρματα, ἤγουν παιδικὰ παίγνια, καὶ μανιώδη βακχεύματα, αἱ βάκχαι χορὸς ἦσαν γυναικῶν μαινομένων ἀκολουθοῦσαι τῷ διονύσῳ ὁ δὲ διόνυσος θεὸς τοῖς ἕλλησι ἐνομίζετο ἔφορος τῆς μέθης, μεθύων κἀκεῖνος καὶ παράφορος ὤν. ὥσπερ οὖν αἱ βάκχαι ὑπὸ μανίας κρατούμεναι οὐδὲν σωφρόνως ἐποίουν, ἀλλ' ἐμμανῶς ἐκινοῦντο, οὕτως καὶ τοὺς τὰ συγγράμματα * ἐκείνους ποιήσαντας οἱ τῆς συνόδου λέγουσι κινηθῆναι. *Qui contra ſanctas imagines inſaniunt, easq; idola vocant, compoſuerunt etiam ſcripta nonnulla ad propriam opinionem confirmandam accommodata; quæ ſacra Synodus nominauit iuuenilia crepundia, hoc eſt, pueriles ludos; & furioſas debacchationes. Erant autem Bacchæ cœtus mulierum inſanientium, Bacchi comitum. At Bacchus apud Ethnicos habebatur Deus, Ebrietatis præſes, ebrius ipſe & amens. Quemadmodum igitur Bacchæ furore inſtinctæ nihil moderatè agebant; ſed furioſè agitabantur: ita etiam auctores librorum aduerſus imagines agere & agitari Synodus affirmat.*

For, ἐπισκοπείῳ.

Zon M.S. in Bibliot. Bauarica.

*For. ἐκεῖνα.

Can.63. Inter Trullanos Canones reperitur & hic. Τὰ ψευδῶς ὑπὸ τῶν τῆς ἀληθείας ἐχθρῶν συμπλασθέντα μαρτυρολόγια,

ὡς

ὡς ἂν τοὺς τοῦ Χριστοῦ μαρτυρίας (leg. τῶν τοῦ Χριστοῦ μάρτυρας) ἀτιμάζοιεν, καὶ πρὸς ἀπιστίαν Χριστοῦ ἐνάγοιεν τοὺς ἀκούοντας, μὴ δημοσιεύεσθωσαν, ἀλλὰ πυρὶ παραδιδόσθωσαν. τοὺς δὲ παραδεχομένους, ἢ ὡς ἀληθέσι τούτοις προσέχοντας, ἀναθεματιζόμεθα. Martyrologia mendaciter à veritatis hoſtibus confiċta, vt Chriſti Martyres dedecore afficiant, & auditores ad infidelitatem abducant, non euulgentur, ſed igni tradantur. Eos verò, qui illa recipiunt, aut vt veris fidem commodant, anathemati ſubijcimus. Quem canonem citat & explicat Zonaras; & Balſamon ad eundem hæc notat: *Vitam S. Paraſceues* (colunt autem Græci duplicem hoc nomine, vt patet ex Menologiis) *ineptè à quodam fuiſſe conſcriptam; eaq́ de cauſſa à Nicolao Patriarcha, igni adiudicatam eſſe, delecto doctiore, qui aptius res geſtas ſanctæ illius litteris mandaret.*

Zonar. in can. 60. Apoſt.
Balſ. in ca. cit.

Cùm Anaſtaſius presbyter Iſaurus in ſuſpicionem hæreſeos incidiſſet, ob librum, in quo plurima continebantur hæretica, ꝓhibuit S. Gregor. Magnꝰ, ne librũ illũ deinceps legeret, cũq; ꝓmiſiſſet, ſe à lectione illiꝰ ſibi temperaturũ, ſimulq; Catholicæ fidei profeſſionẽ obtuliſſet, cõmunioni Catholicorũ, Apoſtolica auctoritate, reſtitutus eſt. Ex qua D. Gregorii Epiſtola illud itẽ obſeruandũ, tantũ crimen habitũ eſſe, ſi quis libros hæreticos legeret, domiq; ſuæ retineret, vt ex hoc vno, tanquã hæreticus damnaretur. Nã Ioannes Epiſcopus Cõſtantinopolitanꝰ, nulla alia de cauſa, illũ Anaſtaſium in hæreticorũ numerũ retulerat, quàm quia apud ipſum Codicẽ hæreticũ repererat. *Qui ſæpè à nobis admonitus,* inquit de Ioanne S. Gregorius, *reſcribẽs innotuit, codicẽ apud te fuiſſe inuentũ, in quo plurima continebantur hæretica, & ob hæc ſe aduerſus dilectionem tuam fuiſſe commotum.*

S. Greg. li. 5. epiſt. 64.

Inter cætera, quæ Theodorus Studita in Theoctiſto Anachoreta reprehenſa ſcribit; hoc etiã vnum erat, ꝙ librũ quẽdam impiũ, qui Antonii nomine ferebatur, legeret ac retineret. Purgauit tamẽ ſe Theoctiſtꝰ; ꝙ clarũ ex epiſtola

Theod. lib. 2. epiſt. 167 apud Bar. tom. 9. ann. Chr. 825.

Theodori ad eundẽ; vbi hæc leguntur. *Quintum de libro, qui dicitur Antonij, quod dicas eum recipiendum, in quo ſunt multa impia & blaſphema; ſicut ipſi legentes cognouimus: & hoc, quoniam à te reiici confiteris, tanquam alienum ab Eccleſia Dei, neq; illum amplius habiturum, neq; lecturum, neq; eos, qui tecum ſunt; bene habet.*

Capvt XIV.

Liber quidam Photij Romæ & Conſtantinopoli damnatus & exuſtus. Et plura huius generis exempla.

SCripſit Photius librum contra Romanam Eccleſiam & Nicolaum primum hoc nomine pontificem: q; liber, depulſo à ſede Conſtantinopolitana Photio, miſſus eſt à Baſilio Imperatore, & Ignatio legitimo Patriarcha ad Adrianum II. Pontificem, vt ſcribit Gulielmus Bibliothecarius in vita Adriani, quem legati his verbis Pontifici obtulerunt. *Quem precamur, ſuſcipientes rimamini, & fraudulentiam, quam inſontibus Conſtantinopolites noſter verſipellis Photius inferre potuit, ex eo, quod in hanc ſanctam Romanam Eccleſiã non habentem maculam neq; rugam, aut aliquid huiuſmodi, audacem linguam exacuit, prorſus aduertite: & quid Eccleſia Dei de hoc latrocinio ſit ſentiendum, quod ſub nomine Synodi furtim ab eo confictum eſt, palam omnibus promulgate.*

Exſt. ad ſinem Anaſt. Bibliothecarij nuper editi.

Et cùm pontifex annuiſſet, vt liber Photij diſcuteretur, *Egreſſus Metropolita, librum exhibuit*, inquit Gulielmus, *& in terrã præcipitauit, imprecando illi dicens: Tu maledictus Conſtantinopoli, ſis Romæ iterum maledictus. Te miniſter Diaboli Photius nouus Simon, mendoſus compilator, optauit. Te miniſter Chriſti Nicolaus nouus Petrus, veritatis amator, attriuit. Et Spatharius calce ſuo, enſeq; librum percutiens, nihilominus ait: Credo in hoc opuſculo Diabolus habitat, quia per os complicis ſui Photij ea, quæ per ſe dicere nequit, eructat.*

Poſt

Poſt aliqua idem Gulielmus. *Tunc Summus pontifex vtriuſq; linguæ peritis librum ſcrutandum per aliquot dies decreuit; & omnia, quæ in eo continebantur, coram Synodo fideliter propalari, quæ vbiq; omnia ſtrenuè perſcrutata eſt. Nam venerabilis pontifex, adnitente omni ſenatorio, populariq; conuentu, apud beatiſsimum Petrum Apoſtolum in defenſionem ſuæ Eccleſiæ, Deceſſoriſq; ſui ſacrum conciliũ conuocauit. Et primò quidem per Legatos Conſtantinopoleos veritate luculenter audita, deceſſorũ ſui ſuper huiuſmodi literas leges, ſiniſtram ipſius famam purgauit. Deinde Photium cum conciliabulo, compliciburſq; ſuis, tertio anathamate perculit. Ad extremum verò cæterorũ ſubſcriptionibus & ſententiis roboratum, præ foribus graduum nefandi dogmatis librum, cunctorum pedibus conculcatum, exuſsit. Quem nimirũ rogus, in fomentũ quoddam, ignis excepit, & pane antequam ſemiuſtum credi potuiſſet, cũ magno fœtore, piceoq; colore conſumpſit. Et cùm fortè ſocus inundatione pluuiæ naturaliter debuiſſet exſtingui, ad pluuiã, quaſi ad guttas olei flamma conualuit, & in laudes Dei, ſanctiſsimiq; Papæ Nicolai ſimulq; Adriani ſummi pontificis miraculi ſtupor tam latinorum, quàm Græcorum corda reſoluit.*

Pari modo poſtea Conſtantinopoli actũ eſt cum ſcriptis & Conciliabulo Photij aduerſus Nicolaũ primũ. *In hanc Synodum* (octauã œcumenicam) inquit Gulielmus, *Photius ille peruaſor de multis criminibus perpetratis rationẽ redditurus adducitur. Oẽs Epiſtolæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contra eum prolatæ leguntur, &c. inq; ipſi' conſpectu nefandiſsimi conciliabuli prophanata volumina, quibus contra ſanctiſsimũ Papam Nicolaũ ſuſurra fauce latrauerat, igne combuſta, veritatis innocentiæq; lampas emicuit.* Hæc de cauſſa Photij Gulielmus Bibliothecarius; ſeu Anaſtaſius.

De exuſtione Chirographorũ, quę Photius ab Epiſcopis & clero ꝑ ſe contra S. Ignatiũ legitimũ Patriarchã extorſerat; deq; libris aduerſus Nicolaum Pontificẽ calumnioſè ſcriptis; hęc leguntur in Actis octauę Synodi; *Tunc iubẽte Baſilio Chriſti amico & magno Imperatore, poſitũ eſt in medio Synodi vas*

æneum plenum igne, & delati ſunt in marſupio à Theophylacto reuerendiſsimo Diacono & Referendario omnes tomi chirographorum, qui exacti ſunt à Photio ab omni ſacro cœtu, & omni ordine clericorum tam magnæ Eccleſiæ, quã earũ quæ foris ſunt, &c. Inſuper & libri, qui mendaciter cõſcripti ſunt contra beatiſsimũ Nicolaũ Papam, & geſtorũ relationes ac Synodi, quæ contra ſanctiſsimũ Patriarcham Ignatiũ facta ſunt à Photio. Et accipiens Georgius reuerẽdiſsimus Orphanotrophus ſingulos libellos & tomos, tribuit hominibus vtrorũq; ſcriniorum vicariorum, qui miſerunt omnia in ignem & cremata ſunt, & redacta in nihilum.

Ext. Tom. 6. Bibl. SS. PP. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus in canonib. ſuis prohibuit *Apocalypſin Pauli, & ea, quæ dicuntur Brontologia, & ſelenodromia, aut calandologia; quæ ſuſcipere non oportet; Profana enim ſunt omnia*, inquit. Et Canone 4. *Apocalypſin Eſdræ & Zoſimæ, & duo ſancti Georgii Martyria, & ſanctorũ Martyrum Quirici & Iulittæ, librumq; Marci & ſucceſſoris, ſuſcipere non oportet: reijcienda hæc, non admittenda.* Videntur autem *Brontologia* iſta & *Selenodromia* ad aſtrologiam iudiciariam ſpectaſſe, ac propterea à Nicephoro interdicta fuiſſe.

Adeò autem omnibus olim inſitum erat malos libros retineri non poſſe, vt Bulgari recens ad fidem conuerſi; inter cætera hoc etiam ζήτημα Nicolao primo Pontifici propoſuerint, quid cum libris Saracenis, quos cum cæteris ſpoliis adepti fuerant, agendum eſſet. *De libris profanis*, inquit Nicolaus, *quos à Saracenis vos abſtuliſſe, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum ſit, inquiritis: qui nimirum non ſunt reſeruandi: corrumpunt enim, ſicut ſcriptum eſt, mores bonos colloquia mala: ſed vtpote noxii & blaſphemi igni tradendi.* *Nicol. Pontif. ad conſult. Bulg. cap. 103. 1. Cor. 15.*

Cùm Nicolaus Pontifex audiſſet, *opus beati Dionyſij Areopagitæ, quod de diuinis nominibus vel cœleſtibus ordinibus Græco deſcripſit eloquio, quidam vir Ioannes genere Scotus in Latinum tranſtuliſſet*, mandauit, vt opus ad ſe mittere-

teretur, eo quod Ioannes ille, licet multæ ſcientiæ eſſe prædicaretur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur; vt Apoſtolico ſuffragio liber ille vel approbaretur, vel improbaretur. Adeò vigilantiſſimus paſtor diligentẽ operã dedit, ne quid damni per libros importaretur Eccleſiæ. *Refert Iuo 4.p.c.104.*

In Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice; cum lectis impii Aldeberti Hæretici ſcriptis, Zacharias Pontifex quæſiuiſſet ex Synodi patribus: *Quid ad hæc ſancti fratres reſpondetis? Reſponderunt Epiſcopi & Presbyteri. Quid aliud agendum eſt, niſi vt omnia, quæ coràm nobis lecta ſunt, igne concrementur: auctores verò eorum, anathematis vinculo percellantur? Zacharias Sanctus Papa dixit; optimè prouiſum eſt à veſtra Sanctitate, vt conſcripta illius omnia, igne concrementur. Sed opportunum eſt, vt ad reprobationem in ſcrinio noſtro conſeruentur, ad perpetuam confuſionem.* Hæc Pontifex: nam moris fuiſſe, vt exemplaria nõnulla librorum Hæreticorum tuto in loco cuſtodirentur; liquet quoq; ex Concilio altero Nicæno; dequo iam capite ſuperiore. *Eadem in vita S. Bonifacii.*

Ad eadem Aldeberti ſcripta reſpexit hæc lex inter capitularia Caroli Magni: *Pſeudographæ & dubiæ narrationes, vel quæ omninò contra Catholicam fidem ſunt: vt epiſtola peſſima & falſiſſima: quam tranſacto anno, dicebant aliqui errantes, & in errorem mittentes, quod de cœlo cecidiſſet; nec credantur, nec legantur; ſed comburantur, ne in errorem pro tali ſcripto populus mittatur: ſed ſoli canonici libri & Catholici tractatus, & Sanctorum auctoritates & dicta legantur & tradantur.* *Lib. 1. leg. Franc. cap. 78.*

In Concilio III. Toletano damnatur à Patribus libellus, in quo Ariana dogmata inerant: *Quicunq; libellum deteſtabilem duodecimo anno Leouigildi Regis à nobis editum, in quo continetur Romanorum ad Arianam Hæreſin traductio, & in quo gloria patri per filium in ſpiritu Sancto, & quo malè à nobis inſtituta continentur, hunc libellum ſi quis pro vero habuerit, anathema ſit*

ma ſit in æternum. Hæc patres, corrigétes, quę Hiſpaniis Ario infectis malè ſcripſerant & vulgauerant.

Tritem. in Chron. Sponheim. Anno 1479. condemnatus fuit apud Moguntiam, vt inquit Trithemius, *Ioannes Ruchard de VVeſſalia ſuperiore, & ad reuocationē quorūdam articulorum, quos in Eccleſia VVormatienſi publicè prædicaſſe ferebatur, per Doctorem & inquiſitorem coactus, cuius volumina ipſo inſpectante omnia igni tradita & combuſta ſunt.* *Cæſar. li. 5. cap. 22.* Cæſarius de libris Hæreticorum Albigenſium: *Libri Magiſtri Dauid & libri Gallici de Theologia perpetuò damnati ſunt & exuſti.*

Quin adeo omnibus perſuaſum erat, libros noxios prohibendos & abolendos eſſe; vt & ſyngraphas iniquas diuini numinis placandi gratia concrematas eſſe proditum ſit, vt & alias ſcripturas ratione non legitima conceptas & vulgatas. Pulchrum huius rei exemplum *Greg. li. 5. hiſt Franc. cap. 35.* memorat Gregorius Turonenſis de Chilperico Francorū Rege, & Fredegūde Regina: cùm enim grauiſſimis flagellis diuinitus caſtigarentur, exiſtimarunt, id quod res erat, pœnas illas ideò à Deo ſibi irrogari, quòd colligendarū opum gratia, ſubiectum populū nimis premerent & attererent. *Quapropter Regina, Venite, aiebat, incendamus omnes deſcriptiones iniquas. Sufficiat fiſco noſtro, quod ſuffecit patri, Regiq; Clotario. Hæc effata Regina pugnis verberans pectus, iuſſit libros exhiberi, qui de ciuitatibus ſuis per Marcum venerant, proiectusq; in ignem; iterum ad Regem conuerſa: Quid tu, inquit, moraris? Fac quod vides à me fieri, vt etſi dulces natos perdimus, vel pœnam perpetuam euadamus. Tunc Rex compunctus corde tradidit omnes libros deſcriptionum igni, conflagratisq; illis, miſit qui futuras prohiberet deſcriptiones.*

Sub Stephano Pontifice huius nominis quarto, anno Chriſti DCC.LXIX. flammis tradita fuerunt omnia acta

Conſtantini Pſeudopapæ, de quo hæc Anaſtaſius. *Tunc combuſtis omnibus eius actionum geſtis, ſimul & Concilium illud, quod in ſcriptis de eius quaſi confirmatione editum fuerat, combuſſêre in medio Presbyterij ipſius Eccleſiæ.*

Cùm Bonifacius hoc nomine II. Pontifex Romanus Clerum adegiſſet, vt, ſe adhuc viuente & vidente, Vigilium Diaconum ſibi ſucceſſorem daret; conſcripta in eum finem conſtitutione, ſingulorumq; chirographo ſubſcripta; tandem pœnitentia ductus eſt; quod videret hæc Canonibus aduerſari. Itaq; , vt quod malè factum fuerat, expiaret *ipſum Conſtitutum*, vt ait Anaſtaſius Bibliothecarius, *in præſentia omnium ſacerdotum & Cleri & Senatus incendio conſumpſit.* Et Agapetus Pontifex, vt refert idem Anaſtaſius, libellos anathematis, quos extorſerat Bonifacius Preſbyteris & Epiſcopis contra Canones, & contra Dioſcorum *in medio Eccleſiæ, congregatis omnibus, incendio conſumpſit.*

Anaſtaſius in Boni.

Anaſt. in Agapeto.

Capvt XV.

Libri in Chriſtum & Chriſtianam religionem iniurij, Iudæis quoq; prohibiti fuerunt; deq; libris Mahometanis à Franciſco Ximenio Archiepiſcopo Toletano concrematis.

IN legibus VViſigothorum ſeuerè interdicitur, ne Iudæi legãt illos libros, quos Chriſtiana fides repudiat: neue illos cuiquã interpretentur, tam Doctoribus, quàm auditoribus pœna non leui decreta. Verba legis hæc ſunt. *Illis commodare lectionibus ſenſum, quibus fas non eſt præbere aſſenſum, impietatis eſt potius, quàm pietatis indicium. Et ideo, ſi quis Iudæorum libros illos legerit, vel doctrinas attenderit, ſiue habitos in domo ſua celauerit, in quibus malè contra Chriſti fidem ſentitur; & publicè decaluabitur, & centenorum flagellorum verberatione plectetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne vn-*

Lib. 12. leg. VViſigoth. leg. 11.

ne vnquam talium libros, aut doctrinas apud ſe aut habere præſumat, aut attendere audeat, aut ſtudiis meditandi aſſumat. Iam verò ſi poſt emiſſum placitum, quodcunq; tale repetere tentauerit, & decaluatus centenis flagellis ſubiaceat, & amiſſis rebus ſub perpetui exilij conteretur ærumna: vt quia iam ſecundo viſus eſt erroris ſui iteraſſe veſtigium, perenniter illis res eorum deſeruiant, quibus principali fuerint collatione conceſſa. Hæc & ſimilia illi percipient, qui quemlibet infantium præſumpſerint talia docere, id eſt, vt doctor ipſe iniquitatis in prima transgreſſionis fronte deprehenſus & centenis ſubiiciatur decaluandus verberibus & placiti ſui polliceatur cautione ſe talia vlteriùs neminem debere docere. Quod ſi primææ huius ſponſionis maculans fidem contingat illi, ea, quæ abiecerat repedare, omni facultate in principis poteſtate redacta, ipſe decaluatus, centenisq; verberibus adiudicatus, perpetuo erit exilio relegandus. Infantes tamen vel pueri tunc erunt à ſupradictis damnis atq; verberibus alieni, ſi hanc perfidiæ doctrinam intra decem annos ætatis ſuæ poſiti meditaſſe fuerint viſi. Cæterùm ſi poſt exemptos decem annos quiſquam illorum talia attendere, vel meditari præſumpſerit, ſuperioris conſtitutionis damna vel verbera ordine ſuperius adnotato ſuſtineat.

Nec ſilentio prætereundum eſt inſigne factum Franciſci Ximenii Archiepiſcopi Toletani; qui Mahometanæ perfidiæ exſtirpandæ in regno Granatenſi, aliisq; Hiſpaniæ locis intentus, in id quoq; diligenter incubuit; vt libri, quibus ſuperſtitio illa tradebatur, abolerentur. *Ergò Alſaquinis* (ſic Mauri Antiſtites Sacrorum nominant) *ad omnia obſequia eo tempore exhibenda promptis*, inquit Aluarus Gomecius, *Alchoranos, id eſt ſuæ ſuperſtitionis grauiſſimos libros, & omnes cuiuscunq; auctoris & generis eſſent, Mahumetanæ impietatis codices, facilè ſine edicto, aut vi, vt in publicum adducerentur, impetrauit. Quinq; millia voluminum ſunt fermè congregata, quæ variis vmbilicis, Punica arte & opera diſtincta, auro etiam*

Gomez. li. 2. de rebus geſt. Franciſci Ximen.

etiam & argento exornata, non oculos modò, ſed animos quoque ſpectantium rapiebant. Multi eis ſe donari à Ximenio petierunt, ſed nemini quidquam conceſſum eſt, ignibus omnia, publica in pyra, ad vnum exuſta præterquam aliquot ad rem medicam pertinentia, cuius gens illa non ſine magno profectu, ſtudioſiſſima ſemper fuit, quæ propter ſaluberrimæ artis dignitatem, ex incendio illo liberata, in Bibliotheca Complutenſi nunc ſeruantur.

CAPVT XVI.

Libri Iudaici exuſti.

CVM libri Thalmudici non ſolùm contumelias & blaſphemias in Chriſtum multas & execrabiles, verumetiam ſanctiones & præcepta plurima, contra ipſam, quam Iudæi profitentur, legem Moyſis, & contra omne ius gentium, atq; omnia naturæ decreta, cōtineant, viſum eſt ſummis Pontificibus, aliiſq; Chriſtianæ Reipub. Principibus, inquit Sixtus Senenſis, *vt tam nefariæ doctrinæ lectio atq; vſus omnibus Iudæis, qui ſub ditione Chriſtianorum viuūt, interdiceretur, & omnes libri Thalmudici, toto Chriſtianorum orbe ignibus traderentur: quod etiam ſæpè factum eſſe nonnulli fide digni ſcriptores teſtantur, inter quos Bernardus Luzenburgius in Catalogo hæreticorum libro 2. refert, Gregorium Pontificem eius nominis nonum, anno Domini M. CCXXX. omnia Thalmudica volumina flammis adiudicaſſe: atque idem iterum feciſſe Innocentium Papam eius nominis quartum, anno ſalutis noſtræ M. CCXLIV. Rurſus cū eadem volumina à Iudæis inſtaurata fuiſſent, & auxilio artis impreſſoriæ in infinitum penè numerum propagata, Iulius Papa tertius nouo edicto promulgato inquiri iuſſit, & anno M.D.LIII. cùm feſta Tabernaculorum à Iudæis, Septembri menſe celebrarentur, per omnes Italiæ vrbes exuri. Paulus Papa IV. vnà cum ſacroſancto Romanæ Inquiſitionis ſenatu M.D.LIX. rurſum idem fieri iuſſit, & Thalmudicos libros inter ſcripta ab Eccleſia Catholica damnata annumerari voluit.* Sixt.lib. 2. Biblioth.

Reprehendit deinde Sixtus Petrum Galatinũ, quod in primo de arcanis catholicæ veritatis libro defenſionem Thalmudicorum voluminũ ſuſceperit, affirmaritq; Thalmudica opera in latinum verti debere, & publicè in ſcholis Chriſtianorũ explicari. Addit Sixt⁹ ex ſola Cremonẽſiũ Iudæorum ſynagoga, anno Dñi M.D.LIX. mandante Inquiſitione *duodecim Thalmudicorum Codicum millia* exuſta eſſe.

In Indice librorum damnatę lectionis, hæc à Pio IV. ſancita ſunt. *Thalmud Hebræorum, eiusq; gloſſæ, annotationes, interpretationes & expoſitiones omnes, ſi tamen prodierint, ſine nomine Thalmud, & ſine iniuriis & calumniis in religionem Chriſtianam, tolerabuntur.* Hæc olim. Sed poſtea Clemens IIX. ſimpliciter Thalmud vetuit: *Mens ipſius non eſt*, inquit nouus Index, *eos propterea vllatenus etiam ſub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi, ſed ſpecialiter & expreſſè ſtatuit & vult, vt huiusmodi impii Thalmudici, Cabaliſtici, aliiq; nefarii Hebræorum libri, omninò damnati & prohibiti maneant & cenſeantur.*

Ibidem ſola lingua Hebræa permittitur liber Magazor inſcriptus. *Sciant Epiſcopi librum Magazor Hebræorum, qui continet partem officiorum & Cæremoniarum ipſorum & Synagogæ, Luſitanica, Hiſpanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quauis alia vulgari lingua præterquam Hebræa, editum, iam diu ex ſpeciali decreto rationabiliter prohibitum eſſe.*

Porrò libri Iudæorum, qui nihil contra Chriſtum aut Chriſtianã Religionẽ continẽt, tolerari poſſũt, vt docet etiam Caietanus; at reliqui, de quibus iã diximus, meritò abolentur & exterminãtur. Et quãuis Iudæorũ cultus toleretur non eſt tamen eadem ratio impiorũ voluminũ, *quia cultus Iudæorũ*, vt inquit Caietanus, *eſt quaſi teſtis fidei noſtræ ſicut figura veritatis, & vmbra corporis; & ideò meritò tolerãdus: libri autem iſti directè blaſphemi ſunt, & totaliter mendaciis pleni contra fidẽ* Iesv *Chriſti: & propterea nõ tolerãdi ſunt, ſi ſupprimi poſſũt.* Sed reuertamur ad Hæreticos.

Caie. 22.q. 10, art. XI.

CA-

CAPVT XVII.

Libri VViclephi & Huſſ damnati, rogoq; adiudicati.

IN Concilio Conſtantienſi confirmatur decretum Archiepiſcoporum Cantuarienſis & Eboracenſis in Anglia, & Pragenſis in Bohemia; itemq; patrum Concilij Romani paulò ante Conſtantienſem Synodum celebrati, à quibus interdicta fuerat lectio librorum Ioannis VViclephi. Decretum Synodi Conſtantienſis ita habet. *In nomine domini noſtri IESV Chriſti hæc ſancta Synodus ſententias prædictorum Archiepiſcoporum, ac concilij Romani ratificans & approbans, prædictos articulos, & eorum quemlibet, libros eiuſdem Dialogum & trialogum per eundem Ioannem VVicleph nominatos, & alios eiuſdem auctoris libros, volumina, tractatus & opuſcula, quocunq; nomine cenſeantur, quos hic haberi vult pro ſufficienter expreſſis, hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat. Et eorundem librorum, & cuiuſlibet ipſorum lectionem, doctrinam, expoſitionem & allegationem, niſi ad eorum reprobationem; omnibus Chriſti fidelibus prohibendo inhibemus omnibus & ſingulis catholicis ſub anathematis interminatione, & ne de cætero dictos articulos, vel ipſorũ aliquem audeant publicè prædicare, dogmatizare, tenere, aut quomodolibet allegare, niſi ad eorum reprobationem, vt dictum eſt, iubens illos libros & tractatus, volumina & opuſcula prælibata publicè concremari, prout decretum fuerat in Synodo Romana, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Super quibus exequendis & debitè obſeruandis mandat prædicta Synodus ordinariis locorum vigilanter intendere prout ad quemlibet pertinet, ſecundùm iura & canonicas ſanctiones.* *Concil. Conſtant. ſeſſ. 8.*

Cęterùm quæ hîc paucis attinguntur de Epiſcopo Pragenſi, fuſius alij referunt in hunc modum. *Epiſcopus Pragenſis orienti calamitati obniã ire cupiens priuſquã amplius debaccharetur,* *Naucl. generat. 47. Æneas Syl. cap. 35. Hiſt Boem.*

Cochlæus lib. 1. hiſt. Huſſit. Iacob. Picolomin. lib. 6. comment. VValdenſ. Tom. 2. doct. 6.

retur, libros Ioannis VViclephi ad ſe ferri, omneſq; Doctorum conſilio adhibito, publicè concremari iuſſit, ſupra ducenta volumina plerunq; auro tecta. Idem præſtitum ab Academia Oxonienſi, *quæ*, vt inquit VValdenſis, *per publicum duodecim electiſſimorum virorum decretum, pluſquam ducentarum hæreſum dogma VViclephi deleuit, & codices concremauit.*

Vtinam funditus oboliti fuiſſent, antequã in Bohemiam perferrentur. Nam à libris VViclephi florentiſſimo Bohemiæ regno peſtis & exitiũ venit. Nam vt dicitur in diſputatione Catholicorũ cum Rockyzana Huſſita. *tempore VVenceslai* (Regis) *Dominus Deus permiſit in terram, quod Sacerdotes fuerunt infecti ex libris VViclephi, qui venerunt ad illam terrã per quoſdam ſtudentes, qui miſſi fuerunt ad Oxoniã ad ſtudiũ, & ibi conquiſitis libris, falſauerũt litteras commendatitias per VViclephũ, & ad Bohemiam deportauerunt: & ita his & aliis cœperunt legere.*

Extat hæc diſp. tom. 3. antiq. lectionum, D. Henrici Caniſii.

Fuſius & elegantius hæc Æneas: *Sub hoc Rege* (VVenceslao) *perfida Huſſitarum inſania ortum habuit. Rexerant ſcholam Pragenſem, vſque in ea tempora Teutones. Id moleſtiſſimum Boëmis fuit, &c. Ex quibus vir quidam nobilis ex domo, quam putridi piſcis vocant, apud Oxoniam Angliæ ciuitatem litteris ſtudens cùm Ioannis VViclephi libros offendiſſet, quibus de realibus vniuerſalibus titulus inſcribitur, magnoperè illis oblectatus, exemplaria ſecum attulit. Inter quæ de Iure ciuili, deq; diuino, de Eccleſia, de diuerſis quæſtionibus contra clerum, pleraq; volumina, veluti precioſũ Theſaurum patriæ ſuæ intulit. Imbutus iam ipſe VViclephitarũ veneno, & ad nocendum paratus, tum quod erat familiæ ſuæ cognomen, putridum piſcem, id eſt, fœtidum virus in ciues ſuos euomuit. Commodauit autem ſcripta, quæ attulerat, his potiſſimè, qui Teutonicorum odio tenebantur: inter quos omnes Ioannes eminuit, obſcuro loco natus ex villa Hus, quod anſerem ſignificat, cognomentum mutuatus. Hic auidè admodum doctrinam VViclephitarum arripuit.* Et in concionibus *multa de libris VViclephi in medium*

um attulit, aſſerens in eis omnem veritatem contineri: adiiciensque crebrò inter prædicandum, ſe poſtquam ex hac luce migraret, in ea loca proficiſci cupere, ad quæ VViclephi anima perueniſſet. Scribit Dubrauius libro vigeſimotertio Hiſtori. Bohem. Huſſum maximè gloriatum eſſe VViclephi libro, cui titulus erat, Alethea, *ſeu Veritas, per Antiphraſin videlicet,* inquit Dubrauius.

Sed Sbinco Archiepiſcopus, & alii malo gliſcenti absq; mora occurrere tentarunt; etiam incendio VViclephicorum Codicum. cuius facti narratio adeo pupugit Rockizanam, in prædicta diſputatione; vt in hæc verba erũperet. *Minus iuſtè damnatus fuit VVicleff in libris ſuis, & Zvvineck Archiepiſcopus Pragenſis combuſſit libros ſuos, hoc fecit ſicut homo ignarus; imò de ipſo fuit cantio &c. & poſtea iuit ad Hungariam ad Regis Bohemiæ fratrem, & ibi peſte eſt conſumptus.* Ad quæ Hilarius partes Catholicas defendens; *Quidquid fecit Zvvineck de illis libris, fecit maturè, & habuit homines doctos Doctores, & Capitulum, ſine quibus nihil faciebat.* Obſeruanda eſt autem ſtultitia Rockizanæ; qui mortem illam Archiepiſcopi arbitratur fuiſſe pœnam inflictam à Deo ob libros VVicklefi flammis traditos; quaſi nullus vnquam peſte moriatur aut mortuus ſit; niſi qui Hæretici alicuius libros exuſſerit; vt proinde ex tali occubitu, tanquam ex ſigno certo, liceat colligere. præſulem illum piaculum commiſiſſe; cùm VVicklephi libros concremauit. Sed pingui Mineruâ ratiocinari, veterum & recentiorum Hæreticorum proprium eſt.

In manu ſcripto quodam Codice, in quo cùm alia, tum ſententia condemnationis in Ioannem Huſs Conſtãtiæ lata continetur: hoc interdictum aduerſus Huſsi libros reperi: *Libros prædictos, & ſuam doctrinam, & ſingulos tractatus, & opuſcula in latino ſiue vulgari Boëmico per ipſum edita,*

edita, aut in quæcunq; alio idiomate per alium vel alios tranſlata, hoc ſacroſanctum Concilium reprobat atq; damnat, ipſosq; comburendos ſolenniter & publicè in præſentia Cleri & populi in ciuitate Conſtantienſi & alibi decernit & definit, adiiciens propter præmiſſa omnem eius doctrinam meritò eſſe, & fore ſuſpectam de fide, & ab omnibus Chriſti fidelibus, euitandam, & vt de medio Eccleſiæ illa pernicioſa doctrina eliminetur; hæc ſancta Synodus prorſus iubet per locorum ordinarios, tractatus & opuſcula huiuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, &, ſi opus, cum adiectione pœnæ & fautoria hæreſis diligenter inquiri, & repertos ignibus publicè concremari. Si quis autem huius decreti violator ac contemptor exſtiterit, ſtatuit eadem ſancta Synodus per locorum ordinarios & inquiſitores hæreticæ prauitatis contra talem vel tales veluti ſuſpectum vel ſuſpectos de hæreſi procedendi.

Porrò cùm non obſtante Concilii Conſtantienſis decreto, multi in Bohemia & Morauia libros Wiclephi & Huſſi ſtudiosè lectitarent, denuò eosdem proſcripſit Martinus V. in Bulla quadam Conſtantiæ data: vbi inter cætera ſic loquitur Pontifex. *Et quia, (ſicut dolenter accepimus) non ſolùm in regno Bohemiæ, & Marchionatus dominiis, & locis ſupra dictis, verumetiam in quibusdam partibus & prouinciis contiguis ſeu vicinis eiſdem, etiam nonnulli ex ſectatoribus & ſequacibus hæreſum ac errorũ hæreſiarcharũ prædictorũ &c.* (V Viclephi Huſſi) *Dominũ Deum blaſphemare nõ ceſſant, &c. quorũ mentes pater mendacii ſic damnabiliter excæcauit, vt prædictos libros, codices & opuſcula, hæreſes & errores continentes ſeu continentia, dudum etiam per Synodum præfatam damnatos & damnata, ac ignibus concremanda deputata & concremata, legant, ſtudeant, ac ex eis in ſuum & multorum ſimplicium periculum nedum contra ſtatuta, decreta, & ordinata in Synodo ſupradicta, ſed etiam contra Canonicas ſanctiones dogmatizare præſumant, in animarum periculum &c. nos igitur attendentes, quod error, cui non*

Extat in Bullario pag. 49.

reſiſti-

reſiſtitur, approbari videtur, &c. Diſcretioni veſtræ. &c. committimus & mandamus, quatenus vos, &c. omnes & ſingulos, &c. qui articulos ſeu libros & doctrinas præfatorum Hæreſiarcharum Ioannis VViclephi, Ioannis Huß, & Hieronymi, per eandem Conſtantienſē Synodum cum ſuis auctoribus damnatos & damnatas, tenere, credere ac dogmatizare, &c præſumpſerint, &c tanquam Hæreticos iudicetis, & velut Hæreticos ſæculari curiæ relinquatis.

Et in inſtructione, quam idem Pontifex præſcripſit examinandis hæreticis aut de hæreſi ſuſpectis. nonum caput huiuſmodi eſt: *Vtrum habeat in ſua poteſtate aliquos tractatus, opuſcula, epiſtolas, vel quæcunq; alia ſcripta, in quocunq; idiomate per Ioannem VVicleff, Ioannem Huß, & Hieronymum Hæreticos ſeu eorum pſeudodiſcipulos & ſequaces editos vel tranſlatos edita vel tranſlata, quod illos vel illa ordinario loci vel eius commiſſario ſeu Inquiſitori ſub iuramento præſentet. Quod ſi apud ſe ſcripta huiuſmodi ſe habere non cognouerit, ſed alibi, quod iuret illa circa ſuum ordinarium, vel alios ſupra dictos infra certum terminum ſibi præfigendum deponere. Item*; & hic eſt decimus articulus, *vtrum ſciat aliquem vel aliquos habentes præfatorum tractatus opuſcula, epiſtolas, vel quæcunq; alia ſcripta, in quocunq; idiomate compoſita ſiue translata, quòd illum vel illos detegat, vel manifeſtet pro purificatione fidei, ſiue executione iuſtitiæ.*

Inter articulos accuſationis Hieronymo Pragenſi in Concilio Conſtantienſi obiectos, hic etiam vnus erat. *Quando Archiepiſcopus Pragenſis ex commiſſione ſedis Apoſtolicæ præcepit, omnes ad ſe deportari libros VViclephi, Hieronymus præcepti eius contemptor, intulit eos Collegio Caroli, ac publicè intimauit, ſe doctrinas eorundem librorum defenſurum eſſe.* Item iſte. *Alios quoq; Magiſtros ad defendendum docendumq; vetitos illos libros induxit, non ſolum in Collegio Caroli & in nigra Roſa; verum etiam alibi, quaquaverſum in Vniuerſitate Pragenſi.* *Exſt. apud Cochlæum l.3. Hiſt. Hußit.*

Inter

Apud Cochl. l. 4. Hiſt. Huſſit.

Inter articulos à Patribus Concilii Conſtantienſis præſcriptos pro reductione & conuerſione Huſſitarum ab Hæreſi; etiam iſti leguntur. *Vt tractatus Ioannis VVicklephi tranſlati in vulgare per Ioannem Huß & Iacobellum, atq; alii per ipſos in vulgari editi, in quibus errores ſuos poſuerunt: omnes & ſinguli reponantur ad manus Legati vel Ordinarii ſub pœna excommunicationis: quia illis non ablatis, non ceſſabunt errores. Vt tractatus Ioannis Huß Hæretici condēnatus in hoc ſacro Concilio* (Conſtantienſi) *ſub pœna excommunicationis reponatur apud eosdem. vt omnes tractatus Iacobelli ſub compoſitione de vtraq; ſpecie, & de Antichriſto, in quo Papam vocat Antichriſtum, reponantur & comburantur. Et ſimiliter tractatus editus per ipſum de remanentia panis poſt conſecrationem in altari.*

Iidem Huſſitæ, vt venenum ſuum latius propagarent, & imperiti quoq; vulgi imis medullis inſtillarent; fecerūt id, ꝙ eorum fratribus Lutheranis & Caluinianis hodie etiam in vſu poſitum eſt: cantilenas hæreſi ſua infectas, Cleriq; & rerum Eccleſiaſticarum deteſtatione refertas diſſeminarunt; vt in circulis & triuiis decantarentur, ſicq; rudis plebecula exitiale virus non ſine oblectatione combiberet. Quare inter cætera hæreſi tollendæ medicamenta hoc itidem præſcriptum eſt à Patribus Concilii Conſtantienſis: *Vt omnes cantilenæ introductæ in præiudicium ſacri Concilij, & virorum Catholicorum cuiuscunq; ſtatus, qui VVicklephiſtis obſtiterunt & Huſſitis, vel cantilenæ in commendationem Ioannis Huß, vel Hieronymi Hæreticorum condemnatorum prohibeantur in omnibus ciuitatibus, villis & oppidis, & quibuscunq; manſionibus decantari, ſub grauiſſima pœna.*

Inter articulos Hieronymo Pragenſi obiectos; XI. & XII. ſic ſonant. *Quo latius VVicklephi hæreſin propagaret, verba Canonis* (Miſſæ) *per cantilenas Bohemicas inuulgari fecit; vt etiam ruſtici credant ſe, ſi verba conſecrationis pronuncient; conficere*

cere poſſe corpus Chriſti, non minus quàm ſacerdotes, idque ſingulis horis, quando libet. Effinxit & alias diuerſas cantilenas in vulgari Bohemico, è Biblię & Euangeliorum verbis ſenſuq; contextas, pro confirmatione ſuæ hæreſeos (en morem & genium Lutheranorum) *vt per eas laici ſui ſacram ſcripturam melius noſſe & intelligere viderentur, quàm cæteri Chriſtiani.* Habes & hic ideam Lutheranæ factionis & conſuetudinis. Cùm Archiepiſcopus *Pragenſis* libros VViclephi exuſſiſſet; ſtatim res in cantionem abiit; quæ laudem VViclepho, Archiepiſcopo odium conciliaret; cuius cantilenæ meminit Rockizana Huſſita in Colloquio cum Orthodoxis habito; de quo paulò ſupra. *Libris combuſtis Ioannes Huſs*, inquit Cochlæus, *Coch. lib. 1. hiſt. Huſſit.* *vt Archiepiſcopo iniuriam rependeret, ita & odioſum & contemptibilem eum ſuis detractionibus populo reddidit, vt plerique partium ſuarum laici vulgares & ironicas in optimum Patrem cantiones confingerent ac decantarent in publico: Suuinick Kraſeby Spalil. propter eam librorum combuſtionem. Et adeò increbruit ea cantionum contumelioſa frequentia, vt Rex VVenceslaus publico dignatus ſit prohibere edicto, ne amplius decantarentur eiuſmodi cantilenæ, ſub pœna capitali, omniumq; bonorum amiſſione.*

Refert Cochlæus ex Huſſitico quodam ſcriptore Huſſum, dum ad locum ſupplicii duceretur, non ſine pileo papyraceo, eoque præalto, videretque in cœmeterio libros ſuos comburi, ſubriſiſſe *propter eam ſtultitiam*; vt ait ſcriptor ille. *Cochl. li. 1. hiſt. Huſſ.* Sed riſus verè Sardonius fuit; nec in pectore; ſed in labris natus: nec à ſapiente; ſed à ſtulto profectus; aliàs factum illud ſtultitiæ minimè inſimulaſſet. Conqueritur Illyricus in Catalogo teſtium veritatis, quod de VValdenſium hæreticorum dogmatis nullus antiquior commentarius ſuperſit; cauſſamque defectus huius refert in Pontificios. *Valde*, inquit, *mirum ac dolendum eſt; nullum paulò vetuſtius eorum ſcriptum exſtare: ſed cauſſa indicatur in quibuſdam*

budam commentariolis Apocalypſis, Lutheri opera euulgatis, quæ fortè ab aliquo eius ſententiæ homine ſcripta olim ſunt. Indicat enim ille bonus vir (ſcilicet) *quiſquis eius libelli auctor eſt, Papiſtas, & præſertim Monachos ſummo ſtudio talia ſcripta conquiſiuiſſe ac oppreſſiſſe.* Meritò ô Illyrice: quia huiuſmodi peſtes tenebras merentur, non lucem; pyram, non Bibliothecam.

Capvt XVIII.

Libri Hæretici, nominatim Lutherani, à Leone X. Pontif. Max. à Carolo V. Imperatore; Et ab aliis Epiſcopis, principibus & Academiis interdicti; flammiſq; addicti.

Cum Leo X. Pontifex Max. ſub quo Lutherus extitit; animaduerteret, perfidiam impij Apoſtatæ quotidie longius ſerpere: medicinam morbo adhibendam cenſuit: Itaque edita & vulgata conſtitutione, non modò Lutheri articulos omni impietate plenos, condemnauit: Sed & libros eiuſdem hæreſiarchæ ex Apoſtolica auctoritate ſub grauiſſimis pœnis proſcripſit; Verba Pontificis hæc ſunt: *Inſuper quia errores præfati, & plures alij continẽtur in libellis ſeu ſcriptis cuiuſdam Martini Lutheri, dictos libellos, & omnia dicti Martini ſcripta ſeu prædicationes, in latino, ſeu quocunque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores, ſeu eorum aliquis continentur, ſimiliter damnamus, reprobamus, atque omnino reiicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis (vt præfertur) haberi volumus; mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnis prædictis eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne huiuſmodi ſcripta, libellos, prædicationes ſeu Schedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos ſupradictos continentia legere*

Exſtat in Bullario conſt. 35.

legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere, per ſe vel alium vel alios, directè vel indirectè, tacite vel expreſſè, publicè vel occultè, aut in domibus ſuis ſiue aliis publicis vel priuatis locis tenere quoquo modo præſumãt: quinimo illa ſtatim poſt harum publicationem vbicunque fuerint, per ordinarios & alios ſupradictos diligenter quæſita, publicè & ſolenniter in præſentia Cleri & populi, ſub omnibus & ſingulis ſupra dictis pœnis, comburant.

Infra. *Inhibemus præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda vel edenda, ſeu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atq; ideo vehementer ſuſpecta, & vt eius memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſiue defendere, per ſe vel alium, vel alios, directè vel indirectè; tacitè vel expreſſe, publicè vel occultè, ſeu in domibus ſuis, ſiue aliis locis, publicis vel priuatis tenere quoquo modo præſumãt, quinimo illa comburant, vt præfertur.* Hæc pontifex in Bulla anno Domini, M.D.XX. data, quæ ferè repetuntur in eiuſdem pontificis conſtitutione trigeſima ſeptima.

Cęterum pœnæ; quarum pontifex meminit, ſunt iſtæ. Quoad omnes; *Excommunicatio maior latæ ſententiæ.* Quoad Eccleſiaſticas, & Regulares perſonas; *Epiſcopalium omnium; etiam Patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoq; & prioratuum etiam conuentualiũ, & quarumcunque dignitatum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſæcularium, aut quorumuis ordinum regularium priuatio, & inhabilitas ad illa, vel alia in poſterum obtinenda.*

Quoad conuentus, capitula, ſeu domos aut pia loca ſæculariũ vel regulariũ, etiã Mendicantiũ; nec non vniuerſitates, etiã ſtudiorum generaliũ, *priuatio & amiſſio quorumcunq;*

cunque priuilegiorum indultorum à Sede Apoſtolica, aut eius legatis; aut aliâs quomodolibet habitorum vel obtentorum cuiuſcunque tenoris exiſtant, nec non nominis & poteſtatis ſtudium generale tenendi, legendi ac interpretãdi quaſuis ſcientias & facultates, & prætereà inhabilitas ad illa, & alia in poſterum obtinenda. Quoad ſæculares, *amiſſio cuiuſcunq; emphyteuſeos ſeu quorumcunq; feudorum tàm à Romana Eccleſia, quàm aliâs quomodolibet obtentorum; nec non inhabilitas ad illa & alia in poſterum obtinenda.* Denique indiſcriminatim quoad omnes: *priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitas ad omnes & ſingulos actus legitimos, infamia, ac diffidatio, & crimen læſæ maieſtatis; & omnes pœnæ hæreticorum, eorundemq; fautorum in iure expreſſæ.*

Hoc ſummi Paſtoris quaſi claſſico excitati Principes tam Eccleſiaſtici; quàm politici, itemque variæ Academiæ, Lutheri libros vetuerunt; flammisq; vltricibus addixerunt: in primis Carolus Cæſar, qui publicauit edictum VVormatiæ 8. die Maii. Anno M. D. X XI. in quo præter cætera de libris quoq; hæreticis abolendis hæc decreuit. *Mandamus inſuper vobis omnibus & ſingulis præfatis ſub eiſdem prænominatis pœnis, ne quis Martini Lutheri ſcripta à ſummo Pontifice authoritate ſua Apoſtolica (vt præmittitur) damnata, aut alia quæcunq; tàm latino, quàm Alemannico, ſeu alio quouis idiomate ab eo hactenus compoſita, vel in poſterum componenda, vtpote mala, ſuſpecta, & à notorio & peruicaciſſimo hæretico prouenientia, emere, vendere, tenere, legere, deſcribere, imprimere, aut deſcribi vel imprimi facere: aſſerere, ſuſtentare, prædicare, defendere præſumat. Non obſtante quod in illis etiam aliqua bona (ad fallendas ſimplicium mentes) immixta eſſent: in quo præter iuſtam. Sedis Apoſtolicæ ſententiam, etiam laudatiſſimam veterum Patrum inſtitutionem & conſuetudinem omnino exequendam duximus. Qui Arrianorum, Priſcillianiſtarum, Neſtorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia, tàm bona, quàm*

Exſtat apud Cochlæū in fine comment. de actis & vita Lutheri. & D. Ioann. Baptiſtam Ficklerum in Theologia Iuridica.

mala

mala promiſcuè exuſſerunt & annihilarunt.

Neq; id immeritò. Nam ſi optimi quiq; cibi vnius tantum guttæ veneni, quo humanum corpus læderetur, infuſione, ſuſpecti penitus ſunt abiiciendi: quanto magis ea ſcripta, quibus tanta & tam noxia animabus venena paſſim inſerta ſunt, non ſolùm nobis cauenda ſunt, ſed etiam ne aliis noceant, prorſus deſtruenda & corrumpenda, atq; ab omni hominum memoria veniunt obliteranda. Accedit ad id, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à ſanctis Patribus, quos Eccleſia recepit & approbauit, ſæpè dictũ & ſæpius repetitum, abſq; vllius periculi, aut mali ſuſpicione legi & haberi poteſt. Eapropter ſub iiſdem pœnis omnibus & ſingulis ſuprà dictis, vos omnes, & quilibet veſtrum tàm Principes, quàm alii, ad quos iuſtitiam quomodolibet pertinet miniſtrare, & alii quicunque in vniuerſo imperio, Regnis & Dominiis noſtris conſtituti huiuſcemodi peſtiferos Martini libros tàm Alemanicos, quàm latinos, impreſſos & imprimendos, aut etiam manu ſcriptos, vbicunq; reperiantur (vtpote magnæ ſeditionis, ſchiſmatis, hæreſeos in Eccleſia Dei fomites) diripiẽdos & publico igni conſumẽdos penituſq; abolendos effectu curetis, Apoſtolicisq; Nũciis, ſeu eorũ cõmiſſariis, ſi operam veſtram ad hanc rem requiſierint, fideliter & diligenter aſſiſtatis. Et nihilominus in eorum abſentia per vos ipſos, hæc ſic fieri noſtro nomine & iuſſu, omninò & reipſa faciatis. In quo omnibus fidelibus dilectis ſubditis noſtris, vt vobis ac nobiſmetipſis aſſiſtant & pareant, tenore præſentium ſub eiſdem pœnis iniungimus & mandamus.

Verùm quia maximè cauendum eſt, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala, ſuppreſſo, aut etiam mutato authoris nomine publicentur. quia etiam non ſine magna animi noſtri offenſa multos quotidiè videmus, cùm alibi, tùm maximè in Germania componi & imprimi libros, pluribus malis traditionibus & exemplis refertos; & ne non omni aſtu & dolo humanæ naturæ hoſtis Chriſtianis la-

quecos tendat multos, paſſim diuulgari picturas & imagines non in opprobrium modò priuatarum perſonarum, ſed & ipſius ſummi Pontificis & ſedis Apoſtolicæ contumeliam excogitatas, ex quibus omnibus libris & picturis Chriſti fideles in maximos tam in fide, quàm in vita & moribus prolabuntur errores, & non ſolùm priuata odia, ſcandala & ſimultates (prout experientia docet) multis in locis exorta fuerunt, Verum etiam ſeditiones, tumultus, rebelliones, ſchiſmata in regnis, prouinciis & populis, atque vniuerſa Dei Eccleſia (niſi prouideatur) iam excitanda formidantur: Idcirco ad hanc pernicioſiſſimam peſtem extinguendã, ex ſupradictorum Electorum, & ſtatuum concordi animo & ſententia, omnibus & ſingulis ſupradictis, tam Imperiali, quàm hæreditario iure nobis ſubditis, ſub iam ſæpè dictis omnibus pœnis præcipimus & mandamus, ne quis huiuſmodi famoſos & peſtilentes libros, ſeu quaſcunque ſchedas, ſcripturas, imagines, picturas contra orthodoxam fidem, bonos mores, & id quod ſancta Romana Eccleſia hactenus obſeruauit: atq; etiam inuectiuas, criminationes & ignominias contra ſummum Pontificem, ſedem Apoſtolicam, prælatos, principes, Vniuerſitates ſtudiorum & eorum facultates, honeſtaſque perſonas componere, ſcribere, imprimere, depingere, vendere, emere, tenere, habere, aut imprimi, deſcribi, depingi, vel vendi facere, quauis arte aut dolo audeat aut attentet.

Quinimo ſub eiſdem pœnis iubemus omnibus & ſingulis ſupradictis, & præſertim illis, qui iuſtitiæ miniſterio præſunt, vt eiuſmodi libros quoſcunque antehac imprimendos, nec non etiam manuſcriptos cuiuſcunque ſint authoris, aut vbicunque locorum per ſacrum Imperium, atque etiam noſtra hæreditaria regna, & dominia inueniantur, ſimiliter etiam picturas huiuſmodi & imagines, noſtro iuſſu & nomine occupent, diripiant & publico igni comburant; Et nihilominus huiuſmodi deteſtabilium librorum, codicum, ſchedarum, ſcripturarum, & picturarum authores & inuentores, ac etiam poſt præſentis mandati publicationem impreſſores, emptores, & ven-

& venditores, qui contra iuſſa noſtra facere præſumpſerint (ſi modò id legitimè conſtiterit) nec non eorum iura & bona omnia & ſingula capiant, apprehendant, & detineant, ac iure bono quicquid ſibi libitum fuerit, de illis diſponant, ita quod de hoc nulli hominum tam in iudicio, quàm extra reſpondere ſint obligati.

Atq; vt omnis eiuſcemodi errorum occaſio tollatur, & ne talia ſcribentium venena longè lateq; diffundantur, ſed præclarum imprimendi libros artificium in bonos tantùm & laudabiles vſus exerceatur, ex certa noſtra ſcientia, animoq; deliberato ac imperiali, regiaq; authoritate, de maturo ſupradictorum Electorum, & aliorum ſacri Romani imperij ſtatuum conſilio, deliberatione & vnanimi conſenſu volumus, & ſub banni, & interdicti Imperialis ac aliis interdictis pœnis præcipimus & iubemus, tenore præſentis edicti, quod vim inuiolabilis legis habere decernimus: ne quis de cætero chalcographus & librorum impreſſor, aut alius quiuis vbilibet, per ſacrum imperium, atque noſtra prædicta regna, & dominia conſtitutus, libros vllos, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, in quibus de ſacris literis, aut fide catholica aliquid vel minimum tractatur, non habito prius conſenſu & voluntate Ordinarij loci aut eius ad hoc ſubſtituti & deputati, cum authoritate etiam facultatis Theologicæ alicuius propinquæ Vniuerſitatis, pro prima videlicet impreſſione: Alios verò cuiuſcunque rei & facultatis libros, ſchedas & picturas de conſenſu ſaltem ordinarij, aut eius ad hoc ſubſtituti vllo pacto imprimere, vel vendere, aut imprimi, vel vendi facere directè vel indirectè quoquomodo præſumat aut attentet. Quod ſi quis, cuiuſcunque dignitatis gradus aut conditionis, hanc noſtram mentem, decretum, ſtatutum, legem & ordinationem in omnibus & ſingulis ſupradictis tam Lutheranam, quàm impreſſoriam materiã concernentibus inuiolabiliter obſeruandã vllo pacto, aut quouis quæſito colore, vel ingenio contrà facere, aut venire auſu temerario præſumpſerit: præterquam quod illud irritum decernimus & inane, etiam in læſæ maieſtatis crimen, ac noſtram & ſacri imperij grauiſſimam indignationem, proſcriptioniſque

& Ban-

& Banni, ac interdicti imperialis, nec non alias ſæpè dictas pœnas, ſe ipſo facto incurriſſe cognoſcat.

Hactenus Imperator, cuius aureo & ſaluberrimo decreto ſi optemperatum fuiſſet, haud tot myriades peſtiferorum librorum in Imperio circumuolitarent: nec peſtilens hæreſis tam longè lateq; diſſeminata fuiſſet; multum enim promouit nouum hoc Euangelium chalcographorum ac bibliopolarum *mens, induſtria, impenſa, & opera,* inquit Ioannes Cochlæus: *Nam quidquid pro Luthero erat, quàm diligentiſſimè ac emendatiſſimè imprimebatur; quidquid verò pro Catholicis, ignauiſſimè ac vitioſiſſimè. Et quæ Lutheri, aut pro Luthero erant, Calcographi ſuis ſumptibus imprimebant, & in maximo quidem numero, vt latiſſimè diſpergerentur. Nam Apoſtatarum, qui relictis Monaſteriis ad ſæculum redierant, infinitus iam erat numerus, qui victum ex Lutheranis libris quæritantes, in ſpeciem Bibliopolarum longè latèq; per Germaniæ prouincias vagabantur. Quæ verò Catholicorum erant, velut indocta, & veteris barbariei triuialia ſcripta, contemnebant Calcographi: nihil eorum imprimentes vltrò, ſed nonnulli ob inopiam rei familiaris compulſi, aut maxima lucri ſpe propoſita inducti, alienisq; ſumptibus & impenſis adiuti, quædam ex iis imprimenda ſuſcipiebant: Ea tamen ita neglectim, feſtinanter ac vitioſè imprimebant, vt maiorem gratiam eo obſequio referrent Lutheranis, quàm Catholicis. Si qui eorum iuſtiorem Catholicis operam impenderent, hi à cæteris in publicis mercatibus Francofordiæ, & alibi, vexabantur ac ridebantur, velut Papiſtæ, & ſacerdotum ſerui. Quamuis verò Cæſar, aliiq; Principes ac Reges Catholici, ſeueriſſimis Edictis prohibuiſſent Lutherica aut imprimi, aut venum exponi; adeò tamen non profecerunt Edictis ſuis, vt Lutheranis Bibliopolis plus inde lucri accreſceret. Quippe cùm Magiſtratus & ſenatores, quibus animaduertendi & inquirendi cura commiſſa fuerat, vel conniuerent malitioſè, vel inuitè & neglectim rem illam curarent, velut odioſam & coram populo detractione ple-*

Cochl. in actis Lutheri anno 22.

ne plenam, Bibliopolæ harum rerum non ignari, & ab Inquiſitoribus ipſis occultè nõnunquam præmoniti, quæ Lutherica erant, reponebant in occulto, in publico proſtantibus quibusdam prophanis, & alterius negotii libris. Vnde fiebat, vt emptores, Lutherica quærentes, cogerentur ea, prætexente Bibliopola metum, & periculum, carius & maiori pretio emere ex occulto, quàm empturi fuiſſent in publico. Hæc Cochlęus; qui mox ſequentia ſubiungit.

Aberat tum procul à Germania *Imperator Carolus V. graui ac diuturno bello, quod à Rege Franciæ indictum ſibi VVormaciæ conſiſtenti fuerat, implicitus. Frater eius Ferdinandus, Archidux Auſtriæ, &c. Imperialis tum Vicarius ſeu locum tenens, aliiq; Principes Catholici; videntes noua Lutheri translatione populos maximè in ſectam Lutheranam allici ac induci, editis mandatis præceperunt, vt quicunq; ſubditorum nouum Lutheri teſtamentum, aut quoslibet alios eius libros domi haberet, traderet in publicum iis, quibus recipiendi cura eſſet demandata. Et in pleriſq; ſanè locis, ſubditi Principum, quibus dictabat conſcientia; ne contra Papæ Cæſariſq; & aliorum Principum ſuorum Edicta, & prohibitiones, vetitos domi retinerent libros, obedienter tradiderunt eiusmodi libros, qui & alicubi congeſti in vnum rogum, publicè combuſti ſunt.*

Alibi idem Cochlæus de aduentu Caroli V. ex Hiſpaniis in Belgium ſic ſcribit. *Venerat Carolus V. imperator, electus ex Hiſpaniis per Oceanum in Flandriam & Brabantiam, terras ſuas hæreditarias, Imperialia Comitia celebraturus VVormaciæ. Qui vbi à Nunciis Apoſtolicis Marino Caracciolo & Hieronymo Aleandro accepiſſet, Bullam Papæ Leonis X. contra Lutheri libros editam, memor titulorum ſuorum, cùm diceretur & eſſet Rex Catholicus Hiſpaniarum, ac Imperator Romanorum religioſæ ſuæ & pietatis & obedientiæ mox certiſſima exhibuit indicia, ſeuerè præcipiendo, vt M. Lutheri libri à Sede Apoſtolica damnati, publicè comburerentur. Combuſti ſunt igitur per lictores & carnifices tum in Brabantiæ vrbibus, tum in ciuitatibus Imperii, Coloniæ, Moguntiæ, &c.* *In Actis Lutheri anno 20.*

N Idem

Exſtat hoc edictum Cæſaris Tom.1. Lutheri Ien. anno 1560. pag. 555.

Idem Imperator VVormacia anno Chriſti 1521. mandatum miſit ad Academiam Viennenſem; quo præcipiebat, vt Apoſtolicę Bullę cõuenienter, libros Lutheri comburerent, prout iam factum erat in Belgio, Burgundia, Coloniæ, Treuiris, Moguntiæ, & alibi locorum. Nec ſegniores fuerunt in executione diplomatis pontificii, Germaniæ Epiſcopi; quibus religio curæ erat; quod nominatim affirmare licet de *Præſule* Aichſtadiano, & Antiſtite Friſingenſi, quorum decreta aduerſus Lutheri libros ipſi Lutherani in primum Lutheri Tomum Ienenſem Germanicum retulerunt; vt etiam in hoſtium noſtrorum monumentis exſtaret ſpecimen eius diligentiæ, qua paſtores illi ouile ſibi commiſſum à luporum incurſionibus defenderunt.

Polyd. lib. vlt. hiſtor. Angl.

Exſtat inter opera Roffen.

Ad extremum *Rex* Angliæ Henricus non tantum ſtylo contra Lutherũ; ſed & rogo aduerſus eiuſdem libros pugnauit; vt teſtatur *Polydorus*. Et eo die; quo libri Lutherani incenſi ſunt, elegantem de hoc ipſo facto Regis concionem habuit martyrii & doctrinæ gloria inclytus Epiſcopus Roffenſis.

Tom.1. Ep. 107. Epiſt. 903.

Hæc & ſimilia non latebant Lutherũ; *Mea*, inquit in quadam *E*piſtola, *ter arſerunt Louanii, Coloniæ, Moguntiæ.* Et ad Spalatinum ſuum: *Galerus Moguntinus* (ſic appellat Cardinalem Moguntinum Albertum, ſimul etiam Archiepiſcopum Magdeburgenſem) *mea publico edicto inbibuit Magdeburgi. Halberſtadii eadẽ exuſſerunt. Itidẽ Minores Cottbuſẽſes.*

Epiſt. 150. anno Dom. 1520. die 8. Februar.

Lepidam fabellam de *E*ckio, & Ingolſtadienſibus narrat idem Lutherus alibi. Fabellam nomino; quia res aut non acta eſt, prout refert; aut acta eſt, ſicut non refert. Sed audiamus Lutherum cum Spalatino ſuo ſermocinantem: *Scripſit VVenceslaus noſter, Eckium mandaſſe Primoribus, vt publico foro exurerentur libri mei, Canonici indocti, &*

Apo-

Apologia vernacula. cumq́; vas illic eſſet paratum, vt craſtina ſuccenderentur, quoſdam ſaniores Doctores Ingolſtadii conſuluiſſe Ioannem Reuchlin, illumque reſpondiſſe, cauerent ſibi, ne hac re tàm ſibi, quàm toti Vniuerſitati maculam parerent. Itaque omiſſum eſt opus. Vbi Eckius altera die ad locum veniſſet, iratus diſceſſit, re infecta: credas hominem Manadam aliquam Baccham factum. Hæc Lutherus; qua fide, viderit ipſe: nam ſi eo vſq; Ingolſtadienſes proceſſerant, credibile non eſt, retuliſſe pedem. Maiore enim authoritate apud omnes erat Eckius, quàm Reuchlin; & quàm omnes illi, quos Lutherus, *ſaniores Doctores* nominat.

Sed quidquid ſit de hoc, Lutherus hac operum ſuorum incenſorum iniuria, vt ipſe interpretabatur, incitatus & irritatus, vicem rependere ſtuduit. Itaq; libros Iuris Canonici, & alios nonnullos VVittebergæ publicis flammis exuſsit. Quod ſuum præclarum facinus ipſemet litteris commendauit, his ad Spalatinum ſuum verbis. *Anno M.DXX. decima Decembris, hora nona* (en quàm definitè omnia) *exuſti ſunt VVittembergæ ad orientalem portam iuxta ſanctam Crucem, omnes libri Papæ, Decretum, Decretales, Sextus, Extrauagantes, & Bulla nouiſſima Leonis X. Item Summa Angelica, Chryſopraſus Eckii, & alia eiuſdem auctoris, Emſeri, & quædam alia, quæ adiecta per alios ſunt, vt videant incẽdiarii Papiſtæ, non eſſe magnarum virium libros exurere, quos confutare non poſſunt;* incendiarii ſcilicet Lutherani. Quantam autem Lutherus voluptatem ex hoc ſuo incendio ceperit, ipſemet docet in alia quadam Epiſtola, cum ait: *Exuſſi libros Papæ & bullam primùm trepidus & orans, ſed nunc lætior, quàm vllo alio totius vitæ meæ facto:* niſi fortè lætior fuit tunc cum *in paradiſo* fuit; hoc eſt, cum vxorem duxit: nam vxorem habere aut ducere, paradiſus eſt, ex Lutheri men-

Epiſt. 102.

Epiſt. 107.

te. *Paradiſum arbitror coniugium vel ſumma inopia laborans*, inquit flagitioſus Apoſtata, cum cuidam Apoſtatæ vxorem ductam gratularetur.

Epiſt. 150. ad Nicolaum Gerbell.

Sed quam mercedem promeruit Lutherus hoc Iuris Canonici incendio? dicam mitiſſimè; illam, quam miles ille apud Ioſephum; qui librum legis lacerauerat, & in ignem abiecerat. Tantum defuit Luthero Cumanus; qui duci iuberet: Culpa certè non defuit. Non leuius Lutheri ſcelus reputari poteſt, quàm Ariani illius, qui literas S. Antonii conſpuerat & conculcarat, traditas ſibi à Georgio Ariano Alexandriæ Epiſcopo, qui quas pœnas paulò poſt dederit; his verbis refert S. Athanaſius. *Antonii aliquando Epiſtolam Duci Blacio* (ſeu Balacio) *conſpuendam, abiiciendamque tradidit: Sed hoc diuina vindicta inultum non prætermiſit. Siquidem non diu poſtea Blacii femur proficiſcentis* εἰς τὴν πρώτην μονὴν, *ad primam manſionem ſeu ſtationem, equus, cui inſidebat, ceruicibus retortis ita momordit, atq; è dorſo excuſſum humi afflixit, vt intra triduum proximum periret.*

Ioſeph. lib 2. captiuit. cap. 20.

S. Athan. Epiſt. ad ſolit. vit. agent.

Caput XIX.

Quâ cura Pontifices Romani, aliiq; Præſules huius ætatis, & Concilium Tridentinum Hæreticis & peſtiferis libris obuiam ierint.

Neque verò aut Leo Pontifex ſolùm, aut Carolus Imperator, aut alii, quos ſuprà recenſuimus, aduerſus noxios libros ſtudioſè præſtiterunt, quæ ex pietatis præſcripto præſtanda erant, verùm & poſteri huic cauſſæ nequaquam indormiendum rati, peſtem hanc, ne latius graſſaretur, totis viribus auertere ſtuduerunt; editis quoq; librorum pernicioſorum catalogis, vt lector noſſet, quinam libri vitandi, & peſtis inſtar fugiendi

endi eſſent. Eiuſmodi catalogos peſtilentium librorum publicarunt Doctores Pariſienſes & Louanienſes, ſi non mentitur Vergerius hæreticus. Talis itidem, eodem teſte, in Italia excuſus eſt Pontificis authoritate, anno Domini M D XLVIII. Alius locupletior anno M. D LII. Alius adhuc copioſior anno M.DLIIII. Alius anno MDLIX. Paulo quarto Pontifice Maximo, isq; cæteris omnibus longè amplior, cui Inquiſitionis Præſides, quorum auſpicijs confectus fuerat ille index, huiuſmodi decretum propoſuerunt, ſi tamen Vergerius bona fide decretum hoc retulit & tranſcripſit.

Vide Putherbeum, libr. 3. de tollend. malis libr: fol. 237. Verg. tom. 1. ſuorum operum in not. ad Catalog. libr. prohibit.

Vniuerſis Chriſti fidelibus cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis aut dignitatis ſint, & vbiuis terrarum agant, ſub cenſuris & pœnis in Bulla Cœnæ Domini, & in decretis ſacroſancti Lateranenſis Concilij expreſſis, nec non ſub pœna ſuſpicionis hæreſis, priuationis omnium graduum, officiorum, & beneficiorum, quæcunq; habuerint, & ad ea ipſa, atque alia omnia officia & beneficia in perpetuum inhabilitationis, & perpetuæ infamiæ, & ſub alijs pœnis noſtro arbitrio infligendis, diſtrictè præcipimus & mandamus, ne quis inpoſterum audeat ſcribere, edere, imprimere, vel imprimi facere, vendere, emere, mutuo, done, vel alio prætextu dare, accipere publicè vel occultè, retinere apud ſe, vel quomodolibet aliter ſeruare, vel ſeruari facere librum, vel ſcriptum aliquod eorum, quæ in hoc indice ſacri officij notata ſunt, ſiue quaſcunque alias conſcriptiones, quas labe aliqua cuiuſuis hæreſis reſperſas eſſe, vel ab hæreticis prodiiſſe cōpertum erit. Quicunq; obedire neglexerit, vel eiuſmodi libros & ſcripta quæcunq; habuerit, poſt præſentis huius notitiam decreti, quomodocunque habitam, quàm primùm poterit, Ordinarijs locorum, ſeu hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, aut eorum Vicarijs, ſiue ab officio S. Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis deputatis fideliter, & re ipſa non præſentauerit, vel omni ſtudio & diligentia non curauerit præſentari, in prædictas excommunicationis latæ ſenten-

via cenſuras, pœnasque alias ipſo facto incurrat. Hactenus edictum.

Hunc Indicem, vt & tres priores, virulentiſſimis ſcriptis Italicè & Latinè exagitauit perfidus transfuga Vergerius: & quamuis nuſquam non inſaniat potius ille Apoſtata, quàm ſcribat, in libellis tamen contra Catalogos librorũ vetitorum furori ſuo omnes habenas laxat, & ita tonat, vt quicquid furiarum Orcus complectitur, in pectus eius immigraſſe, totumq; virus inſpiraſſe videatur, cuius amentiam infra interdum tangemus, cùm Iunium refutabimus. Nunc cœpta proſequamur.

Poſt vltimum hunc indicem, creſcente hæreſeon, & hæreticorum, pernicioſorumq; librorum multitudine, de medicina adhibenda ſeriam cogitationem ſuſcepit quoq; Tridentina Synodus. Quocirca certos ad id operis elegit patres, qui diſpicerent & diligenter conſiderarent, quid facto opus eſſet; atque etiam ad eandem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent, indicemque, tanquam præſens quoddam antidotum, aduerſus hæc tam præſentanea venena conficerent. Sed cùm res maioris eſſet operis, quàm vt, quantumuis iam extremam manum ſortita, à Patribus totius Concilij in examen vocari poſſet, ad ſummi Pontificis Pij IV. iudicium reiecta eſt, qui Catalogum illum vnà cum regulis ei propoſitis, auctoritate Apoſtolica approbauit, & ne quis librum vllum ex numero eorum, qui prohibentur, legat, aut retineat, ſeuerè interdixit.

Conc. Triden. ſeſſ. 18

Cõci. Trid. ſeſſ. 25.

Pius IV. Bulla 108.

Aliquot annis poſt in eodem Indice concinnando, augendo, & in meliorem ordinem redigendo, ſtudium quoque & operam poſuit Gregorius XIII. delectis ad hunc laborem lectiſſimis & doctiſſimis Cardinalibus. Quod & Sixtus V. fecit. Cæterum opus inchoatum

Bulla 10. inter Greger.

manſit

manſit, certè terminos illos à Pio IV. fixos non tranſcendit; donec tandem Clemens VIII. Pontificatus ſui anno quarto Indicem Tridentinæ Synodi recognitum, & magna acceſſione locupletatum, denuò confirmauit, & publicauit. Editi ſunt & alibi Epiſcoporum cura & vigilantia huiuſmodi librorum indices, vt & Indices expurgatorij, inter quos Belgicus ille, quem Iunius allatrat, vt canis Lunam. Nec ſilendum eſt, tanquam his omnibus antiquius, decretum concilij Lateranenſis ſub Leone X, quod Typographis frænum impoſuit, ne quoſuis libros euulgarent, eccleſiaſticis & politicis pœnis propoſitis.

Vide Indicem Clem. IIX. Colo. & alibi editum.

Concil. Later. ſeſſ. 10.

Capvt XX.

Libros pernicioſos prohibendos eſſe oſtenditur exemplo libellorum famoſorum.

Maxima ſemper tam ab Imperatoribus, quàm à Pontificibus data eſt opera, vt libelli famoſi è medio tollerentur, nec alia de cauſa, quàm quia proximi famam iniuſtè lacerant, multasq́; turbas in Republica concitant. Si igitur has chartas tanto ſtudio abolere ſtuduerunt, grauiſſimis pœnis earum auctoribus propoſitis, minimè cenſendi ſunt permiſiſſe, vt libri fidei Catholicæ damnoſi, morumque integritati noxij, hominum manibus tererentur, cùm non minus ſint pernicioſi, quàm illi, quippe qui ſacroſanctæ Religionis ſcita conuellant, moresq́; bonos deprauent.

Audiamus igitur, quid Auguſtus Cæſar de his ſanxerit, καὶ μαθὼν, inquit Dio, ὅτι βιβλία ἄττα ὑφ' ὕβρει τινῶν συγγράφοιτο, ζήτησιν αὐτῶν ἐποιήσατο. καὶ ἐκεῖνά τε τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει εὑρεθέντα πρός τῶν ἀγορανόμων, τὰ μὲν ἔξω τῶν ἑκασταχόθι ἀρχόντων, κατέφλεξε, καὶ τῶν συνθέντων αὐτὰ ἐκόλασέ τινάς. *Famoſorum libellorum*

Dio lib. 56.

lorum quos ad traducendos homines à quibuſdam conſcribi acceperat, conquiſitionem fieri iuſsit, repertos in vrbe ab Ædilibus, extra vrbem à ſingulorum locorum Præfectis, comburi mandauit, & in quoſdam auctores eorum animaduertit.

Lib. 9. cod. Theod. tit. 34. Audiamus etiam quid Conſtantinus Magnus de his libellis edixerit. *Si quando*, inquit, *famoſi libelli reperiantur, nullas exinde calumnias patiantur hi, quorum de factis vel nominibus aliquid continebunt, ſed ſcriptionis Auctor potius requiratur, & repertus cum omni vigore cogatur his de rebus, quas proponendas credidit, comprobare, nec tamen ſupplicio, etiamſi aliquid oſtenderit, ſubtrahatur.*

Ibidem. Idem Imperator alia lege. *Famoſa ſcriptio libellorum, quæ nomine accuſatoris caret, minimè examinanda eſt, ſed penitus abolenda. Nam qui accuſationis promotione confidat, libera potius intentione, quàm captioſa & occulta conſcriptione alterius debet vitam in iudicium deuocare.*

Ibidem. Idem. *Vt accuſatoribus patientia præbenda eſt, ſi quem perſequi in iudicio volunt, ita famoſis libellis fides habenda non eſt; nec ſuper his ad noſtram ſcientiam referendum, cùm eoſdem libellos flammis protinus conducat aboleri, quorum Auctor nullus exiſtit.*

Ibidem. Aduerſus eoſdem hanc legem tulit Conſtantius Conſtantini filius. *Libellis, quos famoſos vocant, ſi fieri poſsit abolendis, inclytus pater noſter prouidit, & huiuſmodi libellos, ne in cognitionem quidem ſuam vel publicam iuſsit admitti. Non igitur vita cuiuſquam, non dignitas concuſſa his machinis vacillabit. Nam omnes huiuſmodi libellos concremari decernimus.*

Ibidem. Seueriùs in eoſdem decreuerunt Valentinianus & Valens hac lege. *Famoſorum infame eſt nomen libellorum. Ac ſi quis vel colligendos vel legendos putauerit, ac non ſtatim chartas igni conſumpſerit, ſciat ſe capitali ſententia ſubiugandum. Sanè ſi quis deuotionis ſuæ ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit, nomen ſuum profiteatur, & ea, quæ per famoſum proſequenda putauit, ore proprio*

prio edicat: ita vt abſque vlla trepidatione accedat, ſciens, quod ſi adſertionibus veri fides fuerit opitulata, laudem maximam ac præmium à noſtra clementia conſequetur.

Nec minus ſeuera eſt hæc Valentiniani, Theodoſii & Arcadii trium Imperatorum lex. *Si quis famoſum libellum ſiue domi, ſiue in publico, vel quocunq; loco ignarus offenderit: aut diſcerpat prius, quàm alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Nemini deniq; ſi tam curioſus eſt, referat, quid legendo cognouerit. Nam quicunq; obtulerit inuentum, certum eſt ipſum reum ex lege retinendum, niſi prodiderit auctorem, nec euaſurum pœnam huiuſmodi criminibus conſtitutam; ſi proditus fuerit, cuiquam retuliſſe, quod legerit.* *Ibid. & L. ſi quis C. de fam. libell.*

His adde hanc Arcadii, Honorii, & Theodoſii conſtitutionem. *Vniuerſi, qui famoſis libellis inimicis ſuis, velut venenatum quoddam telum iniecerint, hi etiam, qui famoſam ſeriem ſcriptionis impudenti agnita lectione non ilicò diſcerpſerint vel flammis exuſſerint, vel lectorem cognitum prodiderint, vltorem ſuis ceruicibus gladium reformident.* *Lib. 9. C. Theod. tit. 34.*

Porrò ex lege illa: *Famoſum.* & illa: *Si quis famoſum libellum:* conflata eſt lex in *Codice Iuſtinianeo*, cuius initiũ: *Si quis famoſum libellum*: aſſignaturq; auctoribus Valentiniano & Valenti, etſi Valens non totius, ſed partis tantum auctor.

Omitto, quæ in Pandectis de chartis famoſis iam olim ab *E*thnicis fuere ſãcita, vt & in 12. tabellarũ decretis. In prædictis certè legibꝰ habemꝰ ipſis libellis famoſis ignẽ fuiſſe decretum, auctoribus autem capitale ſupplicium: nec auctoribus tantùm; ſed etiam lectoribus, & diſſeminatoribus: Etſi Conſtantinus Magnus tantùm pœnam fuſtuarii conſtituit huiuſmodi auctoribus: ſi vera eſt interpretatio Aniani, quam primæ Conſtantini legi ſupra citatæ adiecit his verbis: *Qui famoſam chartulam ad cuiuſcunque iniuriam & maculam conſcripſerit, in ſecreto, aut in publico ad-* *ff. de iniuriis.*

O *fixerit,*

fixerit, inueniendam proiecerit, illi, contrà quem propoſita eſt chartula, non nocebit, nec fama eius aliquid derogabit. ſed ſi inueniri potuerit, qui huiuſmodi chartulam fecit, conſtringatur, vt probet, quæ conſcripſit, qui ſi etiam quæ ſcripſit, probare potuerit, fuſtigetur, qui infamare maluit, quàm accuſare. Hæc Anianus.

Harmenopul. libr. 6. promptuarii iur. tit. 9

Qui φλυαρίαν, hoc eſt, *famoſum libellum vel ſignatum, vel non ſignatum inuenit, neque ſtatim exurit, ſed eum legit, eidem pœnæ ſubiaceat, cui & ille, qui eum edidit, ſubiaceret. Eſt autem φλυαρία charta proiecta, quæ conuicia in aliquem continet, ac eius famam denigrat.* Ita ex legibus Conſtantinus Harmenopulus.

Petr. Greg lib. 38. Syntag. cap. 6.

Conſtitutio Caroli V. Cæſaris de cauſis capitalibus art. 110. edita infamanti pœnam eandem irrogat, quam mereretur diffamatus libello, ſi criminis, de quo accuſatur, conuinceretur. Et in Comitijs Auguſtanis, anno Domini 1548. ſub eodem Carolo, cap. 34. prohibiti ſunt *Libelli maledici, pictura, fictura, ſcriptura, Paſquilli, & alia, quæ in alterius infamiam fiunt.* Quæ inuictiſſimus Imperator ſanxit; quia eo tempore tota Germania plena erat libellis & picturis famoſis, non modò in Pontificem Romanum, Epiſcopos, Clericos, Monachos, ſed in ipſum itidem Carolum V. ab hæreticis Lutheranis, velut agmine facto, quoquò verſum diſſipatis & diſſeminatis. Etſi ne poſt iſtam quidẽ legẽ ab hac improbitate nominisq; alieni lacerãdi libidine ceſſatũ eſt; vt quotidiana experientia diſcimus.

Cap. 34.

Nec omittendum hoc loco inſigne Cõſtantini Magni factum, quo abundè declarauit, quantoperè cauendũ ſit, ne libri, qui Eccleſiaſticorum auctoritatẽ deterere & imminuere ſolent, ad aliorum manus perueniant: Cùm enim in Concilio Nicæno, ei oblati eſſent libelli aduerſus Epiſcopos, multas accuſationes continentes, nunquam apertos in flammas abiecit, indignos lectione ratus.

Multi

Multi autem ex Sacerdotum numero, inquit Sozomenus, *qui (vti euenire ſolet) tanquam ad cauſas ſuas ac priuatas diſceptandas in vnum conuenerant, tempus opportunum ſibi iam oblatum putârunt, ad res eas corrigendas, quæ ipſorum animos offendiſſent. Itaque ſinguli libellum de criminibus, quæ aliis obiicerent, Imperatori offerre, & peccata in ſe admiſſa iam antè exponere cœperunt. Cùm autem illud in dies ferè ſingulos accideret, dat mandatum Imperator, vt ſinguli crimina, quæ aliis obiicere conſtituerant, ad certum diem proponerent. Vbi dictus dies venit, Imperator oblatis ſibi libellis acceptis: Iſtæ,* inquit, *criminationes tempus quidem ſibi præſtitutum habent, diem videlicet magni iudicii. Iudicem autem qui ſit tunc de omnibus ſententiam pronunciaturus. Mihi verò non eſt fas, cùm homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare, præſertim cùm & qui accuſant, & qui accuſantur, Sacerdotes ſint. Nam non deberent ſe tales præbere, vt ab altero iudicentur. Age igitur, deletis criminibus, exemplum diuinæ clementiæ in danda mutuò venia imitati, iungamus amicitiæ fœdera: & fidei negocia, quæ in hunc locum conuenire compulerunt, ſeriò pertractemus. Hac habita oratione, Imperator iubet tum criminationes illatas nullius momenti eſſe, tum libellos comburi, diemque præſtituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controuerſiam decideretur.* Sozom. lib. 1. cap. 16.

Eadem ſcribit Rufinus, eandemque hiſtoriam citat S. Gregorius ſcribens ad Mauritium Imperatorem, & Nicolaus Pontifex ad Michaelem Imperatorem. Apud Rufinum his verbis alloquitur Conſtantinus Epiſcopos, *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatẽ dedit de nobis quoq; iudicãdi: & ideo nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium: & veſtra iurgia, quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos autem nobis à Deo dati eſtis Dii, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit.* Ruf. lib. 10 cap. 2. S. Greg. lib. 4. epiſt. 75.

Hæc Rufin' de Conſtantino, quē & hæc verba protuliſſe Theodor. ſcribit: *Sacerdotū vitia non ſunt populo aperienda, ne ille inde cauſâ offēdiculi arreptâ licenter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoq; adieciſſe memorant: Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturū, ne facinoris aſpectus, eos, qui idipſum cernerent, vlla ex parte læderet.*

De eodem Conſtantino Theophanes in Chronico. τοὺς δὲ λιβέλλους οὓς κατ᾽ ἀλλήλων τινὲς ἐπιδεδώκασι πυρὶ κατέκαυσεν, ὅρκῳ βεβαιῶν, ὡς εἰ ἴδοι ἐπίσκοπον μοιχεύοντα, τῇ πορφυρίδι σκέπτειν αὐτὸν προθύμως. *Libellos, quos contra ſe mutuò tradiderant exuſſit, iureiurando affirmans, ſe ſi videret Epiſcopum adulterantem, purpura contecturum.*

Nec ſacri Canones famoſos libellos, eorumq; Auctores impunitos reliquére. Nam auctori anathema dicunt: *Si qui inuenti fuerint famoſos libellos in Eccleſia ponere, anathematizentur.* Apud Iuonem, *Si qui inuenti fuerint libellos famoſos legere, excommunicentur.* Iiſdem decernitur ſupplicium flagellorum: Etſi fortè non tam à Canonibus, quàm à legibus ciuilibus. Nam caput illud: *qui in alterius*, deſumpſit Gratianus ex capitulis ab Adriano Pontifice ad Ingilramum miſſis: quæ quibuſdam non videntur continere ipſius Adriani leges ſeu Canones: quippe deſumpta & collecta ex aliorum tum Præſulum, tum Principum Romanorū decretis, vt habetur Tom. 2. Conc. vet. edit. poſt Concil. Nicænum ſecundum, vbi in margine capituli 49. delatori linguæ exſectionem aut capitis amputationem ſtatuentis hæc annotantur. *Hoc capitulum non eſt canonicum, ſed à ſecularibus legibus ſumptum:* quæ verba non malè referri quoque videntur ad ſequens capitulum: *Qui in alterius*, à Gratiano relatum: quandoquidem decentius apparet talem pœnam à ſeculari principe, quam ab Eccleſiaſtico Antiſtite

Apud Gra. 5. q. 1. Iuo. 1. p. ca. 154. 157.

Antiſtite decerni. Sed fortè lex hæc *canonizata eſt*, vt loquuntur Gloſſæ de alijs legibus inter Canones receptis, hoc ipſo, quod ab Adriano Pontifice vſurpata & confirmata, & à Gratiano Decreto inſerta eſt. & Gloſſa ad cap. *Qui in alterius*, nota, inquit, *pœnas corporales infligi ſecundum Canones, vt ſupra 45. diſtinct. Cum beatus*. Verùm quidquid ſit de hoc, nobis ſatis eſt libellos famoſos ſub pœna flagellationis prohiberi.

His autem, *qui in alterius blaſphemiam cantica compoſuerint*, & his, *qui cantauerint ea*, pœna extraordinaria conſtituitur. Eoſdem coercuit hac ſua conſtitutione Carolus V. Imperator. *cùm & variæ & leuiculæ plebes reperiantur, quæ cantionibus & rythmis operam dant, per quos Eccleſiaſticos & ſeculares ſtatus contumeliis afficiunt, in vtramque partem iuxta apti paratique, nimirum ſi fuerint cum Eccleſiaſticis, cantillant de ſecularibus, & econtra, ſi fuerint cum ſecularibus, canunt de ſacrificis*, (ſic enim vertit ex Germanico hæreticus interpres, pro *Sacerdotibus* ſeu *Eccleſiaſticis*, idque copiæ cauſſa) *quæ res ad diſcordiam, diſſidia & contumaciam vergit tenditque: Itaque ſeuerè præcipimus, volentes, vbicunque deprehendantur, à magiſtratu puniantur*. Hæc Imperator. Certè his cantilenis & nænijs Eccleſiaſtico ordini traducendo accommodatis non parum amplificarunt Hæretici huius ætatis ſectam ſuã; vt & olim Huſſitæ ſimili artificio longè latèque ſuam perfidiam propagarunt, vt ſuo loco dictum.

In Comit. Auguſt. anno 1548. cap. 30.

Cùm ergo Imperatores & ſancti Patres, tam ſedulò aduigilarint, vt libelli famoſi abolerentur, ſatis hoc ipſo ſuo facto, vt cætera deeſſent, declararunt, quid de hæreticorum libris ſtatuendum ſit, qui nihil aliud ſunt, quàm famoſi libri, & tantò pernicioſiores, quanto damnoſius eſt lacerari veram Religionem, quàm boni nominis exiſtimationem.

Caput XXI.

Libros Hæreticorum prohibendos & comburendos eſſe docent exemplo ſuo ipſimet Hæretici.

HÆretici, & alii quicunq; à Chriſto aut Eccleſia eius alieni, ipſimet indicant, libros pernicioſos interdicendos, flammiſq; tradendos eſſe, nec aberrant, dum ita iudicant, nam hoc iudicium rectæ rationi, quàm maximè conſentaneum eſt, vt alibi me dicere memini. Sed interdum fit, vt in applicatione huius iudicii ad praxin aberrent, etſi aliquando non aberrant. Non aberrant, cum Lutherani, v.g. prohibent libros Caluinianorum, Anabaptiſtarum, Trinitariorum, & ſimilium, meritò enim prohibent, meritò has peſtes exterminant, flam̃iſq; voracibus in fumum vertunt. Nec aberrant Caluiniani, cũ viciſſim libros Lutheranorum proſcribunt. Nam proſcriptione & exuſtione digni ſunt. Errant autem cùm generale illud & rectum iudicium trãsferunt ad libros orthodoxæ & Catholicæ fidei interpretes, quos vt proſcribant & exurant, didicerunt ab optimis & præſtantiſſimis Magiſtris, nimirum ab Antiochò Epiphane, & Diocletiano, de quibus iam ſupra; Ab Arianis. Nam Georgio Cappadoce Pſeudopatriarcha Alexandrino Ariani ſacros libros, quoſcunq; in Eccleſiis reperiebant, flammis abſumebãt, teſte S. Athanaſio. Alius de iiſdem Arianis iſta: *In tantum etiam noſtra vaſtauerunt, vt nec libros, nec veſtimenta Eccleſiaſtica, aliaq; ornamenta, nec reliqua vtenſilia nobis dimiſerint. Libros verò noſtros vſq; ad minimum incendentes, nec iota vnum relinquẽtes, propter veritatis fidem, Nicænam Synodum, qua clerus & populus imbuebatur, & maximè iam imbuti erant, in contumeliam noſtram & omnium Chriſtianorum incenderunt.* Quocirca ſupplicat auctor ille Pontifici, vt ex Italia exempla Synodi Ni-

S. Athan. Epiſt. ad Orthod. de perſecut. excitata. Auctor Epiſt. inſcript. ad Marcum. Pont. Rom.

cænæ ad ſe tranſmittantur. *Nunc ergò, quia vt prædictum eſt, inimici ſanctæ Dei Eccleſiæ, & maximè Ariani, à quibus quotidie expugnamur & opprimimur, præfata ſeptuaginta Nicæni Concilii capitula, quæ præfata Synodo iam facta, iubente domino meo Alexandro, omnium Epiſcoporum decreto attuli, quæ etiam coram omnibus recitaui atq; tranſcripſi, ſunt igne combuſta, optamus vt à veſtræ ſanctæ Sedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater & caput omnium Eccleſiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præſentes Legatos mereamur.*

Leges Conſtantini & aliorum Imperatorum de Arianis libris exurēdis ægerrimè ferens Rex Hunericus, inq; Catholicos retorquens, *quod de libris, inquit, huiuſmodi, q̄bus ſibi nominis illius errorē perſuaſit iniquitas, præcipimus faciendum.* *Victor li. 2. de perſecu. Vandal.*

Præter hos vtuntur itidem Doctoribus, Circumcellionibus, quos ait S. Auguſtinus lib. 1. contra literas Petil. cap. 27. ſacros libros flammis tradidiſſe. Item Leone Iſaurico, qui doctiſſimos Conſtantinopolitanæ vrbis viros vnà cum multis libris, & ſacra ſupellectile combuſſit, vt auctor eſt Cedrenus, quod fuſius enarrans Conſtantinus Manaſſes in hæc verba ſcribit. *Non procul à diuinæ ſapientiæ templo ſplendida domus à priſcis Imperatoribus erat extructa, quā nuncupare licuiſſet amœnum hortum, arboribus libros ferentibus plenum, adeoq; lucum pulcherrimis omnigenæ doctrinæ ſapientiæq; plantis conſitum. Nam erat in ea congeſtus librorum theſaurus, quorum numerus tricena & tria millia complectebatur; Talis hortus, tantusq; lucus diuini cuiuſdam hominis curæ, fideiq; commendatus erat, qui doctrina præſtabat, & ſupra cæteros omnes radiis ſcientiæ collucebat. Viuebant cum hoc & alii, tanquam ſecundarum partium duces, ab illo Imperatore primi, luculenta reipſa ſidera, noctisq; colluſtratores. Hi tot numero, quot circuli Zodiaci ſigna ſunt, abſq; mercede, literarum & doctrinæ cupidos inſtruebant, & caliginis* *Cedr. & Manaſ. in Annal.*

ginis velum tam in putri, præſtigiiſq; referta Græcorum, quam religioſiſſima noſtra diſciplina ſuis auditoribus adimebant vno illo, de quo diximus, inter omnes ſolis inſtar lucente. Tanta vero in opinione virtutis erant, vt ne ipſi quidem Imperatores noui quiddam & inuſitati vel moliendum, vel agendum ſibi putarent, illis in conſilium non adhibitis. Tales ergò viros auctoritate ſingulari, & innocentia vitæ conſpicuos, variorumq; donorum vbere copia præſtabiles imperator intra ſua retia comprehendere, ſuiq; furoris impii participes efficere multùm ſitiebat. Quum autem cunctis molitionibus adhibitis, elideretur. (nec enim vel metu, vel minis eos in ſententiam ſuam pertrahere poterat, quumq; auro etiam vteretur, cæteroquin inexpugnabili ſocio, tamen Aquilam ſe perſequi, vel ſidera iactu contingere velle deprehendebat) tandem re deſperata (quînam hæc obſecro exponam?) conſilium ſæuum, abſurdum, impium capit, quod ne quidem immanis Scytha, vel Maſſagethes cepiſſet. Materiem ſiccam & concremabilem ex aridis facibus coaceruat, eaq; ſuccenſa, cunctos exurit, homines, inquam, illos religioſos cum ipſis libris. Proh infeſtum virtuti animum, proh mentem belluinam. Nimirum ex vnguibus ſæuus ille leo iam agnitus eſt. Pulcherrima quæque de diſciplinis omnibus iſtic adſeruabantur, & inter alia volumen extabat admirabile confectum de draconis inteſtino, cui erant inſcripti libri Homerici tam Ilias tota, quàm Odyſſea. Hæc Manaſſes.

Syn. Nic. Act. 5. Theod. lib. 4, cap. 28. Combuſſerunt inſuper Iconoclaſtæ vltra triginta volumina in Phocenſi ciuitate, cultum & venerationē imaginum adſtruentia, vt teſtatur in altera Synodo Nicæna Leo, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus. Valens Imperator Arianus, libellum ſupplicem á Terentio duce pro Catholicis ſibi oblatum, non quidem exuſſit, ſed in minutas partes conſcidit. Auctor Theodoretus. Cùm Terentius Dux ab Armenia reuertiſſet, Valenſq; ei imperaſſet, vt donum aliquod pro labore peteret, ipſeq; donum quod cupiebat,

Valenti

Valenti indicaſſet; petebat enim non aurum, non argentum, *&c.* ſed vt vna Eccleſia illis, qui pro doctrina Apoſtolica ſe in diſcrimen obtuliſſent, concederetur. Valens accepto libello ſupplici, & cognitis rebus, quæ in eo continebantur, admodùm ſtomachatus, illum dilacerauit, iuſſitq́; vt alias res peteret. Terentius verò collectis laceris libelli particulis, *Accepi*, inquit, *iam abs te, ô Imperator, neque aliud donum petam.*

Imò his omnibus antiquioribus Magiſtris vſi ſunt hæretici, nempe Iudi Iudæo, & Ioacim Rege Iuda. Nam cũ prior in volumine Hieremię Prophetę legiſſet tres pagellas vel quatuor, *ſcidit illud ſcalpello ſcribæ, & proiecit in ignem, qui erat ſuper arulam, donec conſumeretur omne volumen igni, qui erat in arula, & non timuerunt, neque ſciderunt veſtimenta ſua Rex & omnes ſerui eius, qui audierunt vniuerſos ſermones illos.* *Hiere. 36.* Hos ergò inſtitutores ducesq́; Lutherus ſecutus combuſſit Iuris Canonici volumina; nec fuit ex ſpectatoribus, qui veſtimenta ſcinderet, ob hoc flammis expiandum facinus aut qui execrando Apoſtatę contradiceret, niſi fortè quid ſecus eſt aliorum ſententia, exiſtimantium, non defuiſſe in tanta multitudine, qui Lutherum pœna illa digniorem cenſerent, quàm Iuris libros. Nam & tunc cum liber Hieremiæ ab improbo illo Iudi in ignem iniectus eſt, exſtiterunt, qui Regi reſiſterent: *Veruntamen Elnathan*, inquit Scriptura, *& Dalaias, & Gamarias contradixerunt Regi, ne combureret librum, & non audiuit eos.*

Sed quo profectu exuſſerunt Iudæi librum illum diuinorum Oraculorum, eodem incendit Lutherus volumina Iuris. Nullo nimirum; viuit adhuc Hieremiæ liber, legitur, teritur, & poſt combuſtionem mirandis incremẽtis adauctus eſt. *Et inſuper additi ſunt*, inquit ſcriptura, *ſermones multò plures, quàm anteà fuerant*, & multò etiam magis

innoteſcere & clareſcere cœpit. *Factum eſt enim verbum Domini ad Hieremiam Prophetam, poſtquam combuſſerat Rex volumen, & Sermones, quos ſcripſerat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens: Rurſum tolle volumen aliud, & ſcribe in eo omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, quod combuſſit Ioacim Rex Iuda.*

Pari modo poſtquam libros Iuris Lutherus flammis abolere tentauit, tum demum refloruerunt, tàm ornatu, quàm copia multiplicati, ita vt à die, quo conſcripti ſunt, nunquam typis ornatiores & frequentiores in publicum venerint, quàm poſt nefarium illud incendium, vt mihi quidem cinis ex voluminibus illis redactus, videatur fuiſſe ſemen, quod maximo cum fœnore damnum compenſauit. Sed caueant, qui Iuris libros incenderunt, ne illis contingat, quod Regi Ioacim contigit, iuſto Dei iudicio, hoc enim mandatum Regi perferendum dedit Deus Hieremiæ. *Ad Ioacim Regem Iuda dices; hæc dicit Dominus. Tu combuſſiſti volumen illud dicens; quare ſcripſiſti in eo annuncians, feſtinus veniet Rex Babylonis, & vaſtabit terram hanc, & ceſſare faciet ex illa hominem & iumentum.* Vtinam hæc inquam non contingant, vel potius, vtinam non contigiſſent ſimilia poſt volumina Iuris a Luthero exuſta. Quoties enim Rex Thraciæ interea non modò in Pannoniam, ſed & in ipſam Germaniam impetum fecit, & magnas cum mœnibus vrbes vaſtauit. Sed meliora ominemur, & alias itidem diras, quas Dominus, ob Hieremiæ librum combuſtum iratus, adiecit, prætereamus, & ad cæteros librorum incendiarios progrediamur.

Supradictorum incendiariorum veſtigiis inſiſtentes Lutherani, Caluiniani, aliiq; Sectarii tot nobiliſſimas bibliothecas in Gallia, Germania, & Belgio incenderunt, veterumq; præſtantiſſima monumenta in cineres ſcelera-

tè re-

tè redegerunt; Vt & Anabaptiſtæ Monaſterii, cum vrbem illam per vim occupaſſent. *Poſt hæc,* inquit Schleidanus, *Idem Propheta* (Ioannes Matthæus) *mandabat, ne quis vllum deinceps librum haberet, aut ſibi ſeruaret, præter ſacra biblia; reliquos omnes in publicum deferri iuſſit, & aboleri.* Hoc ſe mandatum *diuinitus accepiſſe dicebat. Itaq; magno numero libri comportati, flamma fuerunt omnes abſumpti.* Mihi verò videntur iis iſti ſimiles, inquit doctiſſimus Serarius noſter, qui ne iuſtos alioqui cenſus, aut debita ſoluere cogantur, ſyngraphas tabulasq; omnes, eorum, quibus debent, aut ſurripiunt, aut iniecto igne ſuccendunt apud Ioſephum, lib. 2. cap. 31. & lib. 7. cap. 9. Similes item Herodi, qui ne ignobilis & alienigena videretur, Iudaicæ nobilitatis tabularia & genealogias incendit apud Euſebium lib. 1. hiſt. cap. 7.

Schleidan. libr. 10.

Nicol. Serarius Cōment. in lib. Macch.

Ex horum tamen nefario facto colligunt orthodoxi non immeritò ſuæ conſuetudinis patrocinium aduerſus Hæreticos, ſi enim ſibi licere volunt, vt libros probos aboleant, ne perfidiæ, quam profitentur, aliquid detrimenti adferant, cur Catholicis nefas eſſet Hæreticos libros exterminare, ne veræ Religioni exitium adferant? Quaſi verò minor ſit iactura, ſi vera fides aboleatur, quod fit lectione hæreticorum librorum, quàm ſi perfidia extinguatur, quod fit lectione librorum orthodoxorum.

Præterea ſi Lutherani rectè & laudabiliter faciunt, cum Caluiniſtarum & Zuinglianiſtarum libros proſcribunt, & vetant; cur id vitio verteretur orthodoxæ Eccleſiæ; licet Caluinianis & Zuinglianis libris adiungat etiam Lutheranos. Eiuſdem enim ſunt ſpeciei. Cum Caluiniſtæ conqueſti eſſent ob hoc interdictum, expeditè in hæc verba Lutherani reſponderunt, ſuumq; factum excuſarunt. *Iam quod conqueruntur, aliquibus in locis, libris Zuinglianorum & Caluiniſtarum locum datum non eſſe, vel Theodoſii,*

In refutat. orthodo. conſens. pag. 14.

Valentiniani & Marciani, piiſſimorum Imperatorum exempla qui, ne quis Neſtorii, Eutychetis, & Apollinariſtarum libros deſcriberet aut legeret, edixerunt (quorum factum huius falso dicti orthodoxi conſenſus auctores apertè probant) noſtrorum Principum pia mandata excuſant. Et ratio Iuſtitiæ ſolùm in hoc poſita eſt, vt demonſtremus aduerſariorum doctrinam non modò Neſtorianam, ſed multis aliis quoque intolerabilibus erroribus refertam eſſe. Id cùm à nobis manifeſtò demonſtratum fuerit, magiſtratus noſtros non modò hoc nomine excuſatos, ſed laudandos quoque omnes, (vel aduerſariorum quoque teſtimonio) verè pii iudicabunt. Hæc Lutherani ad Caluiniſtas. Pulchrè profectò, ita tamen, vt quidquid ipſi de Caluinianis & Zuinglianis libris dicunt, id totum veriſſimè de libris Lutheranis affirmari queat tam ab Orthodoxis, quàm à Caluiniſtis.

Supra in præfat. fuſius hac de re actū eſt.

pag. 268. Mirificè porrò mihi placet votum Bezæ; qui in colloquio Mompelgartenſi hæc: *Conuiciis Eccleſia Dei non ædificatur. Quæ cùm in vtriuſque partis ſcriptis reperiantur, vellem piâ concordiâ conſtitutâ, ſimul omnia combuſta eſſe.* Idem alibi: *Vellem omnia ſcripta euulgata abolita eſſe, quæ paci & concordiæ obſtare, aut veritatem obſcurare videntur.* Cui Smidelinus: *Et ego vellem omnia combuſta eſſe.* Et nos multò magis ô Beza & Smideline.

pag. 260.

Nec vllo modo deſiderium illud Lutheri improbare poſſum, quod his verbis explicat. *Libenter vidiſſem omnia mea ſcripta interiiſſe: & inter alias cauſſas vna eſt, quod exemplum mè terret: quoniam non video, quid vtilitatis Eccleſia ceperit, cùm extra & ſuper Biblia ſacra quamplurimi libri colligebantur.*

Luther. in præfat. Ger. ſuper Tom. ſuos.

Porrò ſimulatum fuiſſe hoc Lutheri votum, vel inde conijcias, quod illis, qui animo eius obſequi, libroſque Lutheranos per flammas abolere aggrediebantur, mirum in modum ſuccenſuit, cumque aliud vltionis genus non

ſuppe-

ſuppeteret, hoc ſibi eligendum putauit, vt viciſſim Iuris Canonici volumina incenderet.

Lutheranus quidam Medicus & Alchimiſta de opere Archidoxorum Paracelſi; *Puto*, inquit, *Diabolum ipſum huius libri auctorem eſſe. Non vidi magis blaſphemum ſcriptum in Deum & naturam, quàm eſt illud ipſum, præſertim ſi coniungas libellum, qui Azoth inſcribitur, & eum, qui eſt de natura ſerpentum. Maximo tamen ſtudio conquiruntur, imprimunturque cum laude maxima Triſmegiſti, Principis, Monarchæ, &c. quin & in cælum vſque à multis tollitur Auctor, voluntque aliqui, vt etiam Paracelſia publicè doceatur. Qui veterum fuit in pietate feruor eiuſmodi libros cum auctore exuſſiſſent. At noſtra ſæcula laudant & promouent. Veteres combuſſerunt Salomonis libros cum aneo ſerpente: & in Actis magnam vim Vulcano conſecrarunt. Noſtri homines* (id eſt, Lutherani) *vel ex mediis cineribus repeterent. Lingua malè vſurpanti nomen Dei militi à piis Imperatoribus iubetur præſcindi, hic ipſa blaſphemia per publicas Typographias poſteritati mandatur. Non immeritò quis exclamet: O ſæcula, ô mores.* Hæc ille non malè in Paracelſi libros. Quæ tamen omnia quadrant quoque in Tomos Lutheri aliorumque hæreticorum ſcripta.

CAPVT XXII.

Breuis refutatio libelli, qua ſe Lutherus purgat ob Ius Canonicum publicè exuſtum.

DIximus ſuprà, quo pacto Lutheri chartæ paſſim publica Præconis voce, & ſub carnificis manu arſerint. Lutherus ergò huius tāti dedecoris impatiens, omnes modos excogitabat, vt ignominiam illam

curioſa ſectati in vnum contulerant; coramque omnibus combuſſerant: Hoc ſi Lutherus oſtenderet, tunc aliquod patrocinium ab Epheſiorum exemplo, non iniuria ſibi peteret. Interea non video, quo alio iure Ius Canonicum exuſſerit, quàm illo, quo volumen Hieremiæ Prophetæ Iudi Iudæus in prunas iniecit, donec totum in fumum abiret. Firmius hoc argumentum eſſet, ſi hunc in modum à Luthero proponeretur. Libri pernicioſi ſemper fuerunt aboliti: Rectè igitur fecerunt Catholici, qui impias meas chartas incenderũt. Et ineptè agunt Prædicantes, cùm de hoc facto, tanquam inuſitato, conqueruntur.

SECVNDA. *Chriſtianus ſum, item Doctor Iuratus ſacrarum litterarum. Adhac quotidianus concionator, cui ex officio incumbit, vt falſa dogmata, doctrinamque pernicioſam exſtirpet & exſcindat; non immeritò igitur Iuris Pontificii codices Vulcano tradidi.* At verò, ſi tibi animus erat peſtifera dogmata abolendi, non à Iure Canonicò, ſed à tuis chartis. imò à te ipſo principium comburendi ducendum erat. Id enim & ratio, & recta methodus zizania prauæ doctrinæ euellendi poſtulabat: nam ex tuis tuorumq; libris, non ex Iuris Pontificij voluminibus, magna pars orbis Chriſtiani labem contraxit.

Ais, *alios quidem fuiſſe non paucos, qui idem, quod tu præſtare potuiſſent, verum illis, aut mentem aut audaciam hoc faciendi, defuiſſe; te autem neutra caruiſſe.* In quo libentiſſimè tibi aſſentior: te namque omnium ſcelerum peritiſſimum artificem, omniumq; bipedum hac & patrum noſtrum ætate audaciſſimum fuiſſe, nemo, qui te norit, inficiabitur: & ſi quis hoc abnuat, eum aut tui ſimilem, aut morum tuorum & indolis ignarum eſſe dicam.

TERTIA, *Pontifex & Pontificii non modò errant, errarunt q;*

grauiſ-

grauiſſimè; Sed poſt multas admonitiones à me adhibitas in erroribus perſtiterunt, alioſque in eoſdem induxerunt; imò clauſis oculis & auribus doctrinam ſanam & incorruptam perditum ierunt, vt Antichriſtiana ſua & Diabolica placita conſtabilirent: Quis ergò neges, me ſummo iure Ius Pontificium publicè rogo addixiſſe?

S. Auguſt. lib. 2. cont. Petil. c. 39. QuodS. Auguſtinus Petiliano, hoc ego Luthero: *Hæc verba iactare, & nihil probare, quid eſt niſi delirare?* Cumq; Lib. 2 cont. Petil. c. 18. vt idem ſanctus Præſul ait, *ab vtriſque aduerſus inuicem poſſint iſta iactari, probare aliquid opus eſt, non inaniter loqui.* Scilicet aliquos *Marcionitas & Valentinianos* (Lutherum & Lutheranos) *liberanda veritas exſpectabat*, inquit Tertullianus. *Interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.*

Errauit Eccleſia, ſed peſtiferi erronis iudicio, cui non S. Greg. lib. 2. Mor. c. 26 error, error; & error, non error, conuenienter ſcilicet naturæ illorum, *qui*, vt ait ſanctus Gregorius, *in cæcitate, quam tolerant, quaſi in claritate luminis exultant.*

QVARTA, eaque multiplex & conglobata. *Qui libros meos comburunt, eius nullam habuerunt poteſtatem à Papa. 2. Ipſi Papa, vt ſpero, diſplicent libri, quos combuſſi: & vt non diſplicerent, id tamen ſusq; deq; habeo. 3. Colonienſes & Louanienſes, qui iactitant ſe libros meos flammis tradere, auctoritate & iuſſu Imperatoris, mentiuntur; Hanc enim poteſtatem non à Cæſare obtinuerunt, ſed à nonnullis, quibus publica officia commiſſa ſunt, multis aureorum millibus compararunt. Ergo nihil præter fas admiſi, cùm vt vicem reponerem, viciſſim Pontificiorum libros in ignem conieci.*

Cap. 18. Reſpondeo, vtrum primum & tertium Lutheri dictum ſit verum, teſtantur Bullæ Leonis X. & edictum; imò &

imo & factum inuictiſſimi Imperatoris, de quibus omnibus iam ſupra abundè dictum. Secundum dictum, mirer, ſi ſe vlli mortalium perſuaſurum Lutherus credidit. Quid enim ſtultius, quàm credere, à Pontifice ius pontificium improbari; atque gratum ſummo paſtori factu-rum eum Apoſtatam; qui id in cineres vertat: quaſi ipſe Pontifex adeò ab omni igne imparatus ſit; vt comburere non poſſit volumina Iuris; ſi ea pernicioſa arbitraretur. At quod Lutherus addit; *Etiamſi Decretales Pontifici placeant; id ſibi curæ non eſſe*; hoc quiuis vt credat, nullo negotio à ſe impetrabit. Certiſſimum enim videtur, Lutherum violentas manus iuri pontificio illaturum non fuiſſe; ſi exiſtimaſſet, factum ſuum Pontifici probatum iri. Combuſſit igitur; quia cum illo apud *Poëtam* aiebat; *ibi tibi*, ô Papa, *cordolium erit.*

Nec illud prætermittendum, cauſſam, qua Lutherus ad hoc inexpiabile facinus impulſus ruit, aliam non fuiſſe; quàm vindictæ cupidinem & libidinem. Quia enim Catholici libros Lutheranos tardipedi Deo conſecrabant; ideo furore percitus, tantæq; notæ impatiens, vlciſci hāc, vt ſomniabat, iniuriam, inſtituit; exuſtis pontificii iuris codicibus. Sed vbi, ô quinte Euangeliſta, illud: *Mihi vindictam, & ego retribuam eis.* Item illud: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum?* Si malum in bono vincendum eſt; quanto minus bonum vincendum erit in malo? hoc eſt; quanto minus bono rependendum eſt malum: At bonū fuit libros tuos exurere; quippe fontem & originem plurimarum & teterrimarum hæreſeon; malum autem, *Decretales* in cineres redigere; nòn ergò hoc poſterius priori illi reponendum erat; ſi Euangelicis monitis conſentaneè agere volebas. Cæterùm neſcius non ſum, te elata voce clamaturum, libros tuos ab omni errore immunes Rom. 12.

eſſe, nec in Zizaniis, ſed in tritico deputandos. Crederem, niſi de tuis operibus ſummus Pontifex, ſummusq; Imperator, ſingulis, qui Chriſtiano nomine cenſeri volunt, hoc mandatum darent: *Colligite primùm Zizania, & alligate ea in faſciculos, ad comburendum.*

Matth. 13.

QVINTA. *Librorum meorum combuſtio veritati detrimento erat & fraudi, ſiniſtrasq; opiniones in multorum animis ad multorum perniciem gignere poterat. Quocirca Spiritus inſtinctu, vt his incommodis obuiam irem; libros aduerſariorum viciſſim flammis abſumpſi.* Quam parum damni redundat ad triticum ex combuſtione Zizaniorum, & ad frumentum in area, ex ſeparatione palearum; & ad piſces bonos ex ſeiunctione piſcium malorum, tam parum nocumēti ad veritatem rediit ex librorum tuorum incendio. Felicia ligna quibus adeo infelices chartas vſtulare conceſſum eſt; niſi quod ligna illa ficulna fuiſſe oportuit: vt enim Alexander ille libros Epicuri rectè combuſſit lignis ficulnis: vt Epicurum nullius pretii Philoſophum fuiſſe indicaret; ita eodem fine iiſdem lignis, Lutheri libri concremari debuerāt, quippe ficulni & ab auctore ficulno prognati. Libens porrò conceſſerim, te ſpiritus impulſu Ius Canonicum exuſſiſſe. At cuius ſpiritus? Illius nimirum; qui igne inexſtincto indeſinenter vritur.

SEXTA. *Ius Canonicum multos errores continet: Pyra ergò dignum cenſeri potuit & debuit.* Et ne Lutherus hoc temerè aſſeueraſſe videatur, mox triginta errores ex variis Pontificii iuris locis promit; ſed longè verius Lutheri triginta mendacia, quàm Iuris Canonici triginta errata appellaueris. Id vt clarius eluceſcat, ſingulos errores ex male ſano peiusq; feriato Lutheri cerebro profectos breuiter excutiemus.

PRIMVS ERROR. *Papa cum ſuis non tenetur obedire diui-*

diuinis mandatis. Docetur hoc in capit. ſolitæ, ext. de maioritate & obed. Nihil horum in illo capitulo reperitur. Tantum hoc Pontifex docet, ex verbis illis *S.* Petri: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus ab eo miſſis, &c.* non colligi, Pontificem ſummum ſubiectum eſſe Imperatori; vt Conſtantinopolitanus Imperator contendebat; cum ſanctus *P*etrus nihil aliud velit, quàm vt omnes homines legitimis ſuis Dominis ſubſint, debitamque obedientiam præſtent. At Imperator ſeu Rex non eſt Dominus pontificis. Non eſt ergò neceſſe, vt *P*ontifex ei ſit ſubiectus, obedientiamque exhibeat: ſicut neque alii, cuiuscunque ſint ſtatus & conditionis homines; quorum Imperator, aut Rex non eſt Dominus, tenentur Imperatori aut Regi obtemperare. Hæc eſt mens Pontificis in illa *Decretali*, ex qua vel non intellecta, vel diſſimulata, contra mentem ſuam mẽdacium illud ſuum Lutherus extudit; cum ait: *Pontificem docere, ſe, ſuosque non obligari ad obſeruationem diuinorum mandatorum.* *E*ſt ne hoc diuinum mandatum, vt qui non eſt ſubditus alicuius, eidem ſubiiciatur, obſequiumque ſubditi inſtar præſtet? *E*t ſi Pontifex diceret, ſe & ſuos hoc præcepto diuino non obligari, num hoc idem eſſet, quod dicere ſe ab omni diuino præcepto immunem & exemptũ eſſe? 1. Pet. 2.

SECVNDVS ERROR. *Non eſſe præceptum ſed conſiliũ, cum S. Petrus hortatur, vt omnes Chriſtiani Regibus ſint ſubiecti.* Hoc non dicit Pontifex in *Decretali*; ſed gloſſa extra Decretalem: nec aſſerit hoc abſolutè, ſed explanans illa verba S. *P*etri, *propter Deum*; ſubdit: *per quod videtur eſſe conſilium perfectionis, in quo liberum eſt arbitrium* 14. q. 1. c. Ibid.

ſ. c. vltimo. Nec malè Gloſſa; ſi verba S. Petri etiam de illo; qui non eſt alicuius dominus, accipiātur, vt auctor Gloſſæ accipi poſſe putauit. non enim præceptum, ſed conſilium eſt; vt quis ſe propter Deum liberè ſubiiciat non Domino; quo pacto Religioſi cum vitam Religioſam amplectuntur, ſubdunt ſe propter Deum illis; qui nullam in ipſos alioquin poteſtatem habent.

Tertivs error. *Per Solem ſignificari poteſtatem pontificiam, per Lunam, imperatoriam.* Quantus error! qui

Ibid. tamen longè clarius eluceſcet; ſi quis eundem in hūc modum explicet; vt dicat, per ſolem ſignificari poteſtatem ſpiritualem & Eccleſiaſticam; per Lunam; temporalem & mundanam; vt quoniam prior multò excellentior eſt, quàm poſterior, illa comparetur Soli, præſtantiſſimo ſideri; hæc Lunæ, ſideri minus excellenti. Immanis ſcilicet error; dignusq;, qui à Luthero vltricibus flammis vindicaretur.

Qvartvs error. *Papam & eius Sedem non teneri ſubiectos eſſe conciliis & decretis. C. ſignificaſti de Elect.* Verba Pontificis ſunt iſta: *Aiunt hoc in Conciliis non inueniri;* (vt ſcilicet Electus in Archiepiſcopum præſtet fidelitatis & obedientiæ iuramentum) *quaſi Romanæ Eccleſiæ legem concilia vlla præfixerint, cum omnia concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Quæ verba longè aliter ſonant, quàm vt à Luthero proponuntur; Nihil enim aliud volunt, quàm ſummo Legislatori non poſſe ab aliis leges, quibus obſtringatur, præſcribi; & quod hinc eſt conſequens, neq; Conciliis eam poteſtatem conceſſā eſſe; vt quid contra Apoſtolicæ ſedis voluntatem & auctoritatē decernāt, cùm omnia Conciliorum decreta non aliunde quàm ab Apoſtolicę ſedis ſuffragio & approbatione vim

vim roburq; accipiant: non autem dicit Pontifex, ſe & Sedem ſuam non teneri Sanctionibus, quæ vel priſca vel recentia Concilia, cum Pontificis Romani approbatione de fide aut moribus ediderunt & promulgarunt: Imò Decretis fidei non aliter obligatur ſummus Pontifex, quàm quiuis alius Chriſtianus: at Eccleſiaſticis decretis morum ſi ſint vniuerſalia, ita obſtringitur, ſicut quiuis Legiſlator ligatur legibus à ſe latis aut approbatis, nempe quoad vim *directiuam*; vt in Scholis loquimur, non quoad *coactiuam*. Digniſſimum ergo flammis eſt hoc Lutheri mendacium, non autem Ius Canonicum propter illud Pontificis edictum.

QVINTVS ERROR. *Papam habere in ſcrinio pectoris ſui omnia Iura, & plenam poteſtatem ſuper omnia iura, cap. 1. de conſtit. lib. 6.* Sed imprimis illud additamentum; *& plenam poteſtatem ſuper omnia iura*; non eſt Pontificis dictum, ſed Lutheri mendacium: Nullus namque Pontifex arrogat ſibi poteſtatem ſuper omnia iura: Scit enim ſe non ſupra, ſed infra Ius naturale & diuinum eſſe. Quid ergò ſibi vult ille loquendi modus, cùm dicitur, *Papam habere in ſcrinio pectoris ſui omnia iura.* Hoc nimirum, in poteſtate Pontificis tanquam ſupremi Legiſlatoris, eſſe leges Eccleſiaſticas; ita vt poſſit illas rogare, abrogare, temperare, ampliare, vel reſtringere, prout Eccleſiæ vtilitas poſtulare videtur. Simili loquendi formula vtitur Imperator reſpectu legum ciuilium, *L. omnium teſtamentorum, C. de teſtament.* vbi ait, *de eius ſucceſſione nunquam tractandum eſſe, qui nobis mediis & toto iure, quod in noſtris ſcriniis eſt conſtitutum, teſte ſuccedit.* Quid enim aliud vult Imperator, quàm legum ciuilium Ius & fas penes ſe eſſe? Sed Lutherus, poſteriq; Lutheri, Prædicantes, peſſimè oderunt miniſque ſummis traducunt *ſcrinium pectoris Pontificii*, credo ea de cauſa, quòd Lutherus

non ſcrinium,ſed oletum vel fimetum pectoris, ſeu in pectore habuerit,ex quo tot ſpurcitias & pedores in chartas ſuas eructauit.

Sextus error. *Ex quo ſequitur, Papam habere poteſtatem omnia Concilia, & omnes Conſtitutiones & Ordinationes conuellendi, mutandi, & ſtatuendi, ſicut & quotidie facit.*

Reſpondeo, Etiam Imperator habet poteſtatem omnes Conſtitutiones & Ordinationes,quæ merè ſunt Iuris humani & ciuilis,mutandi & abrogandi. An ideò mutat & abrogat? *Omnia mihi licent*, aiebat Apoſtolus, *ſed non*
1.Cor.10. *omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Probè nouit quiuis Legiſlator poteſtatem hanc à Domi-
2.Cor.13. no ſibi datam *in ædificationem, & non in deſtructionem*: cujuſmodi deſtructio eſſet, ſi Pontifex omnia veterum Conciliorum & Anteceſſorum ſuorum decreta antiquaret; quòd *eum quotidie factitare*, ſcribit Lutherus, impulſus eo ſpiritu, qui ab initio mendax fuit, & in veritate non ſtetit; quiq; in ore talium Hæreſiarcharum, tanquam in ſolio ſuo, ſeſſitare, & inde mendacia funditare conſueuit. Quòd ſi quæ veterum de moribus, ritibus, aut conſuetudinibus decreta interdũ mutantur, id fit prudenter,& circumſpectè, communis vtilitatis gratia, quam ſolam le-
Iuſtin.Nouell.127. gum conditores intuentur. Quod Iuſtinianus de ſe, id & Pontifex iure ſibi applicat: *Noſtras leges emendare non piget nos, vbique vtilitatem ſubiectis inuenire volentes.*

Si Lutherus adeò verebatur, ne Pontifex omniũ Patrũ & Conciliorum decreta immutaret, cur non cauſſæ vigeſimæ quintæ, quæſtionis primæ Canonem ſextum & ſeptimum legit, omnique metu confeſtim ſolutus fuiſſet. Prior ſic habet. *Sunt quidam, dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe nouas condere leges. Quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiam valdè affirmamus. Sciendum verò ſummoperè*

eſt, quia inde nouas leges condere poteſt, vnde Euangeliſtæ aliquid & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes ſancti Patres ſententialiter aliquid definierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, ſed potius, quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Poſterioris hæc ſunt verba: *Contra Statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt Auctoritas. apud nos enim inconuulſis radicibus viuit Antiquitas, cui Decreta Patrum ſanxêre reuerentiam.* Nimirùm in ijs, quæ, vt ibidem explicat Gloſſa, ad fidem pertinent.

SEPTIMUS ERROR. *Pontifici Romano ius eſſe poſtulandi iuramentum & obligationem ab Epiſcopis pro eorum palliis. cap. ſignificaſti, Extra de Elect.* En quantus error, poſtulare ab illo, quem Pontifex Archiepiſcopali ornamento inſignit, obedientiæ & fidelitatis iuramentum. Quis Rex aut Princeps Vaſallum vllum inſtituit, quem iuriſiurandi Religiône non obſtringat? Scilicet non licebit Paſtori ſummo à Paſtoribus inferioris ordinis exigere, vt gregem fideliter paſcant, lupos vigilanter arceant, & ad hanc ſedulitatem iuramento interpoſito illos adigere. Licuit Iuſtiniano præſcribere conceptam formulam, in quam iurare debebant, quotquot officia ciuilia ſuſcipiebant: *Nouell. 9.* Et ſummus Pontifex cuiuis quoduis Spirituale & Eccleſiaſticum munus committet, tametſi nullo fidelitatis Sacramento ſit obligatus. Sed ait Lutherus: *hoc eſſe contra illud: Gratis accepiſtis, gratis date.* Pulchrè. Quaſi iuramentum fidelitatis ſit merces ſuſceptæ & acceptæ functionis, non vinculum, quo quis ſe ad officii ſui partes ſedulò & gnauiter explendas adſtringit.

OCTAVVS ERROR. *Si papa ſuæ & fraterna ſalutis ita ſit negligẽs, ita inutilis & remiſſus, vt innumerabiles populos ducat ſecum primo mancipio gehennæ in æternum multis plagis vapulaturus, huius culpas à nemine mortalium redarguendas eſſe. d. 40. Si Papa.* Quàm immanis error, cuius immanitas magis eluceſcet, ſi conſtet; à quo fluxerit. Fluxit autẽ à S. Bonifacio, viro ſanctiſſimo, Martyre fortiſſimo & inuictiſſimo, noſtræque Germaniæ Apoſtolo: & ab hoc tanto viro hic tantus ſcilicet error in Ius Canonicum venit. Videat lector, an non cum S. Bonifacio, noſtræ Regionis Apoſtolo, malit ſentire, quàm cum Iſlebienſi Apoſtata calumniari. SECVNDO, clariùs hinc etiam immanitas huius erroris eluceſcet, ſi quis accuratius ſecum perpendat, quòd Pontifex ſit ſupremus Iudex, neque vllum maiorem ſe habeat: hinc enim manifeſtum fit, non ſine manifeſtiſſimo errore aſſeri, Pontificem à nemine iudicari poſſe. Nam quomodo à nemine iudicari poteſt, qui nullũ Iudicem habet; eò quòd ipſe in celſiſſimo dignitatis & auctoritatis gradu conſiſtat. Quis igitur non videt, quàm euidens, plana & proba ſit hæc Lutherana conſequentia: *Pontifex nullum habet in terris Iudicem, quia nullum habet ſuperiorem, Ergo ingens error eſt aſſeuerare ipſum à nemine iudicandum, aut iuridicè redarguendum eſſe, niſi deprehendatur à fide deuius*, vt Canon loquitur: Nam quin debita cum modeſtia & reuerentia de malè commiſſis commoneri poſſit ab illis, quibus ob muneris quo in Eccleſia funguntur, excellentiam, hoc competere videtur, id nec S. Bonifacius, nec Ius Canonicum vnquam negauit. Et exſtant huiuſmodi admonitionum exempla. *Hic articulus*, ait Lutherus, *etiamſi ſolus eſſet, ſufficiens fuerit cauſa, omnes libros Pontificios comburendos.* Vel verba rectè conſtrue, ſi non potes ſenſa.

Sed

Sed mittamus leuiora, & Lutheri verba Auctori in ſinum regeramus, nam quæ circa hunc octauum errorem, vel potius mendacium ſuum ſcripſit, ſatis eſſe deberent cuiuis cordato, vt omnes Lutheranas chartas in focum luculentum inijceret, inque tenues auras conuerteret. *Quid non Diabolicum, quid non abominandum proponunt ſibi, qui,* vt loquitur Iudas Apoſtolus, *dominationem ſpernunt, maieſtatem blaſphemant,* imò, *qui quæcunque ignorant, blaſphemant; quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.* Mitto dicere, quòd Lutherus Canonem detruncauit, nec ſincerè, vt apud Gratianum exſtat, retulit.

NONVS ERROR. *Salutem vniuerſitatis fidelium poſt DEVM, ex Papa incolumitate pendere.* Ibidem. Canonis verba ſunt iſta: *Pro cuius (Papæ) perpetuo ſtatu vniuerſitas fidelium tantò inſtantiùs orat, quantò ſuam ſalutem poſt Deum ex illius incolumitate animaduertit propenſiùs pendere.* Quid hic erroris, quid criminis? A cuius ſalute magis poſt DEVM pendet ſalus ouium, quàm à ſalute paſtoris, & quidem paſtoris paſtorum, hoc eſt, à Vicario CHRISTI? *Neceſſe eſſet perire omnes Chriſtianos,* inquit Lutherus, *quoties Papa malus eſſet.* Minimè verò. Quia aliena malitia nemini nocet, niſi conſentiendo faciat ſuam; Et oues ſequi & amplecti debent id, quod paſtor dicit, non quod agit, niſi benè agat. *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite,* monebat Saluator, *Secundum opera verò illorum nolite facere.* Cur dicta ſequi oportet? Quia vt olim ex Cathedra Moyſis; ita & iam ex Cathedra Petri, etiam à malis non niſi bona dicta & monita proficiſci poſſunt. Cur facta promiſcuè imitari non iubemur? quia etiam benè ex Cathedra docentes, malè viuere & agere queunt.

Decimvs error. *Neque Papam, neque eius ſententiam quiſquam in terris iudicare poteſt. Ipſe verò Papa omnes homines iudicat. 9. q. 3. C. cuncta.* Quid mirum, ſi ſummũ Iudicē nemo iudicat? Summus non eſſet, ſi huius ſummi Iudicis alius Iudex eſſet. Quid mirum, ſi ſummi Iudicis ſententiam nemo in dubium vocat, cùm ſit vltima, ſuprema, & definitiua? Quid mirum, ſi Papa omnes homines iudicat, cùm omnium hominum gerat curam, verbis illis ſibi commiſſam: *Paſce oues meas.*

At videamus, quanta mendaciorum, conuiciorum, & inſcitiæ turba Canonem *Cuncta*, Gloſſator noſter gloſſet. Ait:

I. *Eſſe capitalem articulum regni Antichriſtiani.* Feramus conuiciũ hoc ab Antichriſti Prodromo, & propè dixerim, intimo cubiculario: Antichriſtum & Antichriſtianum regnum tonat, vt hoc quaſi tegmine Antichriſtum ſuum, & Antichriſti famulatum, quem profitetur, velet.

II. Articulum hunc de Papæ *ſumma iudiciaria poteſtate penè per totum Ius Canonicum ſemper repeti.* Numeret, qui volet, titulos Iuris Canonici, hoc eſt, Gratiani, Decretalium, Sexti, Clementinarum, Extrauagantium, videatq; num plures ſint tituli & Canones, in quibus idem aſſeritur, quod in Canone *Cuncta*, quem Lutherus citat; an verò ſint innumeris partibus pauciores, & tum de hoc Lutheri dicto ſtatuat, num falſitati, an veritati annumerari debeat.

III. *Ius Canonicum in hoc vnum eſſe confictum, vt Papa libere poſſet & facere, & delinquere, quidquid vellet, licentiamque dare peccandi, & impedire bona.* Mendacium hoc eſſe, vel ipſum mendacium fateatur, ſi ſententia eius ſuper hoc dicto rogetur.

IV. *Stante hoc articulo, iacere profligatum CHRISTVM, & eius*

& eius Verbum. Iacet videlicet profligatus CHRISTVS: non ille in Bethlehem, ſed VVittenbergæ in Monaſterio Lutheri natus; Nec in Nazareth, ſed in Saxonia educatus, quem concepit & peperit Borrha & flagitioſus Apoſtata, non Virgo Deipara. Iacet profligatum Verbum, non illud, quod ex Sion, ſed quod ex tabernis cereuiſiatijs VVittenbergenſibus exiuit; adiutoribus verbique huius promotoribus, ipſo inprimis Luthero, tum Melanchthone, Amſtorfio, Carlſtadio, Spalatino, Lango, Linco, Staupitio, & neſcio quibus alijs excucullatis portentis.

Ait: *Canonem hunc ſtare non poſſe.* Probat: *Quia S. Petrus epiſt. 1. cap. ſecundo, præcipit, Omnes honorate. Ergò Papa non eſt ſupremus Iudex.* Accedit ſanctus Paulus Rom. duodecimo. *Inuicem honore præuenientes. Ergò falſum eſt, quòd Papam eiusque ſententiam nemo in terris iudicare poſſit:* Nemo miretur, has Lutheri ſubtiliſſimas argutias, Scotū, Gabrielem, Ockamum, Cameracenſem & ſimiles ſubtilitatum magiſtros legendo & terendo propè in ſuccum & ſanguinem conuerterat, & fermè ad verbum edidicerat, ſi non mentitur Philippus. *Philipp. in præf. Tom. 2. Lat. operum Luth.*

At firmius adhuc audiamus argumentum. CHRISTVS ſæpe dixit: *Qui vult maior eſſe, ſit minor. Ergò Papa non eſt ſupremus Iudex.* Quid ſi quis hoc argumentum tam acutum admoueat, ad ſupremam Imperatoris in rebus politicis poteſtatem conuellendam? Non enim tantum de Papa loquitur CHRISTVS, ſed de quouis, qui dignitate quapiam alteri præcellit. Sic ergò cum Luthero ſine ratione ratiocinemur. *Qui vult maior eſſe, ſit minor. Ergò Imperator non habet ſummam poteſtatem iudiciariam in rebus politicis.*

 Vident

Vident, opinor, Lutherani, pro ſuo acumine, quò Lutheri acumen pertingat. Itaque cohortatione illa minimè voluit Chriſtus, vt primus aut ſupremus, non ſit primus aut ſupremus: Sed, vt propter primatum ſe non extollat, nec ſpiritus ſumat; verùm interno humilitatis affectu omnibus ſeſe poſtponat, omniumque commodis ſeruiat: nam & ipſe CHRISTVS non ideò deſijt eſſe Chriſtus & ſupremus, quód per humilitatis ſtudium inſtar minimi ſeſe gereret.

Matth. 20. *Lucæ 22.*

Necdum finis. *Petrus eſt reprehenſus à ſancto Paulo Galat. 2. Ergo Petrus non erat ſummus: Ergò nec Succeſſores Petri.* Pulchrè. Quaſi priuata auctoritate reprehendere, ſit iuridicè iudicare, & ſententiam ferre. Quaſi inferior non poſſit, ſi ita neceſſitas exigat, culpas ſuperioris debita cum modeſtia & ſubmiſſione caſtigare. De iudicio quæritur, Luthere, non de reprehenſione. Paulus reprehendit Petrum, vt Apoſtolus Apoſtolum, vt collega collegam, at non iudicauit, nec potuit iudicare, vt Iudex ſubditum.

S. Petrus, ait Apoſtata, *vnà cum ſancto Ioanne, tanquam ſubditus mittebatur, ergo non erat ſupremus.* Si negetur antecedens, quo tibicine fulciet illud Lutherus? Hoc nimirum, eum, qui mittitur, ſubiectum eſſe illis, à quibus mittitur. At ſi hæc eſt vera miſſionis notio, tum Spiritus Sanctus ſubiectus erit Patri & Filio, quia ab vtroque mittitur. Falſa eſt ergò hæc miſſionis acceptio; poteſt enim par parem, & minor maiorem mittere, non quidem præcipiendo, ſed conſulendo & ſuadendo, quem modum Apoſtoli tenuerunt, cùm Petrum ad Samaritanos miſerunt. Cenſebant enim è re Eccleſiæ illius fore, ſi non qualiſcunque, ſed præcipuus omnium Apoſtolus aduentu & præſentia ſua Samaritanos dignaretur.

Addit

Addit Lutherus. *Hoc quidem verum eſt, ſecularem poteſtatem, ſuis inferioribus non eſſe ſubiectam. Sed Chriſtus hoc vertit & mutat dicens: vos autem non ſic: volens ſuperiores ſui populi eſſe omnibus ſubiectos, & ab eis iudicium pati.* Stipitem ratiocinari dicas, non hominem. nam vt non diſquiram, quomodo aſſertio Lutheri de politica poteſtate vera ſit, quomodo falſa; quis niſi bliteus & plumbeus non videat, fieri non poſſe, vt ſuperior Eccleſiaſticus, quoad iudicandi poteſtatem ſit omnibus & ſingulis; (ita enim Lutherus intelligit) ſubiectus? vbi vnquam auditum, paſtorem, & quidẽ ſupremum, ſubiici cuiuis ouiculę: Imò & toti gregi ſimul & collectiuè ſumpto? vbi auditum, paſtorem duci, dirigi, & paſci ab oue? Quando nam in vllo corpore pes aut manus illuminauit oculum; quò eundum eſſet demonſtrans? Itaq; ſi vlla in Republica abſurdum cenſeri debet, vt ſuperior iudicetur à ſubditis; hoc certè in EccleſiaſticaRepublica non niſi abſurdiſſimum exiſtimari poteſt: nec Chriſtus naturas rerum & poteſtatum immutauit, vt mẽtitur Lutherus: ſenſus enim illorum verborum: *Vos autem non ſic.* Aut horum; *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem in eos habent, benefici vocantur. vos verò non ſic. Sed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, fiat ſicut miniſtrator;* Sẽſus, inquam, horum verborum non eſt iſte, quem Lutherus fingit; vt ſcilicet princeps Eccleſiaſticus ſubditis ſit ſubditus; ſed vt non præſit cum faſtu, & tumore & arrogantia; verùm vt quamuis dignitate & poteſtate omnes ſuperet; animi tamen ſubmiſſione nulli cedat: memor ſe non modò ſuperiorem, ſed & patrem eſſe; cuius hoc proprium, viſcera miſericordiæ filiis pandere: vt ſic ius herile rigidum & exactum, paterna manſuetudine tẽperetur; ſubditisq; grati⁹ & tolerabilius accidat; cùm ſe non tam deſpoticè quàm paternè regi vident. *Luc. 22.*

VNDECIMVS ERROR. *Romana ſedes concedit auctoritatem omnibus iuribus & legibus,ſed ipſa nullis eorum ſubiecta eſt.* 25.q.1.Non ſubiicitur nimirum; quoad coactionem, quia eſt princeps omnium Eccleſiarum; ſubiicitur autẽ quoad directionem, vt & alii legum conditores legibus à ſe latis. Quod Lutherus, ſi cæcus non fuiſſet,ex primo ſtatim Canone Cauſſæ 25.intelligere potuiſſet,cuius hæc ſũt verba: *Cõfidimus,quod null⁹ iam veraciter Chriſtian⁹ ignoret,vniuscuiusq; Synodi cõſtitutũ,quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſens⁹,nullam magis exſequ ſedẽ præ cæteris oportere,quã primã,quæ & vnãquanq; Synodũ ſua auctoritate confirmat, & cõtinuata moderatione cuſtodit.* Vbi Gloſſa notat verbum *oportere* hoc loco honeſtatẽ deſignare;ſeu cõn. nientiã & decẽtiã *quod ideò dico,*inquit, *quia princeps legib⁹ ſolut⁹ eſt.vt ext.de Elect.c.ſignificaſti:tamẽ honeſtũ eſt,vt ſecũdũ leges viuat.vt ff.de leg.3.L.ex imperfecto C.de Teſta.ex imper.* Quod fuſius pòſt Can.16.explicat ipſe Gratianus. Vbi pręter cætera ſic ſcribit. *Sũmæ Sedis Põtifices Canonibus ſiue à ſe, ſiue ab aliis ſua auctoritate cõditis reuerẽtiã exhibẽt, & eis ſe humiliando, ipſos cuſtodiunt, vt aliis obſeruandos exhibeant. Nonnunquam verò ſeu iubendo,ſeu definiendo, ſeu aliter agẽdo,ſe Decretorũ dominos & conditores eſſe oſtẽdunt. In præmiſſis ergò capitulis,aliis imponitur neceßitas oſtendẽdi;ſũmis verò Pontificibus oſtenditur ineſſe auctoritas obſeruandi, vt à ſe tradita obſeruando, aliis non contemnenda demonſtrent,&c oportet ergò primã ſedem,vt diximus, obſeruare ea, quæ decernendo mandauit,non neceßitate obſequendi,ſed auctoritate impertiendi.* Hæc & plura eiuſmodi Gratianus; ad quæ cæcutiuit Lutherus: ne calumnia,quam texebat,euaneſceret.

Cæterùm vt hinc me expediam; breuiter addo;quod Imperator tanquam ſummus legum ciuilium conditor & moderator; quodq; ipſę leges; de Imperatore, tanquam de ſummo legum latore prædicant: hoc etiam

Sum-

Summus Pontifex, tanquam ſupremus Canonum Conditor de ſe, ipſiq; Canones de illo profiteri non iniuriâ poſſunt. Quid igitur Imperatores & leges? *Digna vox maieſtate regnantis, legibus alligatum ſe profiteri, & reuera maius imperio eſt ſubmittere legibus principatum.* Vbi vis *directiua* inſinuatur, vt & hîc: *Decet enim tantæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus videtur.* Alibi. *Nil tamen magis proprium eſt imperii, quàm legibus viuere.* Alibi. *Licet legibus ſoluti ſumus, legibus tamen viuimus.* Soluti videlicet ſunt quoad *coactionem*; Legibus autem viuũnt, quoad *directionem*; quia & ipſi ad legum præſcriptionem actiones ſuas componunt. *Princeps legibus ſolutus eſt*, ait Iureconſultus; quoad vim coactiuam: quis enim coget nolentem ad obſeruationem legis; quando ſuperiorem non habet? Hæc omnia ad Pontifices accommodetur, Lutherique criminationes in auras dilabentur; Si perdurent, non minus in Imperatores, quàm in Pontifices tendent.

L. digna vox. C. de Legibus. *L. Ex imperfecto. ff. de lega 3.* *L. 3. C. de Teſtam.* *Inſtit. quibus modis Teſtam. infirm.* *L. Princeps, ff. de leg.*

Dvodecimvs error. *Petra, ſuper quam Chriſtus Matth. 16. Eccleſiam ſuam ædificat appellatur d. 19. Romana Sedes cum proximis ſuis, cum tamen ſolus Chriſtus ea ſit Petra 1. Cor. 10.* Si Lutherus propter hoc dictum libros Iuris Canonici exuſſit; debebat pariter exurere Epiſtolas S. Leonis hoc nomine primi; qui Canon, *Ita Dominus*, ex Epiſt. 87. S. Leonis ad Epiſcopos Viennenſes deſumptus eſt: Debebat etiam incendere plurimorum Patrum ſcripta, in quibus hoc ipſum diſertè continetur, debebat deniq; ipſũ Euangelium in cineres redigere, in quo hoc ipſum expreſſe affirmatur. *Tu es Petrus*, aiebat Saluator, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum.* Quam petram alloquitur, niſi illam: cui dixerat: *Tu es Petrus*, & ſuper *hanc*, *quam* ſcilicet *Matt. 16.*

ver-

verbis illis: *Tu es Petrus*, deſignarat; *ædificabo Eccleſiam meam*: Nec aliud mutatione generis ſignificatur, quàm ſi nõ mutato genere dixiſſet Dominus, *Tu es Petrus, & ſuper hunc petrum ædificabo Eccleſiam meam.* Siue: *Tu es petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quia *Petrus* & *petra* idem prorſus ſunt etiam apud profanos Scriptores. *At 1. Cor.* 10. *Chriſtus appellatur petra.* Quid tum? an ideo Petrus non eſt petra? Chriſtus vocatur lux Ioan. 1. An ideo falſum illud, quod veritas de Apoſtolis protulit? *vos eſtis lux mundi* Matth. 5. petra Chriſtus eſt; ſed non illa petra, de qua Matth. 16. ſermo: ſicut & Chriſtus lux eſt; at non illa lux, de qua Saluator Matth. 5.

DECIMVS TERTIVS ERROR. *Claues ſoli Petro traditas eſſe, cùm tamen eas Chriſtus Matth.* 18 *toti fidelium vniuerſitati tradat.* Si non ſoli Petro dedit claues regni cœlorum: hoc eſt, plenariam, & à nullo alio in terris dependentem poteſtatem; cur ergò ſoli Petro dixit: *Tibi dabo claues regni cælorum*? Etſi hoc quidem loco non dedit, ſed promiſit: dedit autem, cum ſoli Petro poſt reſurrectionem dixit. *paſce oues meas*. Falſum eſt autem Matth. 18. verbis illis: *Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*: dari toti communitati fidelium eam poteſtatem, quæ Petro Matth. 16. promiſſa eſt: non enim loquebatur Chriſtus ad totam communitatem fidelium; ſed ad Apoſtolos; nec ad Apoſtolos, quaſi totam communitatem fidelium repræſentarent; ſed ad Apoſtolos, prout repræſentabant, & ſe & ſucceſſores ſuos Epiſcopos & Sacerdotes: neq; enim omnibus fidelibus peccata remittendi poteſtas conceſſa eſt, vt ſomniatur Lutherus. neq; dat, neque pollicetur Chriſtus Matth. 18. Apoſtolis omnibus ipſas claues ſimpliciter & abſolutè, hoc eſt, omnem & liberam agendi & diſ-

& diſponendi facultatem; ſicut promiſerat Petro, verbis illis: *Tibi dabo claues regni cælorum*; ſed promittit claues ad hunc effectum, vt cœlum vel aperiant remittendo peccata, vel claudant retinendo peccata; quod manifeſtum euadit ex cap. 20. Ioannis, vbi quod Matth. 18. omnibus Apoſtolis pollicitus fuerat; fideliter præſtat: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* qua reſtrictione non eſt vſus Dominus, cum Petro promiſſa perſoluit. Abſolutè enim dixit: *paſce oues meas*; quo vtiq; mandato ipſos etiam Apoſtolos Petro ſubiecit; quia & ipſi oues Chriſti erant.

DECIMVS QVARTVS ERROR. *Chriſti Sacerdotiū abeo in S. Petrum eſſe translatum. De Conſtitut. cap. Translato.* At Lutherus vel mentitur, vel calumniatur, vel vtrunq; agit: Verba capituli illius hæc ſunt ex S. Auguſtino. *Translato Sacerdotio, ſupple, Leuitico,* inquit Gloſſa, *neceſſe eſt, vt legis translatio fiat.*

DECIMVS QVINTVS ERROR. *Papam habere poteſtatem condendi iura & leges Eccleſiæ Catholicæ, 25. q 1. Ideò permittente.* Hoc non aſſeritur in Canone citato, vt Lutherus comminiſcitur. Sed hoc; vt leges & Canones patrum diligenter cuſtodiamus. *Ideò permittente Domino*, inquit Canon, *paſtores hominum ſumus effecti, vt quod Patres noſtri ſiue in ſanctis Canonibus, ſiue in mundanis affixere legibus; excedere minimè debeamus. Contra eorum quippe ſaluberrima agimus inſtituta, ſi quod ipſi diuino ſtatuerunt conſulto, intactum non conſeruamus.* Hæc Canon. Vbi nihil de legiſlatione; ſed de legum obſeruatione; tametſi ſupponitur, eſſe in Chriſtiana Republica, poteſtatem condendi leges tam ciuiles, quàm Eccleſiaſticas. *Sed huic repugnat S. Paulus* (Imò Lutherus) ad Gal. 5. *Vos eſtis vocati in libertatem.* Cur non addis ſequentia Luthere? *Tantum ne libertatem in occaſionem detis*

carnis. Quod Lutherani egregiè faciunt, cum ceruicem ſuam ab omnibus Eccleſiaſticis legibus excutiunt.

Decimvs sextvs error. *Quod hanc ſententiam: Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, eò trahit, quod habeat poteſtatem, totam Eccleſiam Catholilam onerandi legibus ſuis temerariis: Lex iuſto non eſt poſita*, inquit Apoſtolus: quia eam lubens volẽsq; obſeruat: hinc ſine onere. Cui lex onus eſt; ei & virtus onus eſt; quia lex ad virtutem ducit. vt igitur, qui virtutem præcipit, non facit id animo onerandi; ſed ad meliora prouehendi; ſic & qui legem condit, minimè quenquam onerare, ſed ad id, quod bonum honeſtumq; eſt, ducere inſtituit. Temerarias leges nullas nouit Eccleſia. Quia lex eſt decretum rationis: non temeritatis. Verba illa ad S. Petrum generalia ſunt; *Quodcunq; ligaueris. Quodcunque ſolueris.* Ligantur autem homines etiam legibus, & quidem maximè; hinc non deſunt, qui legem à *ligando* dictam velint. Et quid tritius, quàm quòd leges vel potius legislatores per leges *ligare* & *obligare poſſint?*

Decimvs septimvs error. *Quod ſub excommunicatione & peccato præcipit certis diebus carne quadrupedum, ouis, butyro, & aliis lacticiniis non eſſe veſcendum.* Credo ſanè hunc, & ſequentem errorem, ſcilicet de interdicto Sacerdotibus matrimonio, vel præcipuos, vel proximos à præcipuis fuiſſe; cur Lutherus Ius Canonicum exuſſerit: Nimirum Deus Lutheri, hoc eſt, *venter*, hanc legem, tanquam intolerandam, minimè tolerare poterat. Sed cur Lutherus tantum de carne quadrupedum Ius Canonicum loqui dicit? An carne bipedum prohibitis diebus, permiſſu iuris Canonici, veſci licet? *Ieiunia*, inquit Lutherus, *debent eſſe libera, ita vt quis ieiunet, cum lubet.*

lubet. Dic, oro, quoties Lutheranis, potiſſimum Prædicantibus; quibus iam, ſublato iure pontificio, libera ſunt ieiunia, quotannis ieiunare lubet? An fortè tunc, cum nihil eſt quod edant? An tunc, cum pridie nimium ſe inuitarunt? An tunc, cum febricitant, adeoq; iuſſu medicorum, à cibo abſtinent?

DECIMVS OCTAVVS ERROR. *Quod toti ſacerdotio interdixit matrimonio, prohibens ſacerdotes vxores ducere.* Hic error in toto Iure Canonico familiam ducit; nam Chriſtianæ libertati nullus magis repugnat; Si Lutherum audimus. Quis ferat ſibi interdici *cibo, potu, ſomno?* Atqui Luthero matrimonium æquè neceſſarium videtur, ac *cibus, potus, ſomnus.* Quis neget igitur malè factum; quando res tam neceſſaria vetita fuit? Quid ni ergò exclamet Lutherus: *Ad ignem cum Iure Pontificio*: Quia eo ſtante, Monachi non erunt mariti. Eo vigente; Moniales non maritabuntur. Conſeneſcet Catharina Borrha in ſuo Monaſterio; ego in meo. Amoliamur itaque hunc obiicem: Vosque libri pontificii venite in ignem; vt ignem Cupidinis, quo ardeo exſtinguere; & exſtinguendo magis accendere liceat.

Quantos enim ſtimulos ſub pectore Lutheri vertetit & verſarit mater Acidalia cum ſagittifero ſuo puero, teſtatum nobis fecit ipſe Lutherus, cum hæc ad ſuum Philippum ex ſua Pathmo ſcripſit: *Confundit ac diſcrutiat me tua egregia iſta ſuſpicio mei, cum ego hic induratus & inſenſatus ſedeam in otio, proh dolor, parum orans, nihil gemens pro Eccleſia Dei; quin carnis meæ indomitæ vror magnis ignibus. Summa: qui feruere ſpiritu de-* Tom. 1. Epiſtolarum lat. Epiſt. 134.

beo, ferueo carne, libidine, pigritia, otio, ſomnolentia, &c. octo iam dies ſunt, quod nihil ſcribo, neq; oro, neq; ſtudeo, partim tentationibus carnis, partim alia moleſtia vexatus. Hæc ex eremo ſua Lutherus: quæ qui penitius introſpicere volet; is minimè mirabitur; cur Lutherus poſtea Monialem ſibi copularit, tabulasq;, quibus vetabatur, exuſſerit. Verùm de æquitate Canonum, qui ſacerdotes à nuptiis arcent; plura diſſerere, ſuperuacaneum fuerit; quando tota hæc res à Cardin. Bellarmino fuſiſſimè & doctiſſimè pertractata eſt.

DECIMVS NONVS ERROR. *Quòd Papa Nicolaus, ſiue Tertius, ſiue Quartus in ſua Antichriſtiana Decretali inter multa mala ponit, Chriſtum clauium traditione poteſtatem dediſſe cæleſtis ſimul & terreni regni.* Nicolaus iſte, ſi neſcis, nec tertius, nec quartus, ſed ſecundus fuit: nec aliter terreni Imperii iura *æternæ vitæ clauigero*, beato Petro tradita dicit, quàm *indirectè*, quatenus ſcilicet Vicarius Chriſti id poteſtatis accepit, vt & de temporali Imperio diſponere poſſit; ſi hoc ſpirituale Eccleſiæ emolumentum exigere videatur. Qua poteſtate tranſtulit quoq; de Græcia Imperium, vt ait Gloſſa in hunc ipſum Nicolai Canonem d. 22. Can. *omnes*. Nam quod Pontifex Romanus directè & per ſe terrenum Imperium non acceperit, docet Nicolaus I. hoc nomine Pontifex in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem Conſtantinop. cuius verba refert Gratianus d. 96. Can. *Cum ad verum. Cum ad verum*, inquit, *ventum eſt, vltra nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium vſurpauit: quoniam idem mediator Dei ac hominum homo Chriſtus Ieſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis vtriusq; diſcreuit, propria volens humilitate medicinali ſurſum offerri, nō humana ſuperbia rurſus in infernum demergi, vt & Chriſtiani pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pōtifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus*

[Margin notes: *d. 22. C. omnes.* — *Vide Bell. lib. 5. de Pontif. ca. 5 qui paulo aliter reſpondet.*]

gibus vterentur, quatenus ſpiritualis actio carnalibus diſtaret incurſibus, & ideò militans Deo minimè ſe negotiis ſecularibus implicaret, &c. Hæc Nicolaus primus, ex quibus colligas mentem Nicolai ſecundi.

VICESIMVS ERROR. *Quòd Papa magnum & impium illud mendacium, Conſtantinum Imperatorem ipſi Romanas Prouincias, Regiones, & poteſtatem dediſſe in terra & mundo hoc inferiore, pro vero iudicat & poſtulat.* Donationem Conſtantini multi quidem allatrarunt, ſed nulli hactenus expugnarunt, nec improbabilibus coniecturis & argumentis nititur, vt oſtendit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius; quicquid contra aut Lutherus, aut alij de Prædicantium grege vociferentur, qui quidquid hac de re aut ſcriptis, aut traditione Veterum accepimus, ſolo Romani nominis odio impulſi reijciunt; ſi non odiſſent, non rejicerent. Etſi edictum illud Conſtantini, quod apud Gratianum exſtat, non vſque adeò ab omnibus erratis ille idem Baronius, immune præſtare cupit. Sed pulchrè oppugnat Lutherus hanc Conſtantini donationem, ex Scriptura ſcilicet. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra,* Matth. 6. Item, *Non poteſtis DEO ſeruire & Mammonæ,* & Lucæ 22. *Vos autem non ſic.* Ergò vanum & commentitium eſt, quidquid Ius Canonicum de donatione Conſtantini tradit.

d. 9. 6. C. Conſtant.

Bar. Tom. 3. anno Chriſt. 324

VICESIMVS PRIMVS ERROR, *Quòd Papa iactitat, ſe ſacri Romani Imperii hæredem eſſe. De ſent. & re iudicat. c. Paſtoralis.* Verũ Pontifex non vtitur *hæredis* nomine, ſed in hunc modum loquitur: *Nos tam ex Superioritate, quam ad Imperium non eſt dubium, nos habere, quàm ex poteſtate, in qua vacante Imperio, Imperatori ſuccedimus, &c.*

Lib. 2. Clemen. tit. 11.

Cur *Hæredis* vocabulum de ſuo nobis obtrudit & intrudit Lutherus, niſi quia videbat ad ſtruendam calumniã

Bellar. lib. 5. de Pont. c.5. ad 4m. longè eſſe aptius, quàm illud, quo Pontifex vtitur. Deinde reſpondeo cum Bellarmino, Pontificem ſuccedere Imperatori, vacante imperio, non in omnibus rebus, ſed ſolùm in auctoritate iudicandi & determinandi eas cauſas, quæ à ſolo Imperatore iudicari ſolent, & quæ non patiuntur facilè moram. Et hæc poteſtas non tantum ſignificatur in cap. cit. *Paſtoralis*, ſed etiam in cap. *Licet ex ſuſcepto*, extr. de foro competente.

VICESIMVS SECVNDVS ERROR. *Quod Papa docet, vt Chriſtianus vim vi repellat.* Sit ita, vt dicis. An non idem docet Ius Naturale? Comburat ergò Lutherus omnes illos libros, qui Iuris naturalis præcepta continent. *L. vt vim. ff. de iuſt.* Idem docet Ius Ciuile. Itaque eandem aleam ſubeat Ius ciuile, quam Pontificium. Quis tam tardus eſt & hebes, vt neſciat vnicuique defenſionem ſui, rerumque ſuarum permiſſam eſſe, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, vt vulgò dicitur. Nam, quæ Lutherus adfert ex capite quinto Matthæi: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo*, & id genus alia, ea ſunt conſilij, non præcepti.

VICESIMVS TERTIVS ERROR. *Quòd Papa docet, Inferiores & Subditos poſſe ſuis Superioribus inobedientes & contumaces eſſe; & quòd Papa poſſit Reges deponere.* Cæterùm hoc non protulit Lutherus ex Iure, ſed ex maleſano capite, quia mendacium eſt: Vbi enim docet Ius Canonicum, vt ſubditi Dominis non obtemperent? Reges deponere poteſt non ſimpliciter, ſed tunc cùm Chriſtianæ Reipublicæ vtilitas & neceſſitas id exigit. Non vnum huius poteſtatis in Principes exercitæ exemplum ſuppeditat nobis Antiquitas, quam ſuis vociferationibus Lutherus nunquam euertet. *Vide Bellarm. lib. 5. de pontif. cap. 7. & 8.*

VIGESIMVS QVARTVS ERROR. *Quòd Papa*

niti-

nititur etiam poteſtatem habere conuellendi & diſſoluendi omnia iuramenta, fœdera, & obligationes inter ſuperiores & inferiores Status erectas. Non omnia, vt tu mentiris, ſed ea, quæ infringere Reipublicæ & Eccleſiæ intereſt. Cur imponis Iuri Canonico, quæ à Iure Canonico tàm aliena ſunt, quàm alienus es tu à vero & DEO? Sed impoſtor es tu. Quid mirum, ſi imponas?

VICESIMVS QVINTVS ERROR. *Papam habere poteſtatem vota DEO facta diſſoluendi & commutandi, de vot. & vot. Redempt.* Si iſte error eſt, erraſſe oportet illum, qui dixit: *Et tibi dabo claues regni cælorum: & Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Certè claues etiam ad vota ſe extendunt. Potuit Lutherus & ſua, & ſuæ Borrhæ, totque Monachorum & Monialium vota euertere & temerare: & Pontifex Regni cœleſtis Clauiger, erroris damnabitur, cùm docet, obligationem votorum auctoritate Pontificia exſolui & commutari poſſe. Maior ſcilicet erit potentia libidinoſi Monachi, quàm Paſtoris ſummi. A quo abſit, vt votorum nexus ſoluat eo pacto, quo ſoluit Lutherus. Ille enim ſoluit vt Vicarius Dei, hic vt Miniſter & Interpres Diaboli. Vbi enim & quando auditum eſt vlla vota à Pontifice ad diſſolutiſſimum Lutheri modum fuiſſe diſſoluta? *Matth. 16.*

VIGESIMVS SEXTVS ERROR. *Quòd Papa docet, eum, qui differt ſuum votum ſoluere ex præcepto DEI, non teneri culpa rupti voti. Ibidem.* Verba capituli quinti de voto & voti Redemptione, hæc ſunt: *Non eſt voti dicendus tranſgreſſor, qui quod vouit, auctoritate Sedis Apoſtolicæ diſtulit adimplere.* Et eſt ſermo de voto peregrinationis Hieroſolymitanæ. Ergô, ſi error eſt dicere, quòd quis executionem voti differre poſſit, conceſſu Sedis Apoſtolicæ; quid dicemus de Apoſtata Luthero,

eiuſque

eiuſque Borrha, totque Monachis & Sacerdotibus, qui propria ſua libidine impulſi, vota non qualiacunque, ſed ſanctiſſima illa Religionis & Sacerdotij non modò implere diſtulerunt, ſed & ſceleratè conculcarunt, & tanquã ſuperſtitioſa, imò & ſeruatu impoſſibilia ſacrilegè repudiarunt. Quàm cæcus furor Lutheri, qui Pontifici diſpenſationem & commutationem votorum obiectat, cùm ipſe ex ſe Monacho fecerit non Monachum: ex cælibe maritum: ex votiuo votifragum: ex fœderato fœdifragum.

VICESIMVS SEPTIMVS ERROR. *Quòd Papa docet, nullum poſſe Deo ſeruire maritum vel coniugem.* Mendacium planum, perſpicuum, teſtatum, ſæpiſſimè à Prædicantibus repetitum, ſæpiſſimè Prædicantibus exprobratum, pudoris excutiendi gratia. Sed erubeſcere nequit impudentia.

VICESIMVS OCTAVVS ERROR. *Quòd Papa inutiles ſuas leges comparat Euangelijs & ſacræ ſcripturæ.* Nullum Canonem citat Lutherus. Fortè reſpexit ad illum Agathonis, d. 19. *Sic omnes Apoſtolicæ ſedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuini Petri voce formatæ ſint.* Fortè reſpexit ad cap. Sicut, d. 15. vbi ſanctus Gregorius ait: *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor.* Fortaſſe Lutherus cùm hæc ſcripſit, titulum capituli, *In canonicis ſcripturis.* in mente habuit, qui talis eſt: *Inter canonicas ſcripturas decretales epiſtolæ commemorantur.*

Sed quocunque reſpexerit Lutherus, à ſuo calumniandi genio minimè deſciuit, nam primò nullam inutilem legem comparat Papa cum Euangelijs. Secundò capitula illa: *Sic omnes*, & *Sicut*, potiſſimùm loquuntur de decretis fidei: itemque morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur,

& quæ

& quæ in rebus neceſſarijs ad ſalutem, vel in ijs, quæ per ſe bona vel mala ſunt, verſantur. Hæc autem decreta, cum ſint auctoritatis infallibilis, rectè cum ſacris literis comparantur; licet quod in omni comparatione contingit, non omnia ſint ſimilia: ſicut & Eccleſiæ auctoritas rectè cum auctoritate ſacræ ſcripturæ confertur; pariq; adeo per ſe veneratione vtraq; digna aſſeritur; tametſi ſcripturæ ſecundum quid maior eſt dignitas, quatenus ſingula verba in Spiritum ſanctum, tanquam in auctorem referuntur; quod non fit in Decretis Eccleſiæ ſeu *P*ontificum. *Vide Bell. lib. 4. de Pontific. cap. 5.* *Vide Greg. de Valent. Tom. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 42.*

In titulo Capit. *In canonicis ſcripturis*, nomen, *Canonicis*, laxius accipitur, prout ſignificat omne illud, quod Canonis, ſeu normæ Eccleſiaſticæ vicem ſubit. Qua notione dubium non eſt, Epiſtolas Decretales eſſe *Canonicas ſcripturas*, cum omnes ſint regulæ & directiones quædam. Etſi verba, quæ ſubijciuntur ex S. Auguſtino, de ſolis Canonicis ſcripturis ſtrictè & propriè ſumptis loquantur; ex mẽte quidẽ Auguſtini; at non ex mentè collectoris Canonum, qui verba illa etiam ad Decretales Pontificum Epiſtolas transferre voluit. Addo & hoc. Licet Canones dicant, vocem ſummi Pontificis, non minus audiendam eſſe, quàm vocem S. Petri; id nemini mirum videri poſſe, excepto illo qui non conſiderat, mãdata ſuperiorum, non niſi vt mandata ipſius Chriſti, accipienda & peragenda eſſe. Oraculũ Chriſti eſt. *Qui vos audit, me audit.* Si ergò *P*ontificis vox accipiẽda eſt vt vox Chriſti, q̃a eſt Vicarius Chriſti, accipiẽda itidẽ erit, vt vox S. *P*etri, q̃a eſt ſucceſſor S. *P*etri, eius nimirũ, cui peculiariter dictũ eſt: *Tibi dabo claues regni cœlorũ.* *Luc. 10.*

VICESIMVS NONVS ERROR. *Papam habere poteſtatem ſacram ſcripturam pro ſuo arbitrio & voluntate interpretandi & docendi, & nulli permittere eandem aliter, quàm ipſe Papa*

 velit,

velit, interpretari. Et hoc purum putum eſt LVTHERI mendacium: nam Papa non pro ſuo, ſed pro eius, cuius vices gerit, arbitrio & voluntate Scripturas interpretatur: neque permittit, vt quiſquam ſenſus ab Eccleſiæ ſenſu diuerſos producat. Nam *vt humana voluntate allata non eſt aliquando Prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*; ita nec humano arbitratu Prophetiæ ſeu ſacræ Scripturæ interpretatio inſtitui poteſt; ſed neceſſe eſt, vt eius inſtinctu fiat, à quo tanquam ab Auctore primitùs manauit.

2. Pet. 1.

TRIGESIMVS ERROR. *Quòd non Papa à Scriptura, ſed Scriptura à Papa auctoritatem, vigorem, robur & dignitatem accipiat.* Mendacium euidens; à quo Lutherus nunquam ſe expediet, niſi nobis hæc totidem verba in Iure Pontificio oſtendat. Pendet quidem auctoritas Scripturæ à Pontifice, ſed tantùm quoad declarationem, ſeu quoad nos, quatenus videlicet neceſſarium eſt, vt Pontifex nobis exponat, quæ nam ſit Scriptura Canonica; quod nobis niſi per iſtam Eccleſiæ ſeu Pontificis declarationem nullo modo conſtare poteſt. Vt igitur peritus auri examinator, quando ignaris aurum proponit, probumque aurum eſſe aſſerit, non facit ex non auro aurum, ſed aurum quod eſt, manifeſtat; Sic & Pontifex, dum Fidelibus Canonicas Scripturas proponit, non ex non Canonicis Canonicas efficit, ſed Canonicas neſcientibus notificat. Et ſicut aurum non à Cenſore ſuo, vim, valorem, & auctoritatem accipit, niſi quoad nos, ſeu quoad declarationem, ita nec Scriptura Canonica à Pontifice, ſed Canonica in ſe & per ſe eſt: Et Pontificis miniſterio nihil aliud ei accedit, quàm quòd iam vt Canonica ab omnibus agnoſcitur, ſuſcipitur, & colitur.

En,

En, AMICE LECTOR, triginta LVTHERI mendacia & conuicia, quibus impulſus ad Iuris Canonici exuſtionem, temeritate pluſquam Diabolica proſiluit. Et certè vel hæc vnica impudentia Lutheri, quam toto libello de exuſto Iure Pontificio promptam præ ſe fert, merebatur olim, (& etiamnum meretur) vt Tomi Lutheri non modò à Louanienſibus, Moguntinis, Colonienſibus, Viennenſibus, Ingolſtadienſibus; ſed & à toto terrarum orbe in flammas conijcerentur, & per fumum ad Tartara demitterentur. Quæ vnica res, &, vt ipſe interpretabatur, iniuria, impatientiſſimum Apoſtatam ad hoc tantum Sacrilegium adegit.

Si audent, inquit, *meos articulos comburere, in quibus plus Euangelii & veræ Theologiæ eſt*, (en Thraſonem) *quàm in omnibus Papæ libris, multo maiore merito & iure impios eorum libros Iuris exuro, in quibus nihil boni ineſt*. Et tamen homo inconſtantiſſimus ſtatim verbis proxime ſubiectis confitetur, *aliquid boni in Decretis ineſſe*.

Tandem librum ſuum terminat illo Samſonis dicto, Iudic. capit. decimo quinto, *Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis*. Et illo Apocalyp. capit. decimo octauo, *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia, ſecundum opera eius*. Quaſi cauſſa LVTHERI fuerit eadem, quæ Samſonis, aut populi DEI, cuius gratia ciuitas illa magna afflicta eſt. Quanto rectiùs cauſſam ſuam cum Philiſtinorum & Babylonis cauſſa conferret, ob impudentiam, immunditiam, ſpiritalem fornicationem, ſimileſque abominationes, quibus omnia Lutherus adeò impleuit, vt non tantùm redundent, ſed & exundent.

Verùm, vt & hoc addam; adeò Lutherus Iuri Canonico nihil nocumenti intulit; vt, quod ſupra dicebam, nec pulchrius, nec ſæpius vnquam fuerit typis deſcriptum & euulgatum, quam poſt incendium illud Lutheranum. *Nam perit, vt viuat*: libet enim ad ius Canonicum accommodare, quod Poeta Chriſtianus de Phœnice cecinit: Et adeò ſuos itidem Lutheranos non terruit, vt multi minimè formident, ſeſe Iuris vtriusque hoc eſt, Canonici & Cæſarei, Doctores ſcribere, huncq; titulum laudi & gloriæ ſibi tribuant.

Ex quorum numero quidam Doctor Neoburgicus, qui Colloquio Ratiſbonenſi nuper interfuit; eidemque ſubſcripſit, non ſine titulo *Doctoris Vtriusque Iuris*, ipſoque facto ſuo Lutheri factum, & Poetaſtrorum quorundam in Lutheri factum Encomia, impudentiæ & dementiæ coarguit. Præcipuè hoc, quod Tomo ſecundo operum Lutheri cum cæteris legitur:

Quorſum hæc perditio? cur nam perit iſta papyrus?
Quæ tunica piperi quiuerat eſſe loco?
Ab ſcelus iſta piper tegeret maledicta papyrus?
Non erat immundas tergere digna nates.

Hæc Stercutii Lutheri inquinatus diſcipulus, cuius fœdam maledicentiam Doctor iſte, (vt & alii) ipſo ſuo titulo refellit: Nam ſi Codices Iuris Canonici maledicta charta forent; ſi indigniſſimis etiam functionibus indigni eſſent; id vtique eueniret propter Ius, quod continent; Ipſa enim per ſe charta, innocua res eſt: At quod ratione Iuris charta illa non ſit maledicta; abundè teſtatum Doctores iſti Lutherani faciunt: neq; enim credendum eſt, quòd ſe eius Iuris Doctores appellitent, quod in chartas relatum, chartam maledictam, ipſiſq;

ipſisque etiam ſordibus indignam efficiat. Lutheri ergó factum, Lutheranorumque Voluſiana carmina ipſi hæretici damnant & refutant.

Porrò, ſi qui Lutheri ſtudioſiores ſunt, qui *Iurium Doctores* ſe vocent, & ab alijs vocari cupiant, ij tacitè faciunt quod alij faciunt manifeſtè. Nam quæ tandem ſunt illa *Iura*, quorum titulum in Academijs conſecuti ſunt, præter Canonicum & Cæſareum? Accedit, quod multis locis ipſi Lutherani Doctores & Iudices, ex Iuris Canonici præſcripto cauſſas cognoſcunt, lites decidunt, & ſententias pronunciant, quantumuis licet fremente & frendente tartareos inter canes fœdifrago Luthero, cui, cùm Canones combureret, longè veriore & decentiore Muſa hæc Hutterus accinere poterat, quàm quando chartæ Lutheri, Catholicorum miniſterio, conflagrarunt: hæc inquam:

Hut. Tom. 2. oper. Luther. latin. VVittenb.

Ergo tot inſomnes rapient incendia noctes,
Scitaque veriloqui exurent incendia Iuris?
Hoc flammæ dederint ſcelus! hoc peccabit ignes!
Auxilium ferat vnda piis, cadat imber ab alto
Extinctum ferale malum. Da Chriſte tuorum
Hoc votis precibusq; piis, ſi ſcribere dignum eſt,
Et ſeruare diu, nunquam mutabile verum.
Audaces cohibe mentes, obſiſte tyrannis,
Inſontes qui fraude necant, compeſce furorem,
Graſſantem in leges & libera Iura furorem.
Et nunc ardentes, tua fortia verba, libellos,
Reſpice magne Pater, dirumq; vlciſcere factum.
Te petit hæc rabies, tua ſunt opprobria, Legi
Fit vis iſta tua, contrà ſcelus omne probatur,
Laudaturq; nefas, tandem expergiſcere, tandem
Vt ſe quiſque gerit, merita ſint præmia vitæ.

Diuinum ſuperet verum, ſeruetur honeſtum,
Et pereat flammis ſceleratus Apoſtata ab iſtis,
Autores ſcelerum pereant, ſæuumque Lutherum
Emiſſæ repetant furiæ, conflagret ab igne,
Quo lus innocuum nunc furcifer impius vrit.

Hæc & id genus alia, ſi Huttenus Luthero ceciniſſet, meritò olor, non anſer exiſtimari potuiſſet.

Ad extremum, nec illud ſilentio tranſmittendum exiſtimo. Cùm libri Lutheri à Leone X. Pontifice, Carolo Quinto Imperatore, & à plurimis alijs Principibus Eccleſiaſticis & Politicis, itemque à celeberrimis Academijs prohibiti & proſcripti eſſent, & Sacerdotes, qui confeſſionibus ſacris præerant, *Pœnitentes* abſoluere nollent, niſi LVTHERI libris in perpetuum valedicerent, Lutherus Anno Domini milleſimo quingenteſimo viceſimo primo, Germanica lingua libellum vulgauit, qua inſtituit confitentes, quomodo cum Confeſſarijs agere debeant, ſi ob lectionem librorum Lutheranorum, abſolutionis beneficium impertiri abnuant, qui libellus inter ſtultiſſima Lutheri opera de ſtultitiæ palma merito ſuo certat; nam ne micam quidem ſani capitis complectitur, & tam inſulſus eſt, vt inſcrutabilem diuini iudicij abyſſum admirari libeat, qua permiſſum eſt, vt regio & natio tam nobilis à tali bruto tam miſerabiliter ſeduceretur.

Extſt. tom. 1, Ien, Ger.

CAP.

CAPVT XXIII.

Lutherum eodem iure potuiſſe comburere Ius Ciuile, quo combuſſit Ius Canonicum.

MIRABITVR fortè quis, quo pacto Lutherus furorem ſuum in Ius Ciuile æquè non exprompſerit, ac in Ius Canonicum; cùm in Iure ciuili contineantur tam intolerandi errores, iudicio Lutheri, quàm in Iure Canonico; imò, propè dixerim, magis intolerandi: Si non omnes, certè aliqui: id adeò, vt Lector videat, ſemicenturiam enotare iuuat, vt ſuſpiciamus Lutheri modeſtiam & æquitatem in Ius Ciuile, miremurq; ſeueritatem in Ius Canonicum.

Qualis igitur I. ERROR, cùm Iuſtinianus Ioannem Romanum Pontificem *honorare ſe dicit vt Patrem* II. Qualis error, cùm ſępius repetit illos honorificentiſſimos titulos: *Veſtra Sanctitas, Veſtra Beatitudo.* Hiſcéne elogijs ANTICHRISTVS honorabitur? III. Qualis error, cùm ait, *ſe feſtinare, vt omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, ad notitiam deferat ſuæ Sanctitatis.* IV. Quantus error in illis verbis: *Semper nobis fuit magnum ſtudium, vnitatem veſtræ Sedis & ſtatum ſanctarum DEI Eccleſiarum cuſtodire.* Quàm diuerſa mens Luthero & Iuſtiniano! Ille nihil aliud molitus eſt, quàm vt Sedem Romanam loco ſuo deturbaret: Hic nihil aliud, quàm vt conſeruaret.

Lib. 1. Cod. Iuſtin. tit. 1. de ſum. Trinit. L. Inter claras.

V. Quantum errorem continent iſta verba: *Nec patimur quidquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit, vt non etiam veſtræ innoteſcat Sanctitati.* VI. En quintus error parit ſextum, magnus maximum. *Quæ* (Sanctitas veſtra, ſeu Romana Eccleſia) *Caput eſt omnium ſanctarum DEI Eccleſiarum.*

Quàm

Quàm immanis error! vel ob hunc ſolum non debebat Lutherus Iuri Ciuili parcere. Sed miſſis moris pergamus ad enumerationem errorum. VII. Error, *Per omnia, vt dictum eſt, properamus honorem & auctoritatem creſcere veſtræ Sedis.* Erras Iuſtiniane, Luthero longè aliud conſilium fuit. Per omnia enim properauit, Sedis Apoſtolicæ gloriam & honorem imminuere. VIII. Quantus error, cùm Imperator dicit de Patriarcha Conſtantinopolitano: *Feſtinat in omnibus Sedem ſequi Apoſtolicam Beatitudinis veſtræ.* IX. Quantus error, cùm Imperator petit vota precesq; à Romano Pontifice: imò, vt Lutherus loquitur, ab Antichriſto: *Petimus autem veſtram Beatitudinem orare pro nobis, & DEI nobis acquirere prouidentiam.* X. Qualis error in illo Iuſtiniani voto, *Deitas te conſeruet per multos annos ſancte & religioſiſſime Pater.* Longè alias preces fundit pro Papa Lutherus. Longè alia vota pro Pontificis ſalute concipiunt Lutherani.

Habemus iam errorum decadem. Reſtant quatuor. Pertexamus ſingulas. Fortaſſis non ſine auctario. XI. igitur error patens & euidens eſt ille: *Quam* (Romanam Eccleſiam) *eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum Statuta declarant, & pietatis veſtræ reuerendiſſimi teſtantur afflatus.* XII. *S. Petrum Apoſtolorum primum*, & Romanæ Sedis *Auctorem eſſe.* XIII. *Æquum eſſe, vt qui noſtris* (hoc eſt, Romani Pontificis) *minimè obedientiam accommodant Statutis, ab Eccleſia habeantur extorres.* XIV. Error inſignis, cùm Imperator *piiſſimus* Papæ *Filius* nominatur. Siccine Imperator Antichriſti filius erit, & quidem *piiſſimus*? XV. Laudatur Iuſtinianus, quòd *Principatum* Apoſtolicæ Sedis, *vt Chriſtianiſſimus & pius conſeruet in omnibus.*

Habemus

Habemus ergò quindecim perſpicuos errores, ex duabus epiſtolis Iuri ciuili inſertis, legumque vicem obtinentibus; altera Iuſtiniani ad Pontificem Ioannem: altera Pontificis ad Iuſtinianum. Reſpondebunt fortaſſe Lutherani, has litteras eſſe ſuppoſititias & apocryphas. At ego reſpondeo; primò, eò magis à Luthero comburi debuiſſe. Cur ergò non combuſſit, ſi pro ſuppoſititijs habuit? Si dicant, *Elogia* alterius Epiſtolæ proficiſci à Pontifice Romano. Quid tum poſtea? Eò magis Lutherus flammis aduerſus hanc Epiſtolam armari debebat: Cur enim Ius Canonicum in cineres vertit, niſi, quia ex Pontificum officina prodijt? Denique qui Epiſtolas illas pro fictitijs habet, is primùm ſoluat argumenta, quæ pro eorum auctoritate aſſerenda adferunt contra Hottomanni calumnias, Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, & Clariſſimus Iureconſultus Andreas Fachinæus: & ante hos omnes, Celeberrimus ille Alciatus. Hoc cùm eruditè & ſolidè præſtiterint, (quando autem id præſtabunt?) tum exceptiones illorum locum apud nos inuenient.

Baro. tom. 7. Annal. Fachin. lib. 8. controu. Iuris c. 4.

Interim nos quod inſtat agamus. XVI. error quàm conſpicuus! *Vt legum originem anterior Roma ſortita eſt; ita & ſummi Pontificatus apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet.* At Lutherus non modò dubitat, ſed & pernegat. XVII. error, Romam eſſe *Patriam legum*, *Fontem Sacerdotii.* XVIII. error in hoc conſiſtit, quod Iuſtinianus Romanam Eccleſiam, ſingulari priuilegio, centum annorum præſcriptione gaudere voluit: non ſine ſumma Eccleſiæ Romanæ commendatione: *Quod igitur noſtra æternitas ad omnipotentis DEI honorem venerandæ Sedi ſummi Apoſtoli Petri dedicauit, hoc habeant omnes terræ, omnes Inſulæ totius Occidentis; quæ vſque ad ipſos Oceani receſſus extenduntur,*

Nouell. 10. Ibidem.

tur, noſtri Imperii prouidentiam per boc in æternum reminiſcentes.

Nouell, 131 XIX. Error. *Prædictorum ſanctorum Conciliorum* (Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini primi, Chalcedonenſis) *decreta perinde, vt ſacras ſcripturas ſuſcipimus.* Habes hic in Iure Ciuili errorem illum Iuris Canonici, quem Lutherus vigeſimo octauo loco poſuit: vt enim ſanctus Gregorius apud Gratianum teſtatur, ſe non ſecus quatuor illa Concilia venerari ac quatuor Euangelia; ita idem de ijſdem deque ſeipſo ijſdem propemodum verbis teſtatur Iuſtinianus. XX. error ibidem, *Canones, vt Leges cuſtodimus.* Ergò, vt Leges non ſunt comburendæ, ita nec Canones. Aut ſi Canones, Ergò & Leges. XXI. error in ijſdem verbis: Nam Canonibus alligari, repugnat libertati Chriſtianæ, quæ in eo conſiſtit, interprete Luthero, vt non ſimus obnoxij mandatis hominum. Nam *vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* 2. Cor. 3. Et *non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos donauit.* Gal. 4. Sed quid reſpõdebit Lutherus, ſi quis hoc vel ſimile argumentum obijciat. Aut per has ſententias, expedire ſe etiã debent hæretici ab obſeruatione & obligatione legum ciuiliũ, aut cum hac retinere debent obſeruationem & obligationem legum eccleſiaſticarum. At prius meritò nolunt. *Diligentiſſimè admonendi ſunt homines*, inquit Philippus Melanchthon *de illis Paulinis ſententiis, vt ſciant, quò referri debeant. Cùm enim pauci ſint ſpirituales, alii carnales, transferunt illam libertatem ad ciuilia, & ſomniant ſe in hac corporali & ciuili vita legibus ſolui.* Debent ergò hæretici dare poſterius. Quæ enim cauſſa, quòd libertas Chriſtiana non liberat nos ab obligatione legum ciuilium? Nonne pax, tranquillitas, debitus ordo? paucis, bonum cõmune Reipublicæ, quæ omnia ſublatis legibus corruunt. At eandem ob cauſſam neceſſarium

Phil. diſpu. de diſcrimi. noui et veter. teſtam.

tium

rium planè eſt, vt libertas Chriſtiana non eximat nos ab obligatione legum eccleſiaſticarum, cùm in eccleſiaſtica quoq; Republica neceſſaria ſit pax & tranquillitas, debitus ordo& id genus alia,quæ ſine legibus retineri non poſſe, planum facit ipſa plus quàm Babylonica apud Aduerſarios confuſio.

XXII. error, quòd lex ciuilis in conſcientia obligare queat. Iuſtinianus enim violatoribus conſtitutionis ſuæ, de præſcriptione centum annorum, dicit non tantùm humanas pœnas, ſed & *cœleſtes* paratas & decretas eſſe. At quid magis Lutheranæ doctrinæ aduerſatur, quàm eum pœnas æternas mereri, qui legem in gratiam & fauorem Romanæ Eccleſiæ conceſſam violet? *Idem Nouell. 5. ſub fin.*

XXIII. error, quod Pontifex ſecundum Ius ciuile, quod Iuris diuini & ſacrorum Canonum, quoad hoc caput, interpres eſt, ſit *primus omnium Sacerdotum. Sancimus*, inquit lex, *vt ſecundum Canonum definitiones ſanctiſſimæ veteris Romæ Papa primus omnium Sacerdotum ſit.* Mirum quomodo Lutherus errorem hunc tolerare potuerit in Iure Ciuili, à quo adeò offenſus fuit in Iure Canonico. XXIV. error, Plus ſtudii *in obſeruatione Canonum, quàm in cuſtodia legum ciuilium ponendum eſſe.* XXV. error, *Sacros Canones pro ſalute animarum noſtrarum conditos & conſtitutos eſſe.* cur ergò comburuntur? XXVI. error, Eos, qui ſacros Canones obſeruant, *Domini Dei potiri auxilio, & qui in hoſce prævaricantur, ſeipſos condemnationi ſubiicere.* Quali igitur condemnationi ſe ſubiiciet ille, qui ſacros Canones concremat? XXVII. error, Bigamos arcendos eſſe à Clero. *Quod autem eos*, inquit Nouella, *qui alteram duxerunt vxorem, Sacri Canones Clericos eſſe prohibeant, in ſanctis etiam habitus Baſilius docens ita inquit, Eos qui nuptias iterarunt, Canon excludit miniſterio.* *Nouell. 131* *Nouell. 132 init. vide etiam Nouell. 6. Ibidem. Ibidem.*

Nouell,123 & 6, Iam verò quàm non ferendi in Schola Lutheri ſunt iſti errores de cælibatu. XXVIII. *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur, ſed ſi habere probetur, ab Epiſcopatu deiiciatur, quo ſe fecit indignum.* XXIX. error. *Conuenit huiuſmodi eligi & ordinari Sacerdotes, quibus nec liberi ſint, nec nepotes: etenim vix fieri poteſt, vt vacans huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne ſtudium, omnemque cogitationem circa diuinam liturgiam, & res Eccleſiaſticas conſumat.*

l.42.Omnē C.de Epiſcop. & Cleric.edi. Godof.

L.45.ſacris Canonibus C.de Epiſ. & Cler. Porrò Lex, *ſacris Canonibus*, tot propè errores, Luthero inimiciſſimos, complectitur, quot verba. Sit ergo error XXX. quòd Preſbyteris nuptias vetat. XXXI. Etiam Diaconis, XXXII. Etiam Subdiaconis. XXXIII. Iſtiuſmodi homines tam Sacerdotio, quàm diuino Miniſterio, atque etiam dignitate ipſa, quam habent, nudat. XXXIV. error, cùm ſtatuit, *ne legitimos quidem & proprios eſſe eos, qui ex huiuſmodi inordinata conſtupratione naſcuntur, aut nati ſunt, ſed eam quæ ex talibus ſeminibus oritur, participare turpitudinem.* XXXV. error, cùm ex his nuptijs natos, tales eſſe *diſponit*, quales illi ſunt, *quos leges ex incertis aut nefariis natos nuptiis definiunt, ita vt neque naturales aut nothi ſeu ſpurii intelligantur, ſed prorſus & vndique prohibiti, & ſucceſſionis genitorum indigni, ac nec donationem ab aliis capere poſſint, neque hi, neque horum matres, nec per interpoſitas quidem perſonas, ſed omnibus in hos collatis à patribus beneficiis, ad ſanctam Eccleſiam, ex qua ſunt, qui talia deliquerunt, reuertentibus.* Bone Deus, quales filij Lutheri, & tot Apoſtatarum, ſi omnibus nothis & ſpurijs longè ſunt deteriores, ſi ne vllius quidem legati aut donationis capaces! At quantus XXXVI. error, his verbis comprehenſus. *Sacros Canones non minus, quàm Leges valere, etiam noſtræ volunt Leges.*

Si igi-

Si igitur ſacri Canones rogo digni ſunt; etiam leges rogo dignæ erunt, quia Canones, vt Imperator dicit, tantundem valent. Cur igitur Lutherus cũ Decretalibus non exuſſit leges? XXXVII. error ſit, quẽ errat Imperator, cum ait: *Quod ſacri Canones probibent, id etiam nos per noſtras abolemus leges.* Iſte error natus eſt ex hoc, quẽ XXXVIII. loco locare placet. *Leges non dedignantur ſacros Canones imitari.* Nouella 5.

XXXIX. Stationem meretur locus ille, qui eſt Nouell. 123. *Si is, qui ordinandus eſt Diaconus, vxorem ſibi iunctam non habeat: non aliter ordinator, niſi prius ab eo, qui ipſum ordinat, interrogatus profiteatur, poſſe ſe poſt ordinationem, vel ſine legitima vxore caſtè viuere: nequeũte eo, qui ordinat, ordinationis tempore Diacono permittere, vt poſt ordinationem vxorem ducat. Sin verò hoc fiat; Epiſcopus, qui id fieri permiſit, Epiſcopatu eiicitor.*

XL. error. *Si poſt ordinationem Presbyter aut Diaconus, aut ſubdiaconus vxorem duxerit; reiicitor à Clero, & curia ciuitatis, in qua Clericus erat, traditor.* Nouell: 123. Ibid.

XLI. error. *Si lector ſecundam vxorem duxerit, aut primam quidem, ſed viduam, aut diuortio ſeparatam à viro, aut legibus, aut ſacris interdictam Canonibus, non amplius ad alium gradum Eccleſiaſticum procedito. Et ſi quocunq; modo ad maiorem gradum prouebatur: deiiciatur ab eo, & priori reſtituatur.* Sed mittamus errores iſtos, quibus Nouellæ & primus liber Codicis ab ipſo etiam Godefrido, tametſi non Catholico, editus, abundat: annon inſignis error eſt XLII. cũ ſic leges loquuntur: *Conuerſationis Monachalis vita ſic honeſta eſt. ſic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detergat: & purum, ac rationabili naturæ decentem, & plurima ſecundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celſiorem reddat.* Aduerſa fronte hęc Nouell. 5. Lutheri & factis & ſcriptis aduerſantur. Vt & id, quod

Nouell. 133 alibi alia Nouella profitetur. & ſit error XLIII. *Solitaria vita atq; in ea contemplatio, res planè ſacra eſt, & quæ ſuapte natura animas ad Deum adducat; neq; iis tantùm, qui eam incolunt, commodet: ſed etiam omnibus aliis, puritate ſua, & apud Deum interpellatione competentem de ſe vtilitatem præbeat.*

XLIV. error. Quo vultu legat Lutherus, cùm in eadem Nouella, ſtatum Monaſticum; *ſtatum Angelicum* nominari videt? Si Angelicus eſt, ſequitur ergò Lutherum à ſtatu Angelico deſcendiſſe. Sed quo? XLV. error; quia leges adeò Monachis matrimonium prohibent, vt ſi fortè in Clerum adſciſcantur, lectoresq; & cantores fiãt, vxorem ducere nequeant; licet leges iſtis Clericis vnam vxorem non negent, dummodò tamen talis ſit, quæ bigamũ

Nouell. 5. non reddat. *Si quis*, inquit Nouella, *monaſticam profitentium conuerſationem meruerit Clerici ordinationem, maneat etiam ſic puram ſeruans conuerſationem. Quod ſi facti Clerici abutatur fiducia, & ad nuptias venire (quippe tali gradu conſtitutus inter Clericos, qui ei vxorem ducere permittat, dicimus autem Cantorum aut Lectorum; aliis enim omnibus nuptias ſecundum ſacros Canones penitus interdicimus) aut concubinas habere, aut luxuriis vitam tradere præſumat, excludatur modis omnibus à Clero, tanquam priorem conuerſationem & ſolitariam confundens vitam.*

Nouell. 133 Quàm craſſus error ille apud Lutherum & Lutheranos. Et ſit XLVI. *Non ingredietur omninò neque mulier in monaſterium virorum, neque vir in muliebre, vel obtentu memoriæ defuncti illic reconditi, vel ob aliam cauſſam. Et maximè, ſi quis fratrem fortè, aut ſororem, aut quempiam ex genere coniunctis, ſe in monaſterio habere dicat, Monachis etenim cognatio in terris non eſt: vtpote, qui cæleſtem vitam adfectent,*

Verumenimuero hucusq; minorum duntaxat gentium errores prompſimus. Familiam inter omnes ducit iſte, qui XLVII. ſtationem obtineat. *Siquis, non dicam, rapere, ſed attentare tantum iungendi cauſſa matrimonii ſacratiſſimas virgines* (Moniales ſeu Nonnas) *auſus fuerit, capitali pœna feriatur.* Væ capiti tuo, Luthere, niſi quamprimum Ius Ciuile in flammas abieceris. Non enim tantum attentaſti Monialem tibi iungere, ſed & iunxiſti. Rumpe moras, actum eſt de tuo capite, niſi à pyra opem petas. XLVIII. Similis error eſt; cum Iuſtinianus Diaconiſſæ nubenti, eiusq; nuptiatori capitale ſupplicium ſtatuit. *Quod ſi præſumpſerint* (Diaconiſſæ) *aut erubeſcentes ordinationem, aut derelinquentes ſacrum miniſterium ad nuptias venerint, aut aliam omninò elegerint vitam: ipſæ quidem obligatæ efficientur morti, & ſubſtantia earum applicabitur ſanctiſſimis Eccleſiis, aut Monaſteriis, in quibus ſunt; qui verò eas, aut vxores accipere, aut corrumpere præſumpſerint, obnoxii quidem & ipſi gladio erunt; Subſtantia autem eorum applicabitur fiſco.* Rurſus capiti Lutheri & Borrhæ periculum creatur; niſi hos tantos errores Vulcano emendandos tradat Saxonicus ſanctimonialium raptor, & funeſtus violator.

L. ſi quis. C de Epiſc. & Cler.

Nouell. 6.

XLIX. Nec excuſabilis error eſt; quod Imperator ædificationem Monaſteriorum laudat: cum potius ex Lutheri Euangelio deſtructio commendanda ſit. Nec illud errore vacat, quod Epiſcopum adeſſe iubet, cum Monaſterii fundamenta iaciuntur. *qui manus in cælum extendat, & per orationem locum Deo conſecret, figens in eo ſalutis noſtræ ſignum (dicimus autem adorandam, & verè honorandam crucem,)* Quid opus cruce? ait crucis hoſtis.

Nouell. 5.

Sed piget progredi. Plenæ ſunt omnes Nouellæ huiuſmodi erroribus non-erroribus; quibus Luthe-

rus

rus impulſus Ius Canonicum ad pyram damnauit: vt taceam, librum primum Codicis, cuius propemodum ſingulæ leges talia continēt aut mandant, quæ Luthero non niſi moleſtiſſima euenire poterant; vt proinde quiuis, qui rem cum animo ſuo accuratius perpendit; mirari poſſit, cur Lutherus Iuri Ciuili pepercerit: niſi fortè ciuilem magiſtratum, qui vbiq; præſtò, veritus, hoc tantum ſcelus perpetrare auſus non fuit: ſecuriorem ſe fore ratus, ſi pontificium Ius, tanquam Pontificis, iam popularibus ſuis inuiſi, partum, ad ignem depoſceret. Videbat enim non ſatis tutum aut conſultum fore, ſi tantum ſibi in Ius Cæſareum, & in ipſum Cæſarem ſumeret, quantum in Ius pontificium, & in Pontificem.

Coronidis loco addere lubet adhuc vnum errorem, & quidem grauiſſimum; ſimilem illis, quos initio de Pontifice Romano recenſuimus. Continetur is in L. *Cognoſcere* C. de ſumma Trinit. vbi ſic loquitur Imperator de Romano Pontifice. *Nec patimur, vt quidquam eorum, quæ ad Eccleſiaſticum ſpectant ſtatum, non etiam ad eiuſdem* (Romani Pontificis) *referatur beatitudinem: cum ea ſit caput omnium ſanctiſſimorum Dei Sacerdotum, vel eò maximè, quod quoties in eis locis hæretici pullularunt, & ſententia & recto iudicio illius venerabilis Sedis coerciti ſunt.* Plura qui volet, is Theologiam Iuridicam clariſſimi viri, Doctoris Ioannis Fickleri, Conſiliarii Bauarici, adeat.

Edit, Godefr.

Quàm autem Luthero non defuerit voluntas agendi cum Iure Ciuili id, quod egerat cum Canonico, perſpicuè cognoſcet lector ex variis dictis, quæ paſſim operibus Lutheri inſperſa ſunt: quæ omnia diligenter ex Tomis Lutheri collegit Doctor Ioannes Piſtorius. nec quidquā aliud ſunt, quàm clara & euidentia teſtimonia ingentis odii, quo Lutherus in Ius Cæſareum, Iurisq; Cæſarei Profeſſo-

Piſt. in Anatomia Lutheri, Spiritu ſecundo c. 6. Azgar. 5.

feſſores ardebat, vt proinde non niſi formidine Magiſtratus politici, ſibi ab incendendo Iure Ciuili temperarit. Quod quamuis incendiſſet: quid tandem effeciſſet? Idem nimirum, quod effecit combuſtione Iuris Canonici: hoc eſt, nihil. viuit regnatq; adhuc Ius Canonicum in ſchola, & in Eccleſia: Et quod mireris, etiam in VVittebergenſi Academia, in qua teſte D. Piſtorio, adhuc auditoribus explanatur; non obſtante incendio illo Lutheri in eadem Academia excitato. Ita fit vt ne ipſa quidem VViteberga impium Lutheri factum, deque Iure Canonico Iudicium ſuffragio ſuo probet.

Porrò cum Lutherus flammis in Ius Canonicum, & in vtriusq; Iuris Profeſſores atrocibus maledictis graſſaretur; Collegium Iuridicum in alma Ingolſtadienſi Academia pulcherrimum vindictæ modum excogitauit; non abſimilem illi, quem olim aduerſus calumniatores ſuos vſurpauit celeberrimus pictor Apelles: Vt enim iſte ſcitiſſimo penicillo calumniam, eiusq; totam familiam depinxit; picturamq; publicè ſpectandam propoſuit; vt in ea, tanquam in ſpeculo, criminatores ſe geniumq; ſuum contemplarentur; ita Facultas Iuridica Academiæ Ingolſtadienſis totum Lutheranismum, in tabula verè Apelléa, hoc eſt, ingenioſiſſima & elegātiſſima, coloribus adumbrari & repræſentari curauit, monumentumq; ære perennius in ipſa Academiæ curia furioſo Apoſtatæ, eiusq; aſſeclis poſuit, fixit, dicauit, addita hac Epigraphe:

Conuicia Lutheri in Iurecon-ſults. Vide in ſermon. conuiual. tit. de Iuriſtis.

Iudæi auratum vitulum coluêre: Lutheri
Monſtroſum at vitulum cæca caterua colit.

X IVRIS

IVRIS PROFESSORVM COLLEGIVM INDIGNITATE REI MOTVM F. C. INGOLSTADII M. D XXIV.

ALludit diſtichon ad vitulum illum Iudaicum ab Hebræis ſacrilegè in deſerto adoratum: & ad Monachouitulum; monſtrum Fridbergæ in Saxonia ſub exordia Lutheranæ factionis prognatum; de quo Lutherus commentarium vulgauit; ne neſcii eſſemus, cuiusnam typum & imaginem monſtrum illud gereret. vterq; vitulus prædicta in tabula expreſſus viſitur, ſublimi columnæ inſiſtens; circa alterum orgia ſua celebrant ſaltitantes & tripudiantes Iſraelitæ: circa alterum ingens transfugarum Sacerdotum & Monachorum, itemq; Monialium nupturientium & laſciuientium opificumq; & mulieicularum caterua choreas ductat, Biblia lectitat; Verbum Domini intonat; cappas, cucullos, ſcapularia decutit, excutit; pedibus conculcat: Ius pontificium in ignem vocat: vno verbo, vitam Lutheranam agitat: Bacchum cenſeas cum thyaſo Satyrorum & Mænadum. Ex altera parte populus Catholicus, paſſis ad ſidera palmis Diuos in vota vocare conſpicitur; vetere ritu & more; non ſine ſannis Lutheranorum ſycophantarum; quos pictor tam fabrè & peritè delineauit; vt canes illi & illuſores non in imagine; ſed in ſua pelle apparere videantur. Sed vela contraho; Nam tabula hæc, tabula Cebetis longè venuſtior; alium artificem deſiderat.

C A

CAPVT XXIV.

COMMEMORABILE EXEMplum de libris Dauidis Georgii Baſileæ palam concrematis.

EXſtat libellus Baſileæ Anno Domini 1559. editus hoc titulo: *Dauidis Georgii Holandi Hæreſiarchæ vita, & doctrina, quandiu Baſileæ fuit: tum quid poſt eius mortem, cum cadauere, libris, ac reliqua eius familia actum ſit. Per Rectorem & Academiam Baſileenſem in gratiam ampliſſimi ſenatus eius vrbis conſcripta.* Ex hoc libro cum alia diſcere licet orthodoxis, tum illud, quomodo vniuerſim omnes omnium Hæreticorum libri ſint tractandi, qua cura & induſtria indagandi, & conquirendi, qua ſeueritate abolendi. Neque enim aliorum Hæreticorum libris ideò parcendũ eſt, quod minus fortaſſe peſtilentes ſunt, quàm Georgiani. Vt exterminentur rogoque addicantur, ſatis eſt, quòd peſtilentes & pernitioſi ſunt. *Neque enim quia Manichæorum* (Dauidicorum) *morbo non laborant, propterea fidei ſanæ ſunt,* inquit eleganter S. Auguſtinus, *Non vnum peſtilentiæ eſt genus, quemadmodum in corporibus, ita & in mentibus Sicut ergò medicus corporis non continuò pronunciaſſet à mortis periculo liberum, quem negaſſet hydropicum, ſi alio letali morbo perſpexiſſet ægrotum: ita iſtis non ideò veritas gratulatur, quia Manichæi non ſunt, ſi alio genere peruerſitatis inſaniunt.* Sed ad rem. *S. Augu. lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag.*

Cum poſt Dauidis Georgii interitum, Baſileæ paſſim percrebuiſſet, quis & quantus Hæreſiarcha fuiſſet, quantos, & quàm exitiales errores ſcriptis & voce tradidiſſet, ſenatus Baſilienſis, vt gliſcenti malo occurreret, primò omnium omnes familiares Dauidis Georgii in carcerem coniecit: *Et quoniam ſcripta non pa-*

rum momenti in huiuſmodi rebus habere iure cenſentur, inquit Relatio illa hiſtorica, *Senatus ad hoc idoneos deligit, qui ſcripta diligenter inquirant: atq; inuenta in Curiam illicò comportari curent: & ſingulis ſcribas comites attribuit, qui omnia, quæ exportarentur monumenta, in tabulis notarent. Hi ergò, eodem tempore, diuerſi ad omnia eorum domicilia (nam diuerſis in locis habitabant) de improuiſo eunt: inquirunt: magnum librorum & literarum cumulum auferunt cum imagine ipſius, quæ eo viuo depicta fuerat. Quæ omnia ſenatus delectis ex Theologorum & Iuriſconſultorum viris eruditis & probis diligenter inſpicienda & excutienda tradit: vt quidquid ad Religionem ſpectare viderent, ſecernant; & in his, ſi quid ſacroſanctæ receptæq; religioni aduerſari compererint, aut alioqui ſuſpectum, diligenter notent, atq; ad Senatum referant, &c.*

Illi ſingulis accuratè auditis, lectis, & expenſis, vno ore, atque vna voce pronunciant; quæ illis capitibus proponerentur, ea eſſe à recta fide Chriſti aliena, ſacroſanctis literis prorſus aduerſa, pernicioſa, contumelioſa in DEI, *&* IESV *Chriſti maieſtatem, atq; à tota Chriſti* IESV *Republica exterminanda, &c.*

Vno altero ue menſe exacto, captiui dimittuntur, ſed ea inter cæteras lege, vt Dauidicos libros omnes ſiue typis, ſiue manu ſcriptos, qui vllo modo Dauidicum fermentum redoleant, quos apud ſe habeant, mox domum reuerſi, in Curiam ferant: librum nullum lingua Batauica conſcriptum, apud ſe retineant, habeantue; nihil veræ, ac receptæ in publicis Eccleſiis noſtris Religioni contrarium vnquam ſcribant. Liberos ſuos nulli prætereà, niſi Baſilienſi ſcholæ tradant erudiendos. cum nullo, nullaue ex inferiore Germania qui quidem nunc in eorum ſunt familia, connubia contrahant. Familiam præterquam ex hac regione acceptam, nullam domi, in prædiisue habeant, &c.

Subiungit Relatio. *Biduo poſt, Iudices rerum capitalium de Dauidis Georgii cadauere, in ſepulchro exiſtente, libris, & reliquis*

reliquis ad eum pertinentibus, in aream productis, extremum iudicium inſtituunt. Itaque, vbi Iudices conſedêre, qui fiſci nomine cauſam agebat, ita accuſationem aduerſus eum intendit, vt primùm obiiceret eius in vrbem hanc aduentum, Euangelii prætextu, cùm tamen ob ſuam pernicioſam ac turbulentam ſectam, doctrinamque ex inferiore Germania profugiſſet: ob quam non parua multitudo vtriuſque ſexus, tum etiam propria eius mater vita multati fuerant, tum totius temporis, quo hic fuit, ſimulationem veræ Religionis: tametſi clam ibidem ſuam Sectam, editis etiam libris, qui coram eſſent, fouerent, eorum, qui etiamnum Dauidici vocentur, &c.

Atque ita recitatis aliquot, eius peruerſi dogmatis, locis, quibus ſumma ferè eius doctrinæ continebatur, quos iuſſu Magiſtratus antea collectos diximus, atque ab Academia vniuerſa condemnatos, petiit Actor, vt de eius dogmate Iudices, quid iure agendum cenſerent, pronunciare vellent. Ad hanc Actoris poſtulationem, Iudices cenſuerunt eius ſcripta omnia vbicunque inuenirentur, eiuſque dogmata, tanquam in diuinam maieſtatem impia, & peſtifera, vt ſunt, flammis abſumenda eſſe. Hanc vbi latam ſententiam audiuit Accuſator, poſtulauit ſecundo loco, quid de eius imagine, domi eius inuenta, quæ hominem ad viuum mirificè exprimeret, deque eiuſdem cadauere, quod in diui Leonardi inter Chriſtianorum corpora conditum eſſet, faciendum ſtatuerent: præſertim cùm nefas eſſet, tam impii ſeductoris, & totius violatæ ſacroſanctæ Religionis, Rei, corpus in eo loco quieſcere, vbi tantum, qui veram Chriſti fidem confeſſi ſunt, iure conquieſcunt. His auditis, Iudices de Dauidis Georgii imagine & cadauere ita decernunt; quoniam Dauid Georgius pernicioſiſſimæ Sectæ Autor & fautor extitiſſet, quique maieſtatis diuinæ, & violatæ Religionis Chriſtianæ reus, vt eius cadauer, ſiue oſſa, & quidquid reliquum in eius ſepulchro fuerit, effodiendum; extra portam lapideam, in locum, vbi de condemnatis extremum ſupplicium ſumitur, vnà cum libris, & eius effigie in haſta al-

ſta altè, vt erat ſuſpenſa, currui impoſita à carnifice, trahantur: atq; omnia ſimul rogo impoſita, in cineres redigantur, haud ſecus ac cum ipſo Dauide Georgio ex Iure Cæſareo fieret, ſi ipſe ſuperſtes eſſet, &c.

Mox currus cum libris, imagine, & effoſſo cadauere in locum deſtinatum per carnificem productus, & rogo impoſitus: vbi à Carnifice loculum ſolutum eſt, cadauer ipſum, vt erat, apparuit: quod carnifex humeris, & capiti ſubiecta in latus tabula, ita erexit, vt ab omnibus, qui Dauidem vidiſſent viuum, facilè agnoſci poſſet, &c. Sic poſitus inter ſua impia ſcripta, ſubiectis flammis, exuſtum eſt Dauidis Georgii, qui ſe regem & Chriſtum fecerat, corpus, biennio & ſeſqui ferè poſtquam eſt mortuus. Ad hoc ſpectaculum tanta confluxit mortalium vtriuſque ſexus multitudo, vt vix tanta in vrbe tota eſſe crederetur.

Hæc decreuerunt & peregerunt in Dauidem Georgiũ, eiusq; literarũ profana monumenta, non Hiſpaniæ & Italiæ Inquiſitores, ſed Zuingliani, & quidem iuſtiſſimè & rectiſſimè. At cauſæ nihil eſt, cur ideò ſe velint *haberi amabiles*, (vtar enim verbis S. Auguſt.) *Quia odioſè Manichæorum* (Dauidicorum) *aduerſantur errori, ſed meritò ſe agnoſcant odibiles, quia ſuum non auerſantur errorem. Poſſunt enim duo errores inter ſe eſſe contrarii, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ſunt ambo contrarii veritati. Nam ſi propterea ſunt diligendi Pelagiani* (Zuingliani) *quia oderunt Manichæos,* (Dauidianos) *diligendi ſunt & Manichæi,* (Dauidiani) *quia oderunt Pelagianos.* (Zuinglianos) *Sed abſit vt Catholica mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cùm monente atque adiuuante Domino, debeat vtroſque vitare, & cupiat vtroſque ſanare.*

S. Auguſt. loco citato.

Illud item cogitent velim Caluiniani, Zuuingliani, aliiq; Sectarij nihil à ratione alienum facere quibuſdam in locis Catholicos, ſi ſimilia exempla in hæreticos ſtatuant, hoc eſt, ſi ſuſpectos de hæreſi in carcerem compingant, ſi ſeuerè veritatis explorandæ gratia examinēt, ſi quæſtioni

ſub-

ſubijciant: ſi in ædes ex improuiſo irrūpāt, librosq; & literas excutiant & conuaſent, ſi hæreticæ prauitatis compertos hæreſin aut eiurare, aut ſupplicio luere cogant: ſi reſipiſcentib. publica mulcta indicatur: ſi fortunę damnatorū in ærarium publicum redigantur: Si libri, cadauera mortuorum aliquando exhumentur, & per carnificis miniſterium in cineres conuertantur: Si denique alia huius generis à Canonibus, & Legibus Cæſareis iam olim ſancita aduerſus peruerſorum dogmatum patronos & fautores ſuſcipiantur & peragentur, nam ſi hæc & ſimilia ſibi licere volunt hæretici in hæreticos, cur Orthodoxis in Hæreticos non ſit eadem poteſtas?

Dicent ſe non eſſe hæreticos. An ideò hæretici non ſunt, quia ſe hæreticos non eſſe dicunt? Quis vnquam hæreticus hæretici nomen ſibi tribuit? Ipſe etiam Dauid Georgius, nequiſſimus Hæreſiarcha, negabat vtiq; ſe hæreticum eſſe. Et ſi viuus fuiſſet combuſtus, non vt hæreticum ſed vt orthodoxū ſeſe cōburi maximis vocib⁹ clamitaſſet. An ideò ab hæreſi innocens erat? Nec ideò hæreticus non eſt, ſi quis alium hæreticum comprimit & perimit: quia & Dæmon aliquando armatur in Dæmonem, cùm nulla ſit inter illos Charitas, nulla amicitia. Etſi non iſto fine capitalis ille hoſtis Sectas introducit, ſed alio. *Et quid?* *Hom. 41. in Matth.* ait auctor operis imperfecti: *Putas ideo Diabolum multas hæreſes induxiſſe, vt inuicem ſe mendacia eius expugnent? Abſit. Sed multiformes cauſas erroris induxit, vt multis modis Chriſti circumueniatur Eccleſia, vt pars pereat per illam ſapientiam, pars per iſtam, ſicut qui multas etiam venationes prætendit, cogitans quia neceſſe eſt, aut in hac aut in illa retia venatio cadat.*

CAP.

Capvt XXV.

Ratione probatur, libros Hæreticorum abolendos eſſe.

Ex tribus Epithetis, quibus hæreſis affici & deſcribi ſolet, clarè eluceſcit, quanta cura Hæreticorum libri ſint vitandi; nam de alijs libris non quidem hæreticis, ſed noxijs tamen & pernicioſis, poſtea agemus. Nominatur ergò Hæreſis, *venenum, peſtis, cancer.* & hæretici, *venenati, peſtiferi*; & *carcinomata* ijs, quibuſcum
2.Timot.2. verſantur, afferre ſoliti: *Hæreticorum enim ſermo, vt cancer*
S.Cyprian. epiſt.40. *ſerpit*, Apoſtolo teſte. Quare S.Cyprianus monens Chriſtianam plebem, vt Hæreticos fugiat, *Procul*, inquit, *ab huiuſmodi hominum contagione diſcedite, & ſermones eorum, velut cancer & peſtem fugiendo vitate.* Alibi ait: *Hæreticos deſignari à Spiritu Sancto, tanquam ſedentes in peſtilentiæ Cathedra, peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena letalia linguis peſtiferis euomentes, quorum ſermo vt cancer ſerpit, quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infundit.*

Theodor. in Pſal. 1. *Peſtilentias*, inquit Theodoretus, *vocat Dauid non ſolùm eos, qui ſeipſos labefactant, ſed etiam illos, qui cum cæteris labem communicant inſtar morbi, qui & homines & pecudes inuadit, cuius etiam participes fiunt, qui ægrotantibus appropinquant. Quamobrem Dauidicus ſermo iubet, vt horum conſortia fugiamus.*

Si ergò Hæreſis venenum eſt, ſequitur etiam libros hæreticorum venenatos, imò & venenum eſſe; Hæreſin enim continent, hæreſin loquuntur, ſpirant inſpirantque virus, quouis vipereo longè nocentius. Cùm igitur venena tanto ſtudio prohibeantur, vitentur, & *venenarii* quoq; ſupplicijs afficiantur, quippe qui humanæ ſocietati ſint longè pernicioſiſſimi, rationi perquam conſentaneum eſt, vt hoc etiam hæreſeos venenum interdicatur, ne quis vendat

vendat, emat, aut vſurpet ad ſuam aliorúmue perniciem, & vt venenati Hæretici mulctentur, pœniſque coerceantur, ne cui id propinent. Et cùm quiuis, incolumitatis ſuæ & ſalutis amans, ſumma contentione fugiat venenum, non modò tunc cùm iam eſt expreſſum, & vt ſic dicam, cùm purum, putum, & ab eo, in quo continebatur, ſeparatum eſt, ſed etiam tunc, cùm in alio adhuc includitur, & quaſi deliteſcit, cur pari ſedulitate non fugeremus hæreſin, ſiue nudè & apertè nobis offeratur, ſiue verborum lenocinijs, quaſi integumentis inuoluta propinetur. Quis non dicam ferre ſinu, ſed vel tangere cupiat ſerpentem multo & præſenti veneno turgidum?

Ad hanc hæreſeos cum veneno conuenientiam reſpiciens venerabilis Beda, monet lectorem, vt de Iuliani Celanenſis in Campania Epiſcopi Pelagiani commentario in Cantica Canticorum, faciat illud Maronis: *Beda præfat. in Cãt.*

Qui legitis flores & humi naſcentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

hoc eſt, inquit Beda, *ſe ab eius ſuper omnia lectione compeſcat. Venenatus enim Auctor eſt, venenumque verborum blandimentis opertum offert*, & decipit, vt decipiat contra morem medicorum, *qui pueris abſynthia tetra cùm dare conantur, prius oras pocula circum contingunt mellis dulci flauoque liquore, vt puerorum ætas improuida ludificetur labrorum tenus, interea perpotet amarum abſynthi laticem, deceptaque non capiatur, ſed tali potius tactu recreata valeſcat.* *Lucret. lib. 3.*

Vt ſolet lethale poculum, mellis dulcedine temperatum, ſuauitate fallente perimere, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *ſic & hoc malum* (librorum hæreticorum) *per blandimenta aurium, audientium ſenſus quadam labe contaminans, contagione adhærentes inficit.* Inter cætera præcepta, quæ Iſaias Abbas Monachis præſcribit, hoc etiam dat: *Si librum inuene-* *Nazianz. lib. de fide.* *Iſai orat. 4. exſt. tom. 2. biblioth. SS. PP.*

rū, qui dicatur eſſe hæreticorum, caue illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, ſed in ea doctrina, quam in Eccleſia ſancta didiciſti, ita perſiſte, vt ei nihil addas, nihil detrahas.

Eſt præterea Hæreſis peſtis; Hæretici eorumq; libri peſtiferi. Quis peſtem non horret, quæ toties exhauſit ciuibus vrbes? Quis non execratur, quis rem peſte infectam licet precioſiſſimam ferat, vel prope corpus ſuū eſſe ſinat? Quanta vigilantia non modò peſte iam laborantib. ſed & illis qui ex peſtifero loco veniūt, aditus interdicitur? Quàm citò quicquid peſte infectū creditur, flammis traditur, quantumuis alioquin charum ſit & amicum. *Peſtilentia enim eſt morbus*, inquit S. Auguſtinus, *latè peruagatus, & omnes, aut penè omnes inuoluens.* Quæ cauſa, cur omnes eū tantopere horreant. Si hæc peſtis corporum adeò inuiſa eſt mortalibus, qui nihil non moliuntur, vt eam à finibus ſuis auertant, mirum profectò eſſet, ſi hæreſin, animorum certiſſimam peſtem, & libros, qui hanc peſtem ſpargunt & multiplicant, tolerarent, nec qua licet ſollicitudine obſiſterent. Non enim minores animorum ſtrages edit hæreſis, quàm peſtis corporum, nec minus citò. Nec refert, vtrum tu ad ea loca, vbi hæc peſtis regnat, te conferas, an venienti ad te fores pandas, ſiue hoc, ſiue illud agas, idem tibi concinnabis exitium. Nam quod vetus Vates canit de peſte corporis, id & ad Hæreſin transferre licet.

S. Auguſt. in Pſal. 1.

Lucret. lib. 6.

Nec refert vtrum nos in loca deueniamus,
Nobis aduerſa & cæli mutemus amictum,
An cælum nobis vltrò natura cruentum
Deferat, aut aliquid, quo non conſueuimus vti,
Quod nos aduentu poſſit tentare recenti.

Ne ergo tetigeritis, ne attaminaueritis hæretica & hæreticos libros, *lues eſt, contaminat, morbus eſt, polluit, ne guſtaueritis, quæ ſunt omnia ad corruptelam ipſo vſu,* vt Apoſtolus dixit.

S. Ambroſ. in pſalm. 1.

dixit. *Malus languor, qui bonam aufert mentis quietem, graui odore tetra illius ac flagitioſa voraginis (*hæreticæ*) contrahitur animarum quadam peſtilentia, corruptoque ſalubrium cogitationum ſpiramine, lues æſtuantium paſsionum miſeranda graſſatur.*

Porrò, lectione librorum hæreticorum tetrum fœtorem animo adflari, adeò verum eſt, vt ſancti Viri hanc graueolentiam aliquando ipſis etiam corporeis ſenſibus perceperint. Illuſtre huius rei exemplum ſuppeditat nobis vita S. Pachomij, qui cùm Anachoretas quoſdam Origenis hæreſi infectos, hoſpitio accepiſſet, & vnà cum illis de diuinis litteris ſermocinari cœpiſſet; fœtor intolerabilis exſtitit. Illis digreſſis Pachomius *volens ſcire cauſſam tetri illius odoris, DEVM orauit: & ſtatim cognouit, quòd erant dogmata impietatis, quæ ex eorum anima emiſſa tantam adferebant moleſtiam: & non cunctatus, viros eſſe perſecutus. Quos cùm eſſet aſſecutus, dixit eis: volo vnum verbum ex vobis ſciſcitari. Illi verò dixerunt; Dic. Origenis, qui dicitur, vos opera legitis? Illi verò cùm hoc audiiſſent, negarunt, dicentes, Nequaquam. Sanctus autem dixit: Ecce teſtor vobis coram Deo, quòd omnis homo, qui legit* ORIGENEM, *& ſuſcipit eius dogmata, deſcendet in profundum inferorum, & eius hæreditas erunt tenebræ exteriores. Ego autem ſum vobis proteſtatus id, quod eſt à DOMINO mihi ſignificatum, & ſum innocens, vos videbitis. Ecce, audiuiſtis veritatem. Si autem mihi credideritis, volentes verò DEVM eſſe vobis propitium, accipite omnes libros* ORIGENIS *& proiicite in fluuium.* Hæc in vita ſancti Pachomij.

Apud Sur. Tom. 3.

Ad extremum, Hæreſin carcinomatis eſſe ſimilem, ſuprà dicebamus, cuius ea conditio, vt exedat corpore

ſerpens, *quamcunque arripuit partem, repatque per artus.* Eadẽ hæreſeos natura, omnia depaſcitur, & ab abſumptis, quæ occupauerat, proxima quæque corripit, & inexſaturabili cupiditate vorat. Nihil opus demonſtratione. Nimis multæ probationes in omnium conſpectu verſantur. Itaq; libros hæreticos iure prohiberi ex natura veneni, peſtis & carcinomatis iam liquet.

Neque ideò librum hæreticum euoluere fas eſt, quòd Auctor ad ſaniorem mentem, doctrinæque Catholicæ profeſſionem rediјt, vt quidam olim exiſtimaſſe videntur, qui abſque religione lectitabant Dictinij cuiuſdam libros quos ipſe, cùm Priſcillianum ſequeretur, compoſuerat. In quos hæc S. Leo Pontifex. *Poſtremo autem capitulo hoc prodidit iuſta querimonia, quod Dictinii tractatus, quos ſecundum Priſcilliani dogma conſcripſit, à multis cum veneratione legerentur; cùm ſi aliquid memoriæ Dictinii tribuendum putant, reparationem eius magis debeant amare, quàm lapſum. Non ergo Dictinium, ſed Priſcillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impunè præſumat, nec inter Catholicos cenſeatur, quiſquis vtitur Scripturis, non ſolummodò ab Eccleſia Catholica, ſed etiam à ſuo Auctore damnatis.*

S. Leo epiſt. 93.

Anaſt. orat. de ſacra ſynaxi.

Ait Anaſtaſius Sinaites, Patriarcha Antiochenus, auctor eruditus, & S. Gregorio Magno Synchronus, Deum peccatoribus aliquando immittere morbos, & properam mortem ob admiſſa peccata. Hoc vtique etiam de hæreticorum librorum lectoribus affirmare licebit, quippe qui non exiguo ſcelere ſe nefarij, iſtis codicibus euoluendis obſtringant. Memorabile huius rei exemplum commemorat Staniſlaus Reſcius, agens enim de Hoſio Cardinale adhuc adoleſcente, & in Academia Cracouienſi ſtudiorum gratia degente, ſcribit eum, ſi quos peſti-

Reſc. lib. de vita Staniſlai Hoſii Car. cap. 5.

peſtilentes eius generis libros, qui per Lutheranæ factionis adminiſtros, ad perniciem hominum comparandam ſpargebantur, conquirere & habere potuiſſet, omnes illicò Vulcano corrigendos obtuliſſe. Poſt quæ ſubiungit Reſcius: *Quo tempore illud quoq; memoria dignum accidit: quod cum in eadem Academia bonis literis operam daret, Fabianus Cema, iuuenis nobili loco & familia in Pruſſia natus, &* Hoſio *noſtro domeſtica familiaritate cōiunctiſſimus, niſi quod nō æquè, vt ille à rebus nouis abhorrebat, & blaſphemos Lutheranæ factionis libellos, Germanica præſertim lingua ſcriptos, non grauatim lectitabat, in acutam aliquando febrim incidit. Cuius vicem cum Hoſius doleret, officium conſolantium & libenter & ſtudioſè præſtabat; ac ſæpè ad lectulum decumbentis aſſidebat. Quodam ergò die ſub capite iacentis quendam libellum adſpicit, quem cum in manus accepiſſet, & hæreticum eſſe cognouiſſet; hæc eſt, inquit, iſta febris, quæ te adeò grauiter excruciat. Tu malum hoc ipſe tibi ſciens & volens accerſis, dum iſtas peſtes non ſolùm in animum, ſed & in lectulum tuum recipis. Quamobrem ſi febrim à corpore tuo cupis propulſatam, prius ab animo tuo blaſphemiarum ſtudium, & omnem hæreticorum colluuiem à tua conſuetudine, quàm citiſſimè remoue; nec dubites, quin te ſtatim febris acerbitas deſerat, & corporis ſanitas remota peſte conſequatur: ac ita libellum flammis vltricibus obiecit. Poſtridie verò cum ad viſitandum amicum reuerſus eſſet, à febri relictum illo ipſo tempore inuenit, quo libellum ignibus exurendum tradiderat.* Hæc Reſcius.

Porrò alios quoque noxios libros eodem iure vetari, & ex communi vſu exterminari, inde manifeſtum euadit, quia aut tradunt illicitas generiq; humano pernicioſas & diabolicas artes. Eius generis ſunt libri magici, & ſuperſtitioſi; aut mores deprauãt, cuiusmodi ſunt libri laſciui & impudici, ſalibus impuris & iocis vel pleni vel aſperſi; aut continent maledicta, & ſarcaſmos in res ſacras, in ſacros

ordines, in Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, & cæteras Eccleſiaſticæ Hierarchiæ partes, aut famam proximorum lacerant, aut quædam incautiùs dicta complectuntur, quibus inferiores offendi, & ad ruinam impelli poſſunt. Quicquid horum fit, non niſi meritiſſimo advigilant, qui ad Reipublicæ gubernacula ſedent, vt libri iſti aut penitus aboleantur, aut certè expurgentur, ſi alioquin lectione digni ſint. Et hoc cuiuis rectè affecto, vel vnicus ille verſiculus à diuo Paulo conſecratus & ſanctificatus perſuaſerit: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*, ſeu, vt vertit Tertullianus, *Confabulationes malæ*; ſeu *congreſſus mali*. Nam ſi verba praua, literis non mandata, nec chartis illita, ſed momento fermè temporis præteruolantia, tantam vim habent, vt quiduis mali in mentem bonam inuehant; quantò magis id efficient verba, vt ſic dicam, *ſolida, permanentia, non abeuntia*, quæ rimari & in intimos animi receſſus demittere, & integra legere & relegere licet, quoties lubet. Quid peſtis inde non hauriet, qui hos libros teret? Verùm quia res magni momenti eſt, accuratiùs de libris laſciuis & impudicis, ſiue poëtici, ſiue hiſtorici ſint, diſſerendum erit.

Tertull. lib. 1. & 2. ad vxorē.

CAPVT XXVI.

Libros laſciuos & impuros meritò prohiberi, & ab eorum lectione iuuentutem arceri.

IN Indice librorum vetitorum, quem *Pius* IV. *Pontifex* edidit, Clemens autem VIII. nuper locupletauit & adauxit, huiuſmodi ſanctio ſeu regula legitur. *Libri qui res laſciuas ſeu obſcænas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, cùm non ſolùm fidei, ſed & morum, qui huiuſmodi librorum lectione facilè corrumpi ſolent, ratio adhibenda*

benda ſit, omninò prohibentur, & qui eos habuerint, ſeuerè ab Epiſcopis puniantur. Antiqui verò, ab Ethnicis conſcripti, propter ſermonis elegantiam, & proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

Quæ lex duas partes continet; nam primò ſimpliciter vetat libros laſciuos & impudicos. Secundò, permittit quidem huius generis libros, olim ab Ethnicis ſcriptos, ob ſermonis elegantiam, ſed tamen non vult vt iuuentuti explicentur. Et quamuis Index non interdicat, ne quis iuuenis laſciuos, ethnicos & antiquos Scriptores priuatim attingat, aut euoluat, ipſa tamen ratio & adoleſcentiæ conditio ſuadet & præcipit, vt iſtos Sirenum ſcopulos caueat, ob pericula, quibus iuuentus perlegendis huiuſmodi auctoribus ſeſe exponit. Nititur autem prædicta Lex ſumma æquitate. nam libros impuros rectè aboleri, vel, ſi non aboleantur, ab eorum tamen lectione iuuentutem meritò arceri: multis ex antiqua memoria repetitis exemplis & rationibus demonſtrare licet. *Primò enim Lacedæmonii*, inquit Valerius Maximus, *libros Archilochi è ciuitate ſua exportari iuſſerunt, quòd eorũ parùm verecundã ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet. Itaque maximum Poetam, aut certè ſummo proximum, quia domum ſibi inuiſam obſcenis maledictis lacerauerat, carminum exilio multarunt.* *Valer. lib. 6. cap. 3. Plutarch. in Apophth.*

Platonis aduerſus Homerum, alioſque Poetas decretum quis neſcit? qui eos non modò tribu, ſed & vrbe ſua mouit. *Plat. lib. 3. de Republ. vide S. Auguſt. lib. 2. de ciuitate Dei cap. 14*

Auguſtus Cæſar metuens, ne Romanæ Reipublicæ plurimùm detrimenti per Ouidianos libros, de AMORE, laſciuè ſcriptos, & improbè publicatos importaretur

taretur, illos proſcripſit, & auctorem in exilium deportari iuſſit, nec vnquam vllis precibus induci potuit, vt exulem reuocaret, etſi altera etiam non reuocandi cauſſa ſubfuit. Deplorat quidem Ouidius lamentabiliter caſum ſuum, cùm alibi, tùm longiſſima elegia, quæ ſecundum de Triſtibus librum conſtituit, aitq; ſibi ſoli ex tot Poëtis laſciuis hoc tantùm infortunium accidiſſe. Sed vtvt ſit, nec malè, nec imprudenter Auguſtus, verùm ad poſteritatis exemplum præclarè & vtiliter fecit, quod in hoc impuri amoris doctore exemplum in omnem perpetuitatẽ ſtatuit, & quidem tam ſeuerum. Quid quod ipſe Ouidius non modò tunc, cum poſt ictum ſapere didicit, ſed & cum Romæ adhuc viueret, ac floreret, diligenter & ſapienter monuit, vt qui à flagitioſæ cupidinis ardoribus ſe immunem, aut expeditum vellet, à Poetis quibuſdam abſtineret.

Ouid. lib. 2 de Remed. amoris.

Eloquar inuitus; teneros ne tange Poetas,
Submoueo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito, non eſt inimicus amori;
Et cum Callimacho tu quoq; Coë noces.
Me quoq; te Sappho meliorem fecit amicæ,
Nec rigidos mores Teïa Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli,
Vel tua cuius opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?

Greg. li. 16. de Republ. cap. 7.

Sic prohibet legi, inquit Petrus Gregorius, *ob vetitam Venerem Callimachum, Philetam, Anacreontem, Sapphò, Tibullũ, Propertium, Cornelium Gallum, & ſeipſum, vt & certè hodie eadem ratione indigni putari videntur, qui legantur, vt corruptores pudicitiæ.*

Vide P. Antoniũ Poſſeuinum

Si à pueris & iuuenibus omnis verborum turpitudo amouenda eſt, ex ſententia poetarum, maximè Iuuenalis

uenalis, cur non & omnis obſcenitas ſcriptorum procul amandaretur; quaſi verò ſcripta tantum damni non creent, quantum verba voce prolata. Iuuenalis. *Lib. 17. bibliothecæ ſelectæ, ca. 4.* *Iuuenalis ſat. 14.*

Nil dictu fœdum, viſuq́ hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

Quid ni per parodiam canamus?

Nil lectu fœdum, viſuq́ hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis paraſiti.
Procul hinc, procul inde libelli.
Laſciui.
Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, ne tu pueri contempſeris annos.

Oſtendit deinde Iuuenalis, quàm ſtultè faciant parentes, qui omnia domi munda & nitida eſſe cupiunt, & tamen filiorum animum & mores in poſtremis ducunt: nec operam dant, vt intra parietes illos nihil turpitudinis aut flagitii occurrat.

Ergò miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici.
Ne perfuſa luto ſit porticus, & tamen vno
Semodio ſcobis hæc emendat ſeruulus vnus.
Illud non agitas, vt ſanctam filius omni
Aſpiciat ſine labe domum, vitioq́ carentem.
Gratum eſt, quod patriæ ciuem, populoq́ dediſti,
Si facis vt patriæ ſit idoneus, vtilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus inſtituas.

 Quan-

Plutarch. libr. de audi. Poetis.

Quanta cura & diligentia inſtituit Plutarchus adoleſcentes: quomodo in Poetis verſari debeant, integro commentario de hac re edito. quod poſteà etiam egregiè præſtitit Baſilius Magnus. *Polypodis capiti perhibent bonum ineſſe malumq́*, inquit Plutarchus. *Nam ſuauiſſimum cum ſit, difficilem ſomnum facere, ac turbulenta & abſurda viſa excitare creditur. Eodem ſanè modo poeſis quoq́ multa iucunda, & adoleſcentis animo pabuli inſtar conducentia in ſe habet; non pauciora verò quæ conturbent eum, & de ſanitate mentis dimoueant, vbi lectioni recta inſtitutio defuerit. Neq́ enim de Ægypto tantùm, ſed de poetica etiam licet dicere:*

Illam noxia multa, & multa ſalubria ferre
Cultori medicamenta Etenim
Hic amor, hic deſiderium latet, hic quoq́ blandum
Alloquium, quamuis ſapientem fallere callens.

Laudat Plautus comœdiam ſuam *Captiuos* inſcriptam, quaſi tutò ſpectari poſſit.

Profectò expediet fabulæ huic operam dare.
Non pertractatè facta eſt, neq́ item vt cætera,
Neq́ ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles.
Hic neq́ periurus Leno eſt, nec meretrix mala,
Neq́ miles glorioſus.

Plutar. in Craſſo.

Surena fortiſſimus Parthorum, cum Mileſiaca Ariſtidis (liber is erat parum virilis) reperiſſet inter impedimenta Romani militis, miratus vel potius deteſtatus eſt Romanorum milites, qui non in bello, non in ipſo prælio à lectione librorum mollium atq; impurorum abſtinere ſe poſſent.

Hæc ethnicorum exempla Chriſtianis quibuſdam ruborem excutere, & pudorem incutere deberent, dum ſe impudicitiæ tantos patronos præbent, vt ſcriptores ſpurcos etiam Iuuentuti euoluẽdos offerant, quin & interdum

terdum expliment. quo nihil morum honeſtati pernicioſius.

Inter impudentiæ argumenta; quæ Arrianus cuidam exprobrat: hoc etiam vnum erat, quod lectioni turpium auctorum ſeſe dediſſet, relictis puris & caſtis: *Loco Chryſippi & Zenonis,* inquit, *Ariſtidem nunc & Euenum legis. Num ſic mutatus perdidiſti nihil? Loco enim Socratis & Diogenis admiratus es eum, qui & deprauare & corrumpere mores plurimorum poteſt.* *Arrian ſerm. ad eum qui impudens erat factus.*

Cum Ioannes Gerſon, magnæ auctoritatis Theologus, factum Auguſti Cæſaris, qui Ouidium, ob libros Amorum relegauit, attentius conſideraſſet, continere ſe non potuit, quo minus exclamaret: *O Deus, ô Sancti & Sancta, ô deuota Chriſtianæ religionis curia, ô præſentis temporis mores. Inter paganos paganus iudex, & incredulus paganum condemnat, qui doctrinam ſcribit, quæ ad fatuum alliciebat amorem; & inter Chriſtianos, & per Chriſtianos tale aut peius opus ſuſtinetur, laudatur, defenditur. Reuera nequaquam ſatis rei huius indignitatem & horrorem exprimere poſſum. Verba me deficiunt in ipſius reprobatione.* Hæc Gerſon. *Gerſon lib. cont. Romant. de Roſa.*

Cum lectione Æthiopicorum Heliodori iuuenes multi in periculum coniicerentur, inquit Nicephorus, *Synodus Prouincialis* (in Theſſalia) *ſtatuit, vel libellos ipſos, qui amores accenderent, igni conſumptos abolendos, vel qui eos compoſuiſſet, auctori functionem Epiſcopalem abrogandam eſſe.* Nolebat ſanctus Hieronymus, vt filiola Lætę Cantica Canticorum legeret, niſi iam matura iudicio, & in cæteris ſacrarum literarum libris trita; *ne ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritualium nuptiarum Epithalamium non intelligens, vulneretur,* vt ait ſanctus ille Pater. Et iſti prophanos quoque ſcriptores ſine noxa legi poſſe credunt à tenera ætate. *Niceph. lib. 12. cap. 34.* *S. Hieron. epiſt. 7.*

S. Gregor. Apolog. 1. *Hebræorum ſapientes*, inquit ſanctus Gregorius Nazianzenus, *hanc olim Hebræis legem fuiſſe narrant, in primis egregia laude dignam, quæ non cuiuis ætati, quiuis ſcripturæ liber concedebatur (nam ne hoc quidem vtilius eſſe, quandoquidem nec tota ſtatim à quolibet percipi poſſit, ac reconditiſſimus quisque locus externa ſui ſpecie imperitioribus plurimum mali afferre poſſit) verùm alii libri iam inde à prima ætate omnibus permittebantur, communesque erant, nimirum qui ne externo quidem verborum ſenſu quicquam improbandi abſurdique continent, alii autem his duntaxat, qui viceſimum quintum ætatis annum exceſſiſſent; velut pro laboris & induſtriæ, honeſtæque & eximiæ vitæ præmio committebantur, (ii ſcilicet, qui myſticam pulchritudinem, quaſi vili quadam veſte contegunt, his ſolis affulgentem ſpectandamque ſe præbentem, qui mentis ſordes eluerint) quod ſcilicet hæc ſola ætas ſupra corporeum externumque ſenſum aſſurgere, atque à litera ad ſpiritum præclarè conuolare queat.* Cuius legis meminit etiam alibi idem ſanctus Gregorius, & ſanctus Hieronymus, & in ſpecie de Canticis Canticorum dicit Origenes, hunc morem viguiſſe apud Hebræos, *vt niſi quis ad ætatem perfectam perueniſſet, Cantica Canticorum ne in manibus quidem tenere permitteretur.* Et iſti noſtri impudicitiæ aduocati iuuenibus poteſtatem facient, vt quoſuis auctores, quamuis ſcenica turpitudine inquinatos, euoluant. Monet Apoſtolus, *vt ſermo malus ex ore noſtro non procedat.*

S. Gregor. orat. de moderat. in diſput. ſub finem. S. Hier. Epiſt. ad Paulinum & præfat. in Ezech. Ori. præf. in Cant. Ephes. 4. & 5.

Monet, vt fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in nobis; ſicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio. A turpiloquio, inquit Clemens Alexandrinus, *ſeu obſcœno ſermone, & nos omninò abſtinere oportet, & eis, qui illo vtuntur, os obſtruere, & aſpectu ſeueriore, & vultus auerſione & ſub-*

Clemens lib. 2. pædag. cap. 6.

& ſubſannatione, & ſæpe etiam aſperiore oratione. Quæ enim, inquit, ex homine exeunt, coinquinant hominem. Communem, & ethnicum, & indoctum, intemperantemq; & petulantem eum oſtendunt: non autem proprium, modeſtum, & honeſtum, & temperantem. Cùm autem turpia æquè in audiendo verſentur atque in ſpectando, diuinus Pædagogus eadem ratione pueris lactentibus, ne aures eorum offendantur, pudicos & modeſtos ſermones, veluti quædam aurium munimenta adhibet, ne poſſit adfrangendam animam peruenire pulſatio fornicationis, oculos autem dirigit ad rerum pulchrarum & honeſtarum ſpectaculum, meliùs eſſe dicens labi pedibus quàm oculis. Quomodo, oro, his Apoſtoli aliorumq; monitis, obſequi poterit iuuenis, qui per lectionem impudicam pectus tanta ſpuricitie complet? An non tandem in verba petulantia, feſceñina & laſciua prorumpet; quia *ex abundantia cordis os loquitur.* — Matth. 19.

Denique quis neſcit, ignem igni, oleumque camino non eſſe addendum? At quis tam hebes eſt, qui ignoret lectionem impudici argumenti nihil aliud eſſe, quàm facem, qua flamma ætatis magis inflammatur & accenditur? Minimè omnium adoleſcentiæ eſt, vt in medio igne non æſtuet, & ſine aduſtione prunas in ſinu ferat. *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Meritò igitur impuri Auctores hac nota notantur, vt vel penitus exterminentur, vel certè ætati teneriori non permittantur, ſi fortè ob orationis venuſtatem & antiquitatis memoriam non penitus ex hominum ſocietate exturbantur. — Proverb. 6.

Nec audio excuſantem ſe Ouidium: — Ouid. lib. 2 Triſt.

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro,
Vita verecunda eſt, Muſa ioco ſa mihi.

Mart. lib. 1 Epigram. Nec illum, qui dixit:

Laſciua eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Auſonius Plinio tribuit. Nec Auſonium hac oratione à turpitudine ſua ſe purgantem: *Meminerint probatiſſimo viro Plinio in Poematis, laſciuiam, in moribus conſtitiſſe cenſuram; prurire opuſculum Sulpicii, nec frontem caperare: Eſſe Apuleium in vita Philoſophum, in Epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus exſtare ſeueritatem, in Epiſtolis ad Cærellium ſubeſſe petulantiam. Platonis ſympoſium compoſita in Ephebos Epyllia continere. Nam quid Anniani Feſcenninos? quid antiquiſſimi Poetæ Liuii Erotopægnion libros loquar? Quid Euenum, quem Menander ſapientem vocauit? Quid ipſum Menandrum? Quid Comicos omnes? quibus ſeuera vita eſt & læta materia.*

Auſon. in Centone.

Nec illum audio, qui Voconij amici ſui tumulum veneratus ita ſcripſit:

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

Non audio, inquam, has excuſationes: quia ab alio longè magis veridico didici, ex abundantia cordis os loqui.

Vetus etiam & verum verbum eſt, *Qualis vir, talis oratio. Ex cantu auis cognoſcitur*; animus ex ſermone, quia eſt imago mentis.

Apud Græcos, inquit Seneca, *in prouerbium ceſſit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.*

Vt nullus olor ſtrepit inſtar anſeris, ita nullus purus canit inſtar impuri, nullus caſtus inſtar inceſti, nullus à virginibus Muſis inſtinctus, inſtar lenonis.

Pueriles & planè ridiculæ ſunt iſtæ turpium Poëtarum excuſationes.

quis

quis enim non indicet illos, M. Paling. in Zod. vitæ hum.
Flagitio imbutos omni, taleſque fuiſſe,
Qualia ſunt chartis quæ mandauêre nefandis?
Index eſt animi ſermo, morumque fidelis
Haud dubio teſtis: quoniam quiſque illa libenter
Et crebrò loquitur, quibus oblectatur. Arator
De bobus, raſtris & vomere. Nauita narrat
De velis, remis, de reſtibus atque carinis.
Miles equos memorat, gladios, haſtilia, pugnas.
Sic obſcæni homines plerumque obſcæna loquuntur.

Benè Muretus in Iuuenilibus.

Rarò moribus exprimit Catonem, Muret. in
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

Eiuſdem ſtultitiæ meritò arguitur Catullus, & is, qui Catulli clypeo ſe defendit, Apuleius, qui mandant, vt Poeta ipſe ſit pius & caſtus, verſiculi eius turpes & obſceni. Sic enim Catullus: Apul. apol. 1.

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.
Qui tum denique habent ſalem & leporem,
Si ſint molliculi ac parùm pudici.

Riſum potes tenere, inquit Putherbeus, *cùm audis Catullo, Poetam oportere eſſe caſtum, Catullum ſimul tam parum eſſe caſtum, vt à laſciuiſſimo Poëta laſciuus vocetur. Nec vna contentus, multos captârit amores,* Putherb. in Theotimo.

In quibus ipſe ſuum faſſus adulterium eſt? Ouid. lib. 2 Triſt.

Scilicet; qui hoc modo ſuam petulantiam nobis purgant, illi tam pudici & caſti ſunt, quàm fuit ipſe Catullus aut Apuleius: quorum alter ſuam integritatem ſatis prodit vel illo ipſo Epigrammate, cuius ſupradicti Phaleucij pars ſunt: vt maximè alia argumenta deeſſent.

Cæte-

Cæterùm, licèt daremus, verſibus ludere, vel potius laſciuire, non eſſe ſpecimen morum, ipſumque Poëtam, ſermone petulantem, vita, moribus, & actionibus ſeuerum eſſe poſſe; petulantiam tamen & procacitatem chartis intexit, quæ lectori exitium creant: ſi non creent, non Scriptori, ſed ſibi vel potius diuinę gratię, quæ tutelæ fuit, gratias debet. Verè Chriſtianus Poëta,

Baptiſt. Mant.

Si proba vita tibi, laſciuaque pagina, multos
Efficis inceſtos, in Veneremque trahis.
Verba mouent animos: oris laſciuia pectus
Pulſat, & in venas ſemina mortis agit.

Mart. præfat. in lib. 1. Epigram.

Nec audio Martialem, qui præterea fœditatem ſuam exemplo aliorum excuſat. *Laſciuam verborum veritatem*, id eſt, *Epigrammaton linguam excuſarem*, inquit, *ſi meum eſſet exemplum. Sic ſcribit Catullus, ſic Marcus, ſic Pedo, ſic Getulicus, ſic quicunque perlegitur.*

Ouid. lib. 2 Triſt. Apul. apol. 1. Plin. lib. 5. Epiſt. 3.

Nec Naſonem, neque Apuleium, neque Plinium recipio, qui eodem perfugio vtuntur: Nam multitudo ſceleratorum non minuit ſcelera, ſed auget: nec ideò turpitudo eſt licita, quia valdè vſitata; nec ideò malum benè fit, quia à pleriſque fit: nam nec frequentia, nec impunitas peccantium, efficit, vt quod turpe eſt & obſcænum, non ſit turpe & obſcænum. Et ſi Apuleius imitari volebat Platonem laſciua carmina ſcribēdo, cur non imitatus eſt eundem obſcæna poëmata concremando? Nam Plato ſua carmina igne deuſſit; vt teſtatur ipſe Apuleius, quamuis putat id eò factum, quòd eſſent parùm lepida, hoc eſt, amatoria: at alij rectè dicunt, id ideò factum, quòd eſſent nimis lepida, hoc eſt, amatoria; & quorum tantum Philoſophum maturiorem factum puderet.

Porrò ſi iuuentuti concedendum non eſt, vt ipſa proprio ſtudio libros impuros euoluat, multò minus ferendum

dum erit, vt in Scholis à Magiſtris explanentur, & turpitudo, quam interdum chartæ inuolutiùs & implicatiùs mandarunt, euoluatur, & explicetur, quo nihil ad mores deprauandos, penituſque corrumpendos accommodatiùs excogitari poteſt; mirandumque eſt reperiri Doctores fronte tam dura & attrita, qui nefanda illa & immemorabilia, ſeu ex Cathedra, ſeu ex plano non tantùm recitare, ſed & interpretari audeant.

Socrates in Oratione parùm pudica verſans caput obnupſit, vt Auctor eſt Gellius. Idem, exemplo Socratis, fecit apud eundem Gellium ANTONIVS IVLIANVS Rhetor. cùm verſus quoſdam minus verecundos recitaret. *Permittite mihi, quæſo*, aiebat ad ſodales, *operire pallio caput, &c. Tum reſupinus, capite conuelato, verſus cecinit Valerii Æditui veteris Poetæ, item Porcii Licinii, & Quinti Catulli.* Si iſte tam profligati oris non erat, vt verſus non adeò laſciuos, aperta facie caneret, quæ tandem impudentia eſt, Magiſtrum ex loco ſuperiore obſceniſſima dicta coram toto Auditorio, ſine vllo tegumento, non tantùm legere, ſed & explicare. *Gell. lib. 19 cap. 9.*

Quanta diligentia optimus formandæ iuuentutis magiſter QVINTILIANVS præſcribit, quid puero & legendum & prælegendum ſit. *Vtiles Tragœdiæ*, inquit, *alunt & Lyrici, ſi tamen in iis non auctores modò, ſed etiam partes operis elegeris. Nam & Græci licenter multa, & Horatium in quibuſdam nolim interpretari. Elegia verò, vtique quæ amat, & hendecaſyllaba, quibus ſunt commata Sotadeorum (nam de Sotadeis ne quidem præcipiendum eſt) amoueantur, ſi fieri poteſt: Sin minus, certè ad firmius ætatis robur reſeruentur.* Ecce, omnia Horatij non vult explicari Quintilianus. Rectè ergò illi, qui non explicanda reſecant, ne, quæ explicari nequeunt, priuatim legantur. Iam verò & Elegias *Quintil. lib. 1, cap. 13.*

amatorias, & quæuis Venerea poemata à Scholis ablegat: Et de Sotadicis proſcribendis, ne monendum quidem arbitratur, ratus, hoc tam clarum eſſe, vt nullius admonitionis egeat.

Subiungit Quintilianus, *Comœdiæ, quæ plurimum ad eloquentiam conferre poteſt, cùm per omnes & perſonas & affectus eat, quem vſum in pueris putem, paulò poſt ſuo loco dicam. Nam cùm mores in tuto fuerint, inter præcipua legenda erit.* Ecce, cùm mores extra periculum naufragii fuerint, tum primùm poteſtatem legendi Comœdias facit.

Quæ Ethnici hominis cura & ſedulitas inſtruendi & informandi iuuentutem, ſine detrimento pudicitiæ, Chriſtianis exemplo & documento eſſe deberet, ne ad ludos litterarios illis Auctoribus & Interpretibus aditum patefacerent, quibus Muſæ, ſunt lupæ, non Virgines, ſed meretrices, qui Parnaſſum Virgineum in Lupanar transmutant, qui eo ore loquuntur, quo non dicam nulla ex Muſis, ſed vix vlla ex fornice vteretur.

Inualuit iam olim teterrima hæc conſuetudo, quam flebilibus modis deplorat Gabriel Putherbeus Turonicus in ſuo Theotimo, ſeu opere de tollendis & expungendis malis libris, in cuius lucubrationes incidimus, cùm hæc ipſa noſtra recognoſceremus & relamberemus.

Gabriel Puiherb. lib. 1. Pariſiis 1549.

In Opuſculo Tripartito, in quo agitur de negotio Eccleſiæ contra Sarracenos, de Schiſmate Græcorum, & de corrigendis in Eccleſia, inter cætera capita, quæ tanquam correctionis indiga proponuntur, eſt etiam hoc. *In Scholis Grammaticalibus in multis locis leguntur libelli Poetarum, in quibus continentur multa prouocatiua ad luxuriam,*

Part. 3. c. 10 exſt. Tom. 2. Concil. vet. edit.

quæ etiam ſuo auditu ſunt occaſio multis iuuenibus in iis ſtudentibus magna corruptionis, quia vt verè Iuuenalis canit:

dociles imitandis Satyr. 14.

Turpibus ac prauis omnes ſumus.

Qua de cauſſa ſapientiſſimè ſummi Pontifices non quidem veteres Poëtas & Scriptores, etſi impuros, abſolutè prohibuerunt, ſed vetuerunt tamen, ne iuuentuti explicentur. Quid enim neceſſe flammis flammas iungere & duplicare ignem, cùm non deſint caſti, & integri, ex quibus iuuentus bonarum litterarum cognitionem petat. nam recentiores iſtos, ex quibus nihil eſt diſcere, præter improbitatem, cùm nequitiam aut maiorem, aut antiquis propemodum parem, elegantiam verò nullam, aut certè priſcis illis longiſſimo interuallo imparem habeant, rectiſſimè Index Tridentinus decreto ſuo proſcripſit. Quorſum enim iſtæ labes & maculæ librorum, qui te nec doctiorem, nec diſertiorem, ſed tantummodo flagitioſiorem efficiant? Quid, quod recentiorum hoc itidem ſeu vitium, ſeu ſcelus eſt, vt inuerecundè, quidquid turpitudinum veteres illi ſub aliquo, vt ita dicam, verborum velo & integumento celarunt, id iſti verbis nudis in lucem protrahant, & ſæpe etiam turpem ſenſum ex ſua malitia fingant, vbi nil turpitudinis latet: cuius rei aliquot exempla proferre elegantiſſimus Muretus, in varijs lectionibus. Nec alium impuræ interpretationis do teſtem, quàm Ianum quendam Caluiniſtam, qui in Petronium Arbitrum ita ſcripſit, vt quouis arbitro palmam turpitudinis Petronio præripuerit.

Sed hanc ſuam impudentiam tegunt iſti prætextu boni publici. Quod nam verò hoc bonum publicum, ſi lectores flagitia rogo digna diſcant? de quibus cogitare ipſis in mentem nunquam veniſſet, niſi

 tam

tam diligentes, & accuratos nequitiæ & laſciuiæ doctores adepti fuiſſent, qui verſus ſpurcidicos & immemorabiles ea verborum obſcenitate explanant, quam ne ipſi quidem Auctores, ſat ſcio, adhibere auſi fuiſſent.

Quàm præclarè facerent iſti, ſi commentarios ſuos traderent non Typographo vulgandos, ſed Vulcano abolendos: imitati Metroclem, qui cùm libros ſuos dignos pyra exureret, hoc inſuper accinuit:

τάδ' ἐστ' ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα.

Hæc ſomniorum ſunt Phantaſmata.

Quamquã nimis leue hoc & benignum in horum ſcripta, adeò obſcena & impura.

Capvt XXVII.

Rectè ex auctoribus alioquin doctis, politis & argutis obſcæna exſcindi, vt à Iuuentute legi, & à Magiſtris in Schola, incolumi morum integritate, prælegi poſſint.

Inter cætera præcepta; quæ Deus olim Iſraelitis dedit: Etiam hoc vnum erat. *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſq; habere vxorem; introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem, in qua capta eſt.* Hæc, vt & alia, in figura Hebræis contingebant; aliudq; agendum indicabant. Quid illud? Audiamus S. Hieronymum. *Huius ſapientiæ* (ſæcularis) *typus & in Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur: de qua diui-*

Deut.21.

Hie. Epiſt. 146.

na vox præcipit, vt ſi Iſraelites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præſecet, & pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc tranſeat in victoris amplexus. Hæc ſi ſecundum literam intelligimus, nonne ridicula ſunt? Itaq; & nos facere ſolemus, quando Philoſophos legimus, quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſæcularis: ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma conuertimus: ſi quid verò ſuperfluum, de idolis, de amore, de cura ſæcularium rerum, hac radimus; his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem, ferro acutiſſimò deſecamus.

Huic diuino mandato & mori obſequuntur & illi, qui ex auctoribus, præſertim Poetis, alioquin eruditis, elegantibus optimisq; latinitatis doctoribus, exſecant omnia illa, quæ honeſtati & ſanctitati morum, quoquo modo officere poſſunt; vt ſublatis ſpurcis, obſcœnis, prætextatis, feſcenninis, nimisq; nudis dictis, à iuuentute, inoffenſo pede percurri, & in perpetuum conſortium adduci poſſint; ſine periculo pudicitiæ; vt coniunctio illa non ſit ſcortatoris cum ſcorto, ſed liberaliter educati & inſtituti adoleſcentis cum Virginibus Muſis.

Eo conſilio cum ex aliis; tum præſertim ex Horatio & Martiale ſublata ſunt, quæ Venerem impurosq; mores olent; ne poetarum tam præſtantium fructu iuuentus careret: quo neceſſariò carendum eſt, niſi laſciuia & petulantia amputetur. Quam enim vtilitatem hauriant ex illis, qui perdunt? Et ſi quandoq; non perdunt, id caſu euenit; ſicut & fortuitò accidit, vt hauſtum venenum perniciem non adferat: natura certè ſua ita comparatum eſt, vt exitium pariat. *Dæmonum cibus eſt Poetarum carmina*, inquit *S.* Hieronymus; *ſæcularis ſapientia Rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſua omnes ſuauitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animamquoque penetrant, & pectoris interna deuinciunt;* *S. Hieron. loco citato.*

unt: verùm vbi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud niſi inanem ſonum, & ſermonum ſtrepitum ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur. Studioſi earum in fame veri & virtutum penuria perſeuerant. Hoc quod S. Hieronymus dicit, rectiſſimè & veriſſimè affirmabitur de carminibus obſcœnis & flagitioſis, quæ reuera nihil aliud ſunt, quàm dæmonum cibus, quo & ipſi paſcuntur, alioſque paſcunt & ineſcant. Digniſſimos igitur laude eos cenſeo, qui hanc tam pernicialem eſcam amoliuntur, ne improuida ætas in illã incidens, prius ſe ſentiat perditam, quàm perdi. Præſtiterunt hoc iam olim in Martiale homines ex ſocietate noſtra eruditi Andreas Fruſius, & Edmundus Augerius: & nuper accuratius Matthæus Raderus: addito etiam copioſo cõmentario, quo non veterem illum impuri & liberi oris, ſed nouum puræ & pudicæ linguæ Martialem feliciter interpretatur, qui inſuper notat, Martialem à ſui quoque æui magiſtris & doctorib⁹ videri caſtratũ; aut certè ne caſtraretur timuiſſe: nam ad Corneliũ ſcribens ferrum deprecatur;

Quare depoſita ſeueritate
Parcas luſibus & iocis rogamus
Nec caſtrare velis meos libellos.

Cuius precibus meritiſſimò occluduntur aures.

Verumenimuerò non deſunt, neſcio ex qua Ballionis ſcholà, Venerei Amaſij & impudicitiæ patroni, qui ſaluberrimum hoc inſtitutum carpant; imò & conuiciis lacerent: ducti grauibus ſcilicet taliq; patrocinio conſentaneis argumentis. Ac primò mirantur nonnulli caſtrari Martialem Poëtam adeò innocentem, integrum, purũ, vt de eo ne virgo quidem queri queat. Sed ſi his Martialis purus: quid tandem impurum appellant? Fortè vt porcis cœnum non eſt cœnum, ita & iſtis ſordes non ſunt ſordes.

Nobis

Nobis cænum teterrima cum ſit ſpurcities, eadem ſubus hæc res mũda videtur, inſatiabiliter toti vt voluantur ibidem. Lucretius. *Sues quidẽ certè magis delectãtur luto*, inquit Clemens Alexandrinus, *quàm aqua munda.* Clemens l. 1. Stroma. Ipſe Martialis laſciuam verborum licentiam in ſuis Epigrammatis excuſat; & iſti tamen nihil laſciuiæ cernunt. Sed his, qui ſemper *in fætutinis & olenticetis iacent*, ita obſtrui, vel potius deprauari ſolet vis odorandi, vt ipſe etiam ſordium fœtor ſtacten, & myrrham, & omnis generis vnguenta exotica halare videatur.

Virgines, quæ de Martiale non queruntur, non ſunt illæ ex caſto Helicone: ſed quæ ſtant ſub fornice, quæ dum mores ſuos probant, Martialem improbare non valent.

Alii quiritantur, Rempublicam litterariam grandem iacturam facere, ſi non omnia, quæcunque tanti Poetæ cecinerunt, religioſè aſſeruentur. Quaſi verò in hoc Græciæ ſeu Latii opes vertantur, ſi libidinis fomenta extinguantur.

Et tamen ò flumen Tartareum, exclamat S. Auguſtinus, S. Auguſt. lib. 1. confeſſ. cap. 16. *iactantur in te filii hominum cum mercedibus, vt hæc diſcant; & magna res agitur, cum hoc agitur publicè in foro, in conſpectu legũ ſuper mercedem ſalaria decernentium: & ſaxa tua percutis, & ſonas dicens: hinc verba diſcuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus perſuadendis, ſententiisq́; explicandis maximè neceſſaria. Ita verò non cognoſceremus verba hæc, imbrem aureum & gremium, & fucum ad templa cæli, & alia verba, quæ in eo loco ſcripta ſunt, niſi Terentius induceret nequam adoleſcentem proponentem ſibi Iouem ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc: Iouem, quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri: Et vide quomodo ſe concitat ad libidinem, quaſi cæleſti magiſterio, At quem Deum? inquit. Qui templa cæli ſummo ſonitu conci-*

concutit. Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud ſpontè feci ac lubens. Non omninò per hanc turpitudinem verba iſta commodius diſcuntur, ſed per hæc verba turpitudo iſta confidentius perpetratur. Non accuſo verba, quaſi vaſa electa atq; pretioſa, ſed vinum erroris. quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus. Hæc pulcherrimè S. Auguſtinus.

Quid ſi totus Martialis intercidiſſet, eandemq; aleam quam alii plurimi ſubiiſſet? An ideò hodie minus elegantiæ & latinitatis ſupereſſet? Sit Martialis pater elegantiarum leporumq; ſit quidquid eleganter lepideq; ei tribui poteſt; profectò iſtæ elegantiæ leporesq;, non in ſordibus, non in cœno, non in illis, quæ ſæpè Martialis vſurpat, conſiſtunt; ſed ſi quid elegantiæ leporisq; eſt; id totum extra lupanaria, ganeas, nebulonumq; gurguſtia quærendum erit. Nam quæ elegantia in proſtibulis? Quæ venuſtas in illis, quæ apud honeſtos beneq; moratos nec nominare poſſis. *In cœno & ſordibus pulchritudo non ineſt*, inquit Arrianus. Mirum ſanè iſtos boni communis tam eſſe ſeueros cuſtodes, rigidosq; ſatellites, vt bonum Reipublicæ litterariæ exiſtiment ſaluum eſſe non poſſe, niſi frons, pudor, omniſq; integritas & morum innocentia funditus intereat; quod auctorum tam turpium lectione contingere neceſſe eſt. Quid ſaluum, ſi mores pereant? Nulla ergò iactura, ſi obliterentur; quæ ſine ſtrage innocentiæ, retineri nequeunt: nec magis dolendum, ſi viuere deſinat obſcenus ſcriptor, quàm ſi peſtis graſſari ceſſet. Iniquis auribus hanc meam orationem multi accipient: quod ego tanti non facio; malo enī, vt virtuti honeſtatique ſuus conſtet honos, quàm vt mihi beneuolentia apud iſtos. Vt taceam hac caſtigandi ratione non deleri penitus, quæ iſti turpiter chartis illeuerunt; ſed excuti tantum ex iuuentutis manibus: & ex publicis gymnaſiis ablegari

Arrian. lib. 4. Ser. cap. 11.

legari nutrimenta malorum. Si cuius in pectore tam altas radices virtus egit, vt ſerpentes manibus tractare, & mortiferam potionem ſine damno bibere norit: is legat licet Martialem & huius notæ alios; non moramur. Quod contendimus, hoc vnum eſt, ex adoleſcentiæ oculis & vſu, hæc talia tàm pudenda meritò remoueri, idq; non modò ſine detrimento, ſed & cum maximo emolumento Reipublicæ tam litterariæ, quàm politicæ.

Si adoleſcentes hæreticorum ſunt ex ὀφιογενῶν, Marſorum aut Pſyllorum ſtemmate, non vetabimus, quo minus Martialem integrum lectitent, & inter venena veneni expertes verſentur. Imò libenter eis cum Lucano accinemus: *Lucan, l. 9.*

Gens vnica terras
Incolit à ſæuo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli, par lingua potentibus herbis.
Ipſe cruor tutus nullumq; admittere virus
Vel cantu ceſſante poteſt; natura locorum
Iuſſit vt immunes miſti ſerpentibus eſſent.
Profuit in mediis ſedem poſuiſſe venenis.
Pax illis cum morte data eſt.

Dicemus & cum Solino. *Gentem Marſorum (*Hæreticorum) *à ſerpentibus* (poetarum) *illæſam eſſe, nihil mirum. A Circes filio ii genus ducunt, & de auita potentia deberi ſibi ſciunt ſeruitium venenorum, ideò venena contemnunt.*

Forſan iſti obiectu impuri Martialis, aut alterius cuiuſcunque laſciui ſcriptoris probant diſcipulos ſuos, num ſpurii ſint, eo modo, quo olim obiectu viperarum Pſylli explorabant, num infantes recens nati legitimi eſſent.

Fiducia tanta eſt
Sanguinis, in terram paruus cum decidit infans,

Ne qua ſit externæ Veneris miſtura timentes,
Lethifica dubios explorant aſpide partus.
Vtq; Iouis volucer, calido cum protulit ouo,
Implumes natos, ſolis conuertit ad ortus,
Qui potuêre pati radios, & lumine recto
Suſtinuêre diem, cæli ſeruantur in vſus;
Qui Phœbo ceſſêre, iacent; ſic pignora gentis
Pſyllus habet: ſi quis tactos non horruit angues:
Si quis donatis luſit ſerpentibus infans.

Valer. Maxim. l. 8. c. 1. Conqueruntur Martialem effici inteſtabilem. O ſi & queruli iſti: Valerius Valentinus accuſator G. Coſconii, cauſſa cecidit, *cum eſſet eius in iudicio recitatum carmen, quo* flagitioſa carmina de ſe confeſſus fuerat. *Siquidem Iudices iniquum rati ſunt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, ſed de ſe dare merebatur.* Cur ergò Valerius iſte, qui tot carmina ſpurca ſcripſit, non fieret inteſtabilis, ſi Valerius ille alter, tanquam accuſator, auditus non eſt, vel ob vnũ laſciuius effuſum carmen? Si inteſtabilis ex lege eſſe iubetur, *ſi quis librum ad infamiam alicuius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine:* non video quis nam Martialem, tot infamium, probroſorum & procacium Epigrammatum Auctorem, iure ab *inteſtabilitate*, vt ſic loquar, aſſerere valeat.

Licuit antiquis verſus impudicos ex paræneticis Elegiis Theognidis eximere in commodum iuuentutis, vt poetæ illius ſalutaria alioquin monita ſine periculo morum capeſſeret: Cur eodem iure non vtamur in Martialem, eiuſq; ſimiles Turpinos? De Theognidis turpiloquentia hæc Suidas: καὶ παραινέσεις μὲν ἔγραψε Θέογνις· ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι εἰσὶ μιαρίαι, καὶ παιδικοὶ ἔρωτες, καὶ ἄλλα ὅσα, ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος. *Paræneſes ſcripſit Theognis, ſed*

inter.

interſperſa ſunt turpitudines, illiciti amores, & alia, quæ vitæ virtuti dedita auerſatur. Sed turpitudo hæc magnam partem ab honeſti ſtudioſis iam olim exſecta eſt. *Ipſe contextus & ordo ſententiarum, qui nullus eſt in Theognide,* inquit Lutheranus Neander, *manifeſtè docet multos verſus paßim ex* *Neander* *tota illa gnomologia eſſe abiectos à quocunq; etiam: quod ſeu laſciui-* *in vita* *ores, ſeu impudentiores eſſent, quàm vt coram honeſtis ac puerilibus* *Theognidis.* *auribus ſe probare poſſent: ac in horum locum alios eſſe ſuffectos modeſtiores, caſtigatiores, & vtiliores etiam ex aliorum gnomologorum libris, vt Solonis, Tyrtæi Athenienſis, Chilonis Lacedæmonii, Thaletis Mileſii, Pittaci Mitylenæi, Periandri Corinthii, Anacharſis Scythæ.* Hæc ille.

Quis vnquam vitio vertit præter impuros, Maximo Planudi, quod non pauca amatoria, laſciua, & nimium iuuenantia Epigrammata, ex libro 7. Anthologiæ Græco- *Vide argument. lib. 7* rum Epigrammatum ſuſtulit, & amputauit: Etſi nonnulla *Antholo.* reliquit: ὅσα μὴ πρὸς τὸ ἀσεμνότερον καὶ αἰσχρότερον ἀποκλίνει. *quæ honeſtatis & grauitatis limites penitus non excedunt.* τὰ γὰρ τοιαῦτα πολλὰ ἐν τῷ ἀντιγράφῳ ὄντα, παρέλιπε, φησὶν ὁ Πλανούδης. *talia enim quorum magnus numerus in exemplari erat, prætermiſſa ſunt, inquit Planudes.* Grandem ſcilicet iacturam hac omiſſione tam Hellas, quam Latium fecit. Sed iudicio illorum, qui Paridis adſeſſores eſſe poſſent in iudicio Dearum, iudicio inquam impurorum, quos non eſt cur miremur: *Impurum namq; ob prauitatem cœno eſt amicum, quemadmodum ſues corpore ſordidi ſordibus delectantur;* vt *Plot. lib. 6. Ennead. 1.* verè Plotinus dicit, interpretans illud in myſteriis vſurpa- *cap. 6.* tum: *Animum non purgatum apud inferos in cœno iacere.* *Quæ* *Arrian.* *vſui noſtro domi inſeruiunt animalia ſordibus oblita nequaquam* *lib. 4 Ser.* *voluit eſſe natura,* inquit Arrianus, *nec in cœno ſe equus vo-* *cap. 11.* *lutat, aut generoſus canis, ſed ſus tantum, & putidi anſeres, vermiculi item & aranei, quæ procul ſunt remota à conuerſatione hominum.* Sed ad Martialem.

Nam

Nam quod quidam ait, *ſe quoq́, ſi quiſquam, à nuda ſeculi illius laſciuia abhorrere.* Crederem, ſi facta dictis conſentirent. ſi abhorres, cur edis, cur prodis, cur propagas, cur non opprimis? *Longè lateq́; omnes occupat bibliothecas,* inquit, *imò manus ac ſinus.* At verò longè pauciores bibliothecas, manus ac ſinus occupabit; ſi non denuò cum tota ſordiũ ſuarum colluuie publicetur. An ideò malum non eſt cõpeſcendum, quia iam longè lateq; diffuſum graſſatur? At *Martialis eſt egregius latinitatis auctor, meruſq́, veterum morum Apelles.* Verùm, niſi fallor, nil de bonitate latinitatis deteretur, licet minus latinè & nudè loquatur: nam elegantia latini ſermonis, non conſiſtit, opinor, in ſpurcitie, maculiſq; tam linguæ, quàm morum, ſed in alio quopiam: quod ſi in Martiale ineſt, inerit nihiloſecius: quantumuis impura exſecentur. *Multa ſunt eius Epigrammata diuina, in quibus & ſermonis caſtitas, & argumenti ſpecies luculenta eſt,* inquit Scaliger. *Verſus verò candidi, numeroſi, pleni, denique optimi. Alia fœda, ne legerim quidem, tantum abeſt, vt ad cenſuram vocem.* Si vir tanti iudicii & æui turpia Martialis legere noluit; cur legat adoleſcens, aut prælegantur adoleſcentiæ? Et ſi lectu indigna ſunt, iure igitur tanquam næui, pulchro ex corpore abſterguntur, & cenſoria ſpongia eluuntur; optimus morum Apelles, tum demum iure audiet, ſi Turpilius eſſe deſinat, moresq; illos pingat, qui moribus exitium non creent.

Ianus Grut. præf. in Martialem.

Scal. lib. 6. poet.

Ad eos quod attinet, ait iſte, *qui cum fibula imponenda eſſet, turpiter exſecuerunt, vt taceam, quàm hic dicuntur parum dextrè ſecuti artẽ ſectorũ, quid quæſo aſſecuti ſunt?* Hoc aſſecuti ſunt, vt iam Martialis ſine pudoris & pudicitiæ nocumento à Iuuenibus priuatim legi, & à Magiſtris publicè explicari queat. Quod antea non licuit, niſi illis, qui pudorem in propatulo, aut in poſtremis habent, Florę alu-

alumnis quorum vſui & oblectationi hæc ipſa Epigrammata Martialis ſe ceciniſſe profitetur. Qui Muſas cogitat eſſe Virgines, is Floralia iſta nec ſpectat, nec ſpectare cupit, ſed Florianis quanta, quanta non inuitus tranſcribit: imò & obliterat, ne quis vel inſcius incidat, pedemq; referenti Martialis iterum occinat.

Noſſes iocoſæ dulce cum ſacrum Floræ,
Feſtoſque luſus & licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato ſeuere veniſti?
An ideò tantùm veneras, vt exires?

Tutus erit ab hoc ſcommate, quiſquis in Martialem à Flora & Floralibus iám liberatū & expeditum inciderit. Neq; enim inueniet quidquam, quo territus reſiliat.

Quòd verò noſter Ianus (qui Epigrammata ſine fronte, etiam abſq; fronte edi legiq; optat) conqueritur de arte ſectorum Martialis, *quaſi imperitè in hoc negotio verſati ſint,* meritò fortaſſis audiat: *Ne ſutor vltra crepidam.* Turpitudinis patrono & amatori nullus vnquam ſatis ſcitè & dextrè in reſecāda turpitudine occupari videtur, ſemper dexteritatem deſiderat, illam præſertim, quæ laſciuiam petulantiamq; integrā intactamq; relinquat: quæ ſola ſiniſtris iſtis dexteritas eſt. Ne ipſe quidem Martialis, ſi ab inferis exſiſtat, inficias ierit, ſe ſcitè dextrèq; à natiuis maculis expurgatum, feliciq; manu non truncatum, non mutilatum, ſed reſectis, quæ dedecebant, ornatum, honeſtatumque: præſertim à Radero, qui non ita pridem denuo Martiali caſtigando bonam operam nauauit. Nec vſurparet amplius illud: *Improbè facit, qui in alieno libro ingenioſus eſt:* imò dictū hoc inuerteret: probeq; agere eum, qui hac ratione in alieno libro ingenioſus ſit, aſſeueraret.

Ait, Muſarum cultores exſectione Martialis, primùm excitatos, *vt collato ſic mutilo ad Archetypum prius, omne illud*

pus, omne venenum, potiſſimum oculis animiſq; imbiberent. & hoc vnum correctores iſtos effeciſſe. Non dubito, quin illi id faciant, quibus eſtrons quiſpiam Ianus Magiſter obtigit. At quib. meliore ſorte melior & pudicitiæ Doctor obuenit, qui à flagitijs dehortetur, & ad virtutis laudem aſſiduè cohortetur; illi petulantem petulcumque Martialem ne attingunt quidem, memores, ſe non Florales, quibus hæc talia Martialis ſcripſit, ſed Muſarum, hoc eſt, Virginum, famulos, & Palladis, non Veneris alumnos eſſe. Quòd autem integer Martialis ſæpius iam non ab vno Typographorum excuſus, & tanquam vendibilis merx quęſtuosè diuenditus eſt, id eorum, qui Martialem purgarunt, inſtituto non obſtat: Nam & purgatus non ſemel, ſed crebrius, nec vno duntaxat, ſed pluribus locis in lucem prodijt, & in poſterum quoq; prodibit.

Quod ſi reperiantur, quibus gratior ſit impurus, quàm purus, quid mirum, cùm non pauci reperiantur, quibus charior libido, quàm caſtitas; verborum factorumq; ſpurcities, quàm honeſtas; his præſertim hortatoribus & ducibus, qui legitimum *Priapi peruigilium* inſtaurant, & quaſi Martialis ipſe ſuopte ingenio non ſit ſatis obſcænus & procax: *Priapéa* inſuper, quouis rogo digniſſima carmina, auctarij vice adijciunt, & Martiali tanquam Auctori, aduerſus omnium eruditorum hactenus ſententiam adſcribunt; hac hedera appenſa ſuos auditores, *Priapis* huius æui, Luthero, inquam, & Caluino addictos, & ad Venerem cereos inuitant, nulloque negotio pertrahunt, vt Martialem nocturna diurnaque manu verſent, ſeque in luto illo, vt amica luto ſus, hilariter voluant & reuoluant. Et tamen Euangelicorū nomē iſti ſibi arrogant, & nil niſi Euangelium crepant, eoſq;, qui Martialis impudentiam ſtylo ferroq; caſtigant, inſimulare audent, quaſi lectoribus

anſam

anſá ad laſciuiá petulantiáq; præbeant. At dic, ô bone, q̃s facẽ iuuẽtuti ꝑportat; illéne, q̃ omnes ſordes expurgat, & ſpongia eluit; an ille, qui non modò veterẽ turpitudinem retinet, ſed & inſuper Priapea, obſcœnitatum omniũ maximam obſcœnitatem, adiungit? Qui non videt, quid reſpondendum ſit, is helleborum petat, *Anticyramq; bibat Samii Lucumonis acumẽ.* Verè enim *Lucumo* eſt, vt ad auctorem ſuum *Lucumonis* conuicium remittam. Perinde iſte facit, ac ſi incendiarius cauſſam incendij, ſe auſpice, excitati conferret in eos, qui vndiq; concurrunt, vt incendium exſtinguant, diceretq; his non bonam & ſanam, ſed ſtultam & amentem mentem eſſe, vt iſte ſcribere non erubeſcit de illis, qui obſcœnitatis occaſionem iuuenibus præcidunt. *Et* vt quædam vulnera curando deteriora fiant, huius tamen generis non eſt hoc, de quo agimus: quia curatio eius in eo eſt ſita, vt penitus amputetur, tanquam per aliam medicinam inſanabile. *Immedicabile vulnus enſe recidendum eſt.* Quomodo igit' fit deteri', ſi fundit' ex corpore eximitur?

Obiicit: *Non ſolum Martialem eſſe impurũ, & oris laſciui, alios multos in eadem naui nauigare. Martialem vix tantulam eſſe partẽ ex eorũ grege, qui ſermone nimiũ iuuenãtur: Nihil igitur cauſæ ſuppetere, cur aſperius quid in ſolũ Martialem decernatur, & ſtigmate inuratur.* Pulchra defenſio. Quaſi multitudo impurorum præpedire nos debeat, quo minus de refrenanda licẽtia & laſciuia feriò cogitetur. *Peccantiũ multitudo non parit errori patrocinium,* inquit S. Hiero. Si omnes caſtigari nequeũt, caſtigẽtur ſaltẽ pauci, minusq; turpiũ Scriptorũ habebimus, quã antea. Caſtigentur ſaltẽ illi, quos ob liberaliũ diſciplinarũ culturã in manib' iuuentutis verſari oportet. Iſti inquã, caſtigẽtur, nõnulli enim eius ſũt notæ, vt ſi expurgãdi eſſent, expurgari haud poſſent, niſi à Vulcano, cui tamẽ, vt tradantur, nemo eruditus ſuadet: non enim à iuuentute, ſed à firmiore ætate euoluendi ſunt. S.Hier. 66. Ep ſt.

Ais;

Ait, imitandos priſcos & ſanctos illos Patres, Chryſoſtomum, Baſilium, Hieronymum, Auguſtinum, alios, qui cenſuerint in legendis Auctoribus imitandas apes: nam vt illæ floribus quibuslibet inſident, ſed non niſi optimū transferunt inde ad mellificium, ſic promiſcuè quidem euoluendum omne genus ſcriptorum: ſed excerpenda tantùm meliora.

Valeret hæc ratio, ſi quilibet Lectores Dædalæ apes eſſent, quiduis in mel conuertere gnaræ. Nunc cùm iuuentuti plerumque hæc vis nec adſit nec inſit, fruſtrà apibus comparatur. Quid quòd ne ipſę quidem apes quibuſlibet floribus abſque diſcrimine inſident. Nonnullos enim auerſantur; & ſi per incuriam, vt ſic loquar, tangant, è veſtigio auolant. Cur igitur iuuenis hanc potius apum indolem non ſequatur; vt quando per bibliothecas, tanquam per libera prata vagatur, fortuitoque in laſciuum impiumq; Scriptorem incurrit, pedem referat, & virgineæ apis inſtar omne oletum vitet, certiſſimò perſuaſus, facilem vel potius nullam eſſe iacturam, ſi quis nequitiæ & improbitatis ignarus ſit. Cupio autem, vt iſte mihi loca monſtret & enotet, vbi paulò antè nominati Patres iuuenibus poteſtatem faciant, liberè per omnes ſcriptores, quantumuis laſciuos & impudicos volitandi, vt noxijs relictis, bona ſeligant; Cupio, inquam, vt iſte talia horum patrum loca nominet.

Bone Deus, in quas ſanctiſſimi iſti pariter ac doctiſſimi viri reprehenſiones non prorupiſſent, ſi iuuenem labi procliuem, capique à voluptatibus facilem, vidiſſent in Martialis obſcænitatibus volutari, ignemque ætatis igne carminum accendere? Quibus verbis inuecti fuiſſent in iſtos Ianos, qui Priapéa vulgant, qui Petronios Arbitros tam eximios luxuriæ Magiſtros, commentarijs illuſtrant, omniaq; nequitiæ arcana reuelant, & in clara luce ponūt; qui

qui Martialem & ſimiles ex loco ſuperiore interpretantur, immoto vultu, licet ea proferant, ad quæ vel Phryne, vel Thais, vel Lais, vel Ballio quiſpiam erubeſcat? Non abnuo prædictos Patres mandaſſe, vt apum inſtar, omnium Scripturarum genera percurramus: ſed hoc mandatum dederunt nõ quibusuis, ſed illis, qui ea ſunt ſolertia, vt apes imitari norint; quales nulli tenerioris & ad flagitia procliuioris ætatis: quibus ſæpe vſu venit, vt araneos potius imitẽtur, dùm non modò veneno delectantur; ſed & ſalubres ſuccos in lethale virus tranſmutant, ob naturæ peruerſitatem & ad vitia propenſionem.

Sed abiungo: totamque hanc ſeu defenſionem, ſeu digreſſionem finio celebri illo, paſſimq; vulgato Lyrici dicto:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu:

Difficulter eraditur, inquit ſanctus Hieronymus, *quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum, potentiſſimum Regem, orbiſq; domitorem, & in moribus & in inceſſu Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuerat infectus. Procliuis eſt enim malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia.* *Hie. Epiſt. 7.*

Cùm hæc ſcripſiſſem, comperi iam olim à Conrado Geſnero Tigurino, Martialem ab omni rerum verborumque obſcænitate emaculatum fuiſſe. Id enim teſtatur ipſemet Geſnerus in lucubrationum ſuarum Indice: *M. V. Martialis Poetæ Epigrammata (ad Linguæ Latinæ copiam & varias rerum nomenclaturas vtiliſſima) ab omni verborum obſcænitate in adoleſcentium, præcipuè ſcholarumque vſum expurgaui, & in locos circiter octuaginta ſex digeſſi: His adieci Dialogos*

tres, quibus ratio huius inſtituti redditur, & multa de puerilibus ſtudiis commemorantur. Tiguri 1544. Quod eò annotare viſum, vt Ianus iſte intelligat, ſibi non modò cum Fruſio & Radero, ſed & cum ſuæ Sectæ homine bellum eſſe, quì licet Euangelica plerophoria non minus plenus eſſet ac iſte, tantam tamen Martialis procacitatem & petulantiam tolerare nequijt. Vtinam Geſneri Martialis ad meas manus perueniſſet, pleraque Iani argumenta, nil dubito verbis Geſneri refellere licuiſſet: quæ vel ob cõmunionẽ Sectæ multùm ponderis apud iſtum habuiſſent. Vel Lutherum ſuum Ianus audiat, cuius hoc in ſermonibus conuiuialibus iudicium. *Neceſſarium eſſet, vt libri Iuuenalis, Martialis, Catulli, & Priapea Virg. ex omnibus locis & Scholis exterminarentur & profligarentur, quia tam turpia & obſcæna ſcribunt vt ſine magno detrimento iuuentuti non poſſint prælegi.* Hæc Lutherus. Nos tantum non poſcimus, ſed hoc duntaxat, vt Martialis à ſordibus expurgetur, expurgatusq; iuuentuti explanetur.

Tit. de doctû.

Nec ſilendus M. Tullius, cuius iudicium de Poëtis, præcipuè ad laſciuos Poëtas, & vel inprimis ad Martialem accommodari debet. *Vidésne Poëtæ quid mali adferant? Molliunt animos noſtros, ita ſunt deinde dulces, vt non legantur modò ſed etiam ediſcantur: ſic ad malam domeſticam diſciplinam, vitamq; vmbratilem & delicatam, cùm acceſſerunt etiam Poëtæ, neruos omnes virtutis elidunt. Rectè igitur à Platone educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cùm mores optimos, & optimum Reipublicæ ſtatum exquirerent.* Hæc M. Tullius. Tu ergo quiſquis es virtutis & honeſtatis amans iuuenis.

Cic. lib. 2. Tuſculan. Quæſt.

ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι· κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει
ἀνδράσιν, ἀλλ' αἰεὶ τῶν ἀγαθῶν ἔχεο·
καὶ μετὰ τοῖσιν πῖνε καὶ ἔσθιε, καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε, καὶ ἅνδανε τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις.
ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐνόντα νόον.

Theognis, Gnomarum.

ταῦτα

ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε καὶ ποτε φήσεις
εὖ συμβουλεύειν τοῖσι φίλοισιν ἐμέ.

Hæc quidem ſic noueris: Cum improbis autem (Poëtis) *ne*
Sed ſemper cum probis familiaritatem habe. (verſeris.
Et cum illis bibe & comede, & cum illis
Sede, & place illis, quorum magna poteſtas eſt.
A bonis enim (Poetis) *bona diſces. Si verò malis,*
Commiſcearis, perdes & quam habebas mentem,
Hæc vbi didiceris, proborum conſuetudine vtaris,
Fateberiſq; me amicis bona dare conſilia.

CAPVT XXVIII.

De pœnis, quas incurrunt, qui libros prohibitos legunt, retinent, ſpargunt, &c.

PÆnæ à legibus conſtitutæ ſunt iſtæ. I. Capitale ſupplicium, quod ſtatuit Conſtantinus Magnus illis qui libros Arij, & Theodoſius illis, qui libros Neſtorij & Porphyrij, & alius Imperator illis, qui libros Eunomianos occultarēt, nec ad rogū afferrent. 2. Manuū amputatio, quæ à Iuſtinia. decreta in illos, qui libros Seueri deſcriberent. 3. Perpetuum exilium; quod Valentinianus & Marcianus illis ſanxerunt, qui ſcripta Eutychianorū & Apollinariſtarum retinerent. Eidem pœnæ ſubijciuntur Mathematici iudiciarij, ſi libros ſuos comburere & ad ſaniorem mentem redire detrectent. 4. Iuſtinianus pœna arbitraria plectendos cenſuit eos, qui ſcripta Seueri penes ſe retinerent, vt & Græca conſtitutio *retentatores* librorum Manichæorum. 5. Deportatio in Inſulam, aut vltimū ſupplicium pro conditione hominū ob magicos libros. Quin & Athenienſes ob ſcripta impia Protagorā ex ditione ſua eiecerūnt, & Naſonem Poetam, cùm aliam ob cauſſam, tùm ob libros Amorū conſcriptos & publicatos in Scythiā Auguſtus relegauit.

Alphonſus lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. 17.

Omitto pœnas à Carolo Cæſare in lectores librorum Lutheranorum decretas, de quibus iam ſupra in Edicto.

Quod ad pœnas ſpirituales attinet, putat Alphonſus à Caſtro, ante Iulium tertium Pontificem Maximum, non fuiſſe aliquam legem Ciuilem aut Eccleſiaſticam, quæ generatim omnium hæreticorum lectionem vetaret ſub peccato aliiſq́; pœnis iudicio legiſlatoris incurrendis. Nam ſi quis leges ciuiles percurrat, ſtatim videbit, certorum duntaxat hæreticorum libros prohiberi, vt Arrij, aut Eunomij, aut Porphyrij, aut Eutychianiſtarum, & Apollinariſtarum, aut Neſtorij, Seueri, Manichæorum, Origenis, & ſimilium. Pari modo, ſi quis Decreta Conciliorum obeat, ea ferè à Prouincialibus Concilijs tantùm profecta ſunt, Quo fit, vt non obligent omnes, licet vniuerſim libros noxios prohibeant. Deinde licet ſint Conciliorum generalium, aut ſummorum Pontificum, attamen non omnes hæreticos libros, ſed certos duntaxat prohibent, vt Synodus ſeptima libros Iconoclaſtarũ. Concilium Conſtantienſe libros Wicklephi. Gelaſius Pontifex eos tantùm libros, quos in ſuo decreto nominat.

Si quis dicat, huiuſmodi leges ad aliorum itidem hæreticorum libros extendendas eſſe, obſtat 1. quia ipſimet legiſlatores non extendunt. 2. Quia iura odioſa ſunt potius reſtringenda, quàm amplianda.

Accedit quod, quidquid olim ſtatutum ſit, circa hanc materiã, id temporis diuturnitate & contraria conſuetudine videri poſſet abrogatum: vt fieri aſſolet in ijs, quæ ſolo iure humano prohibentur. Nec cap. *Fraternitatis*, ext. de hæret. continet generalem ꝓhibitionem. Verba cap. hæc ſunt: *Cùm Celeſtius atq; Pelagius in Epheſina Synodo ſint damnati; quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnãtur auctores?* quæ deſumpta ſunt ex S. Greg. Magno, & licet ſenſus hui᷒

S. Greg. lib. 7. epiſt. 48.

capi-

capituli eſſet iſte, quem præfixa perioche continet, nempe *damnato auctore, damnari eius ſcripturas, & libros, & opera*; non eſſet tamen generalis omnium Hæreticorum librorum prohibitio, ſed tantummodò ſpecialis librorum vel capitulorum Cæleſtii atque Pelagii. Neq; huc facit Canon, *Nullus*.3.*q*.4. vbi Stephanus Pontifex. *Nullus Anathematizatorum ſuſcipiatur, nec à quoquã credantur, quæ ab eis dicuntur vel conſcribuntur*; quia Canon iſte agit de accuſationibus Iuridicis per libellum faciendis. Vult ergò, vt anathematizatus ab Epiſcopo nullam fidem mereatur, ſi alium ſeu voce, ſeu ſcripto accuſet. Deinde non dicit Canon, vt ſcripta huiuſmodi anathematizatorum non legantur, ſed vt nemo eis fidem adhibeat. Aliud eſt autem *credere* aliud *legere*. Multa enim legimus, quæ non credimus.

Reſpondet etiam Alphonſus à Caſtro ad cap. illud *fraternitatis*, dato quod liber aliquis damnatus ſit, non tamen inde neceſſariò ſequi, ipſius item lectionem prohibitam eſſe. Quod probat ex cap. *excommunicationis* §.*credentes* eod. Tit. vbi mandatur, vt ſi tabellio ſit Hæreticus, hæreticorúmue *receptator, defenſor, fautor*, inſtrumenta per ipſum confecta nullius ſint momenti, ſed cum auctore damnato damnentur, *& tamen certum eſt*, inquit Alphonſus, *per talem inſtrumentorum damnationem, non prohiberi à Pontifice eorumdem inſtrumentorum lectionem, ſed per hanc prohibitionem hoc ſolùm effici, vt nullum habeat pro teſtimonio reddendo robur, nullumq; in iudicio vigorem. Ad eundem modum intelligendum eſt de hæreticorum libris, qui, damnatis illorum auctoribus, ſtatim damnati cenſentur, damnati, inquam, non vt à nemine legi poſſint, ſed vt nemo illorum teſtimonio poſſit vti, ad alicuius ſententiæ confirmationem, nemo illorum iudicio fretus poſſit ſuam ſtabilire ſententiam.* Hæc Alphonſus, quæ ſi cui placent, is me ſuffragatorem vix habebit. Nam vt maximè verum

ſit damnato auctore, non hoc ipſo præciſè damnari libros eius: id tamen videtur conſequens, quod damnato libro hæretico, damnetur quoque eius lectio: plus enim velle videntur Patres damnando libros Hæreticorū, quàm vt eis tantum fidem detrahant; damnant enim, vt vitentur à fidelibus: quomodo autem vitabuntur, ſi legantur? Hinc Gelaſius, cum Hæreticorum & Apocryphorum catalogum texeret, ait, ſe conſignare velle ea ſcripta, *quæ à Catholicis vitanda ſint.* Quo ſignificat, ſe etiam prohibuiſſe lectionem illorum librorum, quos in illo ſyllabo, tanquam Hæreticos aut Apocryphos enumerat.

Quod autem quidam ex illis iam leguntur, vt opera Tertulliani, & quidem ſine ſcrupulo, id non refert, quia tempora hominumq; conditiones mutantur, quæq; aliquando ſalubriter interdicuntur, alio tempore æquè fructuoſè conceduntur. Non videtur ergò lex aliqua generalis canonica exſtitiſſe, quæ generalem omniū hæreticorum librorum lectionem prohiberet. Si quis obiiciat edictum Caroli Cæſaris, de quo ſupra ſuo loco, facilè reſpondetur, id duntaxat de libris Lutheranis, non autem de aliorum Hæreticorum monumentis intelligendū eſſe, aut non niſi de libris Hæreticorū huius temporis, ſicut & prohibitio Leonis X. & Pauli III. in Bulla cœnæ Domini continebat tantum libros Lutheranos, quia iſti ſoli ab his Pontificib. exprimebantur, teſte Alphonſo. Quocirca ille tantum, qui absq; facultate libros Lutheri & Lutheranorum legebat, mortali peccato ſe obſtringebat, & in excommunicationem incidebat, vt idem Alphonſus docet. Poſtea tamen, quod Alphonſus fieri vehementer optabat, lata eſt à Iulio III. Pontifice Maximo lex generalis, qua ſine vllo diſcrimine, omnibus quorumcunq; librorum Hære-

Iul. III. Bulla 7. in Bullario Magno,

ticorum

ticorum lectione interdicitur, idq; ſub pœnis temporali & ſpirituali, quæ in hæreticos conſtitutæ ſunt; neq; lectores tantum Hæreticorum librorum his pœnis obnoxios reddidit, ſed & *receptatores, retẽtatores*, bibliopolas, typographos, diſtrahere & excudere huiuſodi chartas conſuetos.

Pari ſeueritate in eoſdem libros generatim, nullis exceptis, animaduertit Paulus IV. vt & Pius IV. & cæteri Pontifices in Bulla cœnæ Domini, in qua præter alios, hic etiam articulus comprehenditur. *Excommunicamus quoſcunq; Huſsitas, VVicleſitas, Lutheranos, Zvvinglianos, Caluiniſtas, Hugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, ac omnes & ſingulos alios Hæreticos, quocunq; nomine nuncupentur, & cuiuſcunq; ſectæ exiſtant, credentes, receptatores & fautores, & generaliter quoslibet defenſores, ac eorum libros, ſine authoritate noſtra, & ſedis Apoſtolicæ ſcienter quomodolibet legentes aut tenentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè vel occultè, quouis ingenio vel colore.* Bull. 59. Bull. 98.

Cæterùm vt res clarior ſit, placet breuiter & perſpicuè per capita proponere totum hoc de Interdicto librorum argumentum.

I. Regulâ ſecundâ Indicis prohibentur libri Hæreſiarcharum, (quales Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, Balthaſar Pacimontanus, Svvenckfeldius, & his ſimiles) ſimpliciter & abſolutè, cuiuſcunque tituli aut argumenti exſiſtant: ſiue ex profeſſo de religione tractent, ſiue non; ſiue hæreſes inſperſas habeant, ſiue non. Videtur autem hæc prohibitio tantum pertinere ad illos, qui nouas hæreſes & ſectas condiderunt; quales ſunt omnes illi, qui nominantur in Regula: aut veteres iam ſepultas & exſtinctas reſuſcitant aut reſuſcitarunt, quod indicant nomina *Hæreſiarchæ, Capitis, Ducis*, quibus Regula vtitur. Et æquum eſt, vt huiuſmodi pe-

di peſtium, ne bona quidem, ſi quæ reliquiſſent, monumenta ſuperſint.

II. Eadem regula ſimpliciter vetantur omnes quorumcunq; hæreticorum libri, qui de religione ex profeſſo tractant.

III. Libri Hæreticorum, qui Hæreſiarchæ non fuerunt, in quibus de religione ex profeſſo non tractatur, à Theologis Catholicis iuſſu Epiſcoporum & Inquiſitorum examinati & approbati, permittuntur. quia fieri poteſt, vt vel nullos errores contineant, vel ſi quos aſperſos habent, ii ſpongia cenſoria facilè elui, & poſtea à litterarum ſtudioſis cum fructu perlegi poſſint.

IV. Libri etiam Catholicè conſcripti tam ab illis, qui poſtea in hæreſin lapſi ſunt, quam ab illis, qui poſt lapſum ad Eccleſiæ gremium rediere, approbati à Facultate Theologica alicuius Vniuerſitatis Catholicæ, vel ab Inquiſitione generali, permittuntur, vel ſaltem, vt permittantur, poteſtas conceditur. Meritò autem libri Catholici profecti ab auctoribus poſtea in hæreſin lapſis, hãc notam ſubeunt: ne dum placet liber, quantumuis ſanę & integræ doctrinæ, incipiat etiam placere auctor, iam in præceps actus, & diſplicere doctrina.

V. Qui legunt libros Hæreticorum ex profeſſo de religione tractantes; præter peccatum mortale quo obſtringuntur, incidunt etiam in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini reſeruatam ſummo Pontifici, vt patet ex verbis Bullæ, quæ ſuprà adduximus. Quod intelligendũ eſt de illis, qui ſcienter, vt in ipſa Bulla dicitur, legunt, hoc eſt, de illis, qui norunt eorum librorum autores eſſe Hæreticos, qui item talium librorum lectionem eſſe ab Eccleſia interdictam non ignorant, vt rectè docet Ioannes Azorius. Poteſt tamen paruitas lectionis & defectus deli-

Azor. li. 8. Inſtit. c. 16.

deliberationis à peccato mortali,& ab excommunicatione excuſare; vt tradit idem Azorius & Gregorius Sairus, nimiſq; rigidi & ſcrupuloſi ſunt, qui ob vnum alterúmue vocabulum, vel periodum, quæ perfectam hæreſin complectatur, excommunicationem incurri, & peccatum mortale committi tradunt. Si enim in alijs non paucis materijs excuſat materiæ tenuitas & indeliberatio; cur in hac itidem Iuris humani materia non excuſaret? *Nec* dicitur in Bulla, *qui legerit aliquid de libro hæretico*, ſed *qui legerit librum hæreticum.* Nec vocula illa Bullæ, *quomodolibet*, nobis obſtat; Senſus enim eſt, excommunicari eos, qui *quomodolibet*, id eſt, quocunque prætextu libros hæreticos legunt; At qui paucula verba legit, is non tam librum legit, quàm inſpicit. *Sair.libr.5 Theſau.c.5*

Ex hac tamen ſententia, quæ mitior, facilè non eſt arripienda occaſio, vel paucula legendi in libro hæretico, ne à paucis progrediamur ad multa, Dæmonis inſtinctu, & inſitæ curioſitatis impulſu.

Nec excuſantur à peccato & excommunicatione, *qui abſque licentia legunt libros hæreticorum, inter quos verſantur ſtudio cognoſcendi illorum errores, vt eos lucidiùs populo explicare & refellere valeant, & maximè, cùm illis obtruduntur, ſiue à Catholicis, ſiue ab Hæreticis ipſis*, vt docet Nauarrus. *Nauar. lib 1.conſ.tit.2 conſ.1,q.36.*

Sed quæri poteſt, an ſi liber hæretici Auctoris, non de Religione ex profeſſo, verùm de alio argumento tractet; Hæreſes tamen ſubinde inſperſas habeat, lector eiuſmodi libri in excommunicationem Bullæ incidat. Reſpondeo, Si tales Scriptores ſæpius Hæreſes ſuas inculcarent, Catholicamque Eccleſiam traducerent, vt ſuis in commentarijs de Iure, Medicina, alijsq; crebrò Hæretici faciunt, inſercientes paſſim impia ſua dogmata, licet principale argumentum ſit à religionis negotio diuerſum, me

non dubitare, quin in Bullæ excommunicationem incidat: quæ hac pœna plectit omnes, qui quomodolibet hæreticorum libros legunt; vbi, omnium iudicio, per Hæreticorum libros intelliguntur illi, qui de Religione tractant, & hæreſes continent; Hæreſes, inquam, non vnam vel alteram; vno vel altero loco; ſed plures, vel ſi eandem, ſæpius & cum ſtudio & cura repetitam & inculcatam, prout ab Hæreticis, tametſi diuerſum à Religione argumentum tractantibus, inculcari ſolent. Nam, ſi quis liber obiter tantùm aliquam hæreſin contineret, diuerſi alioquin à Religione argumenti, lectio eius non induceret excommunicationem Bullæ, vt notat Sairus, ob paruitatem materiæ. Et hoc quod paulò antè dicebamus, indicant etiam Doctores, cùm dicunt, excommũicatione Bullæ puniri lectores eorum librorum, qui vel hæreſes continent, vel ex inſtituto de Fide & Religione tractant.

Et hæc, quæ huc vſque diximus, accipienda ſunt de illis, qui ipſos Hæreticorum libros legunt. Non enim peccant, aut in excommunicationem incurrunt, qui dicta & ſententias Hæreticorum legunt in libris Catholicorum; licet ad verbum inſerantur; & licet ea potiſſimùm mente legant, vt hæreticorum argumentorum vim & pondus intelligant: vt rectè obſeruauit Nauarrus, & poſt hunc Sairus & Azorius: quia hæc pœna non propter ſolum affectum & ſtudium contrahitur, ſed ob factum & ſtudium retinendi libros Hæreticorum, quales Catholicorum libri minimè cenſentur. Neque incidit in excommunicationem Bullæ; qui legit libros Catholicorum (aut etiam Ethnicorum: vt Ciceronis, Virgilij, Demoſthenis) elucidatos per annotationes, Scholia,

Nauar. Man. cap. 26. nu. 56. Sair. Azor. loc. citat.

lia, aut per Commentarios Hæreticorum, vt idem Nauarrus docet: Licet incidere poſſit in cenſuram Indicis librorum prohibitorum, vt poſtea dicemus.

Nec feriuntur excommunicatione Bullæ; qui audiunt alterum Hæreticorum libros legentem. Nam illi duntaxat excommunicantur, qui legunt libros: Hinc pœna hæc ad alios non eſt extendenda: dummodò tamen auſcultans non ſit alteri auctor legendi; Nam ſi alteri ſit auctor, vt cùm famulus legit iuſſu Domini, tunc perinde eſt, ac ſi ipſemet ſuis oculis legeret, vt & tunc, cùm ex ſua attentione alter ad legendum commouetur.

Et hæc omnia, quæ de legentibus libros hæreticos dicta ſunt, accommodari etiam debent cum ſuprà dictis limitationibus, ad *tenentes, imprimentes*, & *defendentes*; horum enim pariter Bulla meminit, eâdemque pœna plectit: Tenere Hæreticorum libros ille propriè dicitur, qui vel ſuo, vel alieno nomine in domo ſua, vel aliena libros hæreticos, quales ſuprà deſcripſimus, retinet, vbi tam à mortali, quàm ab excommunicatione Bullæ excuſare poteſt breuitas temporis; quo quis tales libros retinet: item ignorantia, incogitantia, &c.

Nomine IMPRIMENTIVM comprehenduntur omnes, qui propinquè operam ſuam ad editionem libri hæretici conferunt, vt eſt ipſe Typographus, & is, qui ſumptus ſuppeditat, & Typothetæ, qui formas æneas litterarum iungunt & componunt, qui prælo excudunt, & ad prælum aptant, qui Typos perlegunt & corrigunt. His adduntur in Bulla, DEFENDENTES libros hæreticos, cuiuſmodi ſunt, qui libros hæreticos dicunt eſſe bonos & vtiles, non comburendos.

VI, Ex decreto Indicis librorum prohibitorum excommunicatur *ipſo facto, ſi quis libros Hæreticorum, aut cuiusuis Auctoris ſcripta ob hæreſin, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata atque prohibita legerit, ſiue habuerit.*

Ex quo ſequitur, Primò, eum, qui hæreticorum libros legit ad modum ſuprà explicatum, incurrere in geminam excommunicationem; alteram Bullæ, alteram Indicis; Abſolutio tamen huius poſterioris excommunicationis non eſt reſeruata Pontifici, ſed præſtari poteſt à quolibet, qui habet poteſtatē abſoluendi à peccatis mortalibus, vt ait Sairus.

Sequitur ſecundò, poſſe aliquem incidere in excommunicationem Indicis, ita vt non incidat in excommunicationem Bullæ; vt cùm quis legit libros, qui prohibiti ſunt propter aliquos errores (tametſi non hæreticos) aut errorum ſuſpicionem, vt notat Toletus: vel etiam ob ſuſpicionem hæreſeos. Nec deſunt, qui putent excommunicationem Indicis ſemper incurri, quotieſcunque liber Auctoris hæretici ſine facultate legitur; licet nullas hæreſes contineat; neque etiam ex inſtituto de fide aut religione tractet; quia in vniuerſum prohibetur lectio librorum hæreticorum non impetrata facultate. Quod mihi non ſit veriſimile. Nam Index tantùm excommunicat illos, qui legunt libros hæreticorum, vel cuiusuis auctoris ſcripta, ob hæreſin, vel ob ſuſpicionem falſi dogmatis damnata & prohibita. Ergo quando euidens eſt, nullam hæreſin, aut prauum dogma in eo libro contineri, locum non habet illa excommunicatio. Sed quæri poſſe video, an ſaltem peccet, qui tales libros abſque Superiorum permiſſu legit: videturq; affirmatiuè reſpondendum: nam tales libri non permittuntur, niſi à Catholicis Theologis, iuſſu Epiſcoporum & Inquiſitorum, examinati & approbati,

Toletus in explic. bullæ cœnæ.

probati, vt declaratur in ſecunda regula. Facit ergò contra præceptum Regulæ, quisquis non exſpectata facultate tales libros euoluit, hoc eſt, libros hæreticorum, qui de Religione nihil tractant.

Illud tamen in hac tota de libris diſputatione obſeruandum moneo; fieri poſſe, vt aliter ſe res habeat, quoad lectionem librorum prohibitorum in locis vbi vel Bulla Cœnę, vel Index librorum prohibitorũ receptus non eſt: vel certè, quoad omnia receptus non eſt: *Quia*, vt docet Nauarrus, *lex antequam recipiatur, ſaltem per maiorem partem ciuitatis, cuius pars eſt transgreſſor, non ligat, quoniam promulgata videtur cum cõditione, ſi recipiatur, ſaltem per maiorem partem, vt ſingulariter dixit Dominicus per recentiores receptus, & profundius Felinus.* Secundò, *iuſta cauſſa excuſat à peccato violationis legis humanæ, iuſtam cauſſam videtur quis habere non ſeruandi legem, quòd ab aliis non ſeruatur, nec cæpit ſeruari: cùm enim Lex reſpiciat vtilitatem communem, non videtur eius lator velle vnum vel alterum ligare ad ſeruandum, quod alii conſubditi non ſeruant, nec ſeruare incipiunt.* Hæc Nauarrus, quæ diligenter notanda ſunt, pro remedio multorum ſcrupulorum.

Nauar, lib. 1. conſil. tit. 2. conſil. 1. quæſt. 5. Et in manual. ca. 23. N. 41. vide etiam Nauar. ibi quæſt. 35.

VII. Lectionem aut retentionem aliorum librorum, alio nomine interdictorum, (vt quia turpes ſunt & impudici, aut ſcandalis, ſarcaſmis, dicterijs, irriſionibus, detractionibus, contumelijs, & calumnijs, aut periculoſis erroribus pleni) prohibet Index, ſub reatu peccati mortalis, & pœna arbitrio Epiſcopi conſtituenda.

Porrò cùm Index ſua in prohibitione tantùm loquatur de legentibus aut habentib. libros hæreticos, aut alio titulo prohibitos, non immeritò quæritur, an id etiam de imprimentibus intelligi debeat? Reſpondeo, planè de his etiam intelligi debere.

Renouauit enim Index Concilii Tridentini, decretum Synodi Lateranenſis ſub Leone decimo, quod interdicit, ne Typographus vllum librum euulget, qui non prius ſit approbatus ab illis, quibus hoc munus commiſſum eſt, legem hanc violantibus decernitur amiſſio *omnium librorum*, *eorundemque publica exuſtio*: *Item pœna centum ducatorum*. Præterea *excommunicatio* & integri anni *ſuſpenſio* ab officio & exercitio Typographico, præter pœnas, arbitratu Epiſcoporum, contumacibus infligendas. Hæc de pœnis.

Secluſo autem iure humano, & ſpectando ſolùm ius naturale aut diuinum, fieri poteſt, vt qui librum hæreticum aut alioquin improbi argumenti legerit, peccato mortali ſe obſtringat, tametſi aliquando ab hac noxa immunis abire & pronunciari poſſit. Peccati mortalis reus erit, ſi probabili periculo lapſus in Hæreſin, aut in aliud vitium ſeſe exponat; quippe qui nec in fide, nec in virtutibus altas radices egerit: ac proinde facile adhuc mobilis, & ad deteriora ſit volubilis. *Qui amat periculum*, inquit ſapiens, *peribit in illo*. Quod ſi quis mortale peccatum incurrit, qui verſatur cum improbis, quorum conſuetudine periculo lethalis culpæ ſe obiicit, non certè minoris criminis reus erit ille, qui verſatur cum huiuſmodi peſtilentibus libris, qui non minus efficaciter improbitatem docent per ſcripturam, quàm prauus, cum quo quis degit, per viuam vocem & exempla. Et hoc intellectum volo, tam de doctis, quàm de indoctis, vel doctis quidem ſuo iudicio, at non alieno; quales vulgò *ſciolos* nominare ſolemus. Nam ſi ob animi inconſtantiam periculum illis impendeat, excuſari nequeunt à peccato mortali, per ſe loquendo. Secus

Eccleſia, 3.

cus autem ſentiendum de illis, qui doctrina, iudicio, maturitate & conſtantia valent, *firmati & radicati* in fide; non enim peccarent, ſecluſo iure humano, ſi libros malæ notæ legerent, præſertim neceſſitate aut cauſſa rationi conſentanea id exigente. Nam ſi nulla iuſta cauſſa vrgente, ſed pro ſola ſua libidine libros Hæreticorum legerent, non excuſat illos à peccato mortali Alphonſus à Caſtro; quæ tamen ſententia rigidior æquo videtur. Cur enim, ſi, vt ponimus, periculum apſus & ſeductionis abſit, peccet talis mortaliter? cum hoc in genere peccatum mortale ex ſolo periculo videatur naſci, ſecluſo iure humano. Neque enim per ſe illicitum eſt libros malos euoluere, & curioſitas, ſi quæ interueniret, non videretur tanta, vt peccatum mortale induceret. Sed de his ſatis, qui plura cupit, Alphonſum fuſius de his differentem conſulat.

Coronidis loco addenda eſt hæc quæſtio: An locorum Ordinarii poſſint dare facultatem legendi libros prohibitos, quibus cum euidenti vtilitate Eccleſiæ id abſque periculo concedi poteſt: an verò pro ea ad Sedem Apoſtolicam recurrendum ſit. *Quanquam ſunt aliqui, qui contra ſentiant*, inquit Nauarrus, *mihi tamen ſemper viſum eſt verius, nullos Ordinarios poſſe dare facultatem, niſi ex ſpeciali delegatione Papæ, quia inferior non poteſt legem ſuperioris tollere: neque abſoluere à reſeruatis Papæ.* *Nauar l.1. conſil.tit.2. conſilio 1. q.36.*

Illud item adiungendum: quod tradit Hippolytus de Marſiliis in ſua Practica criminali §. *diligenter*. num. 92. eo ipſo quod libri hæretici reperiuntur penes aliquem, eum præſumi Hæreticum, & poſſe de hæreſi cōdemnari, citatque in eam rem Ludouicum Romanum, Archidiaconū &

L. Maiorem. C. de Falſ. vbi habetur, eum qui penes ſe habet inſtrumenta falſa, præſumi falſarium, niſi oſtendat, à quo illa habuerit. Quod tamen non ſimpliciter probat Gundiſaluus de Villadiego, tract. de hæret. quæſt. 13. Sed vult vltra hoc requiri alias coniecturas; *ex quibus Iudex informet animum ſuum, poterat enim eſſe, quòd erant in domo ſua illo neſciente*, inquit Gundiſaluus, *aut quod habebat illos libros, vt deprehenderet errores hæreticorum, non ad illos ſequendum & imitandum, ſed potius ad confundendum & impugnandum.*

CAPVT XXIX.

Quid reſpondendum ad argumenta, quibus probari videtur Hæreticorum libros permittendos & legendos eſſe.

QVi hæreticorum librorum defenſionem ſuſcipiunt, argumentari poſſunt ab exemplis & ratione: ab illis quidem hunc in modum: Quia doctiſſimi quique hæreticorum libros lectitabant: quod de Dionyſio Alexandrino memoriæ prodidit Euſebius, qui cùm ob hoc reprehenderetur, reſpondit ſe ad id faciendum inductum eſſe cœleſti viſione hoc ſibi præcipiente, *lege omnia, quæ in manus tuas veniunt, valebis enim omnia expendere & probare.* De Theophilo Alexandrino Socrates, qui cùm argueretur, quòd Origenem legeret, reſpondit, ſe legere, vt *quod bonum eſt, excerperet, quod malum, reſpueret.* Et ſanctus Hieronymus epiſtola ad Alexandrum & Minerium, dicit, ſe legere libros Hæreticorum, vt bona inde excerpat, etiamſi ſciat, aliquos *propterea de ſe murmurare.*

Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 6. Socrat. lib. 6. cap. 15.

Vide epiſt. 65. ad Pammach. & Oceanum.

Sed his, qui ſe, vel alios tantorum virorum auctoritate tueri volunt, varia reſponſa dari poſſunt.

I. Non

I. Non omnes eſſe Dionyſios, Theophilos, & Hieronymos, hoc eſt, doctiſſimos, & in fide conſtantiſſimos, & vera à falſis diſcernere prudentiſſimos, ac proinde id, quod ab ipſis factum, non poſſe trahi ad omnes.

Tales enim & tam præſtantes viri, non alii his diſſimiles, docti ſunt facere; quod his verbis Theodoretus faciendum monet: *Sicubi herbam inueneris, nec dulcem, nec eſui aptam, cuiuſmodi eſt Apollinaris & Euſebius, habet tamen aliquid vtile, ad mel conficiendum; non eſt alienum, quod bonum quidem eſt ſumere; quod verò noxium, relinquere. Etenim apes ſæpe in venenoſis fructibus inſidentes, quod eſt quidem pernicioſum, relinquunt: quod eſt verò ſibi accommodatum, accipiunt. Sed grandis eſt prudentiæ, aurum in luto quærere*, inquit S. Hieronymus. De Origene Caſſiodorus. *Quidā non immeritò more anethi habendum eſſe dixerunt: qui dum ſacrarum condiat pulmentaria litterarum, ipſe tamen decoctus, exſiccatusque proiicitur: De quo concluſiuè dictum eſt: vbi benè, nemo melius: vbi malè, nemo peius. Et ideò cautè ſapienterq; legendus eſt* (à cautis nimirum & ſapientibus) *vt ſic inde ſuccos ſaluberrimos aſſumamus, ne pariter eius venena perfidiæ ſorbeamus: vti & illud conuenienter optari poteſt, quod Virgilius, dum Ennium legeret, à quodam, quid faceret, inquiſitus, reſpondit: Aurum in ſtercore quæro.* At ſemper tutius eſt, ſordes abeſſe, ne quis imprudens inquinetur. Quare ipſe etiam Caſſiodorus loca ſuſpecta Origenis ſtigmate inuſſit, ne quem incautè in ea incurrentem deciperent. Sed ad inſtitutum reuertamur.

Theodoret. dialog. 3.

Caſſiodor. de diuin. lect.

II. Nullum tunc Eccleſiaſticum interdictum extitiſſe, quo omnes generatim librorum hæreticorum lectione arcerentur, ſicuti iam non vnum, ſed plura huius generis extant. Et quamuis tempore S. Hieronymi & Theophili exſtarent iam leges, quibus Ariani & alij quidam hæretici

libri proſcribebantur, illud tamen edictum nō pertinebat ad Doctores & paſtores Eccleſiæ: idq; etiam ex ipſorum legiſlatorum mēte, quia his ex officio ea cura incumbebat: vt Hæreticorum errores cognoſcerent, cognitosq; & voce & ſtylo redarguerent. Nec tamen inde ſequitur, hac item ætate Epiſcopos & viros doctos Hæreticorum libris euoluendis operam dare poſſe, iam enim ſpeciatim vetitum eſt, ne quis libros Hæreticorum ſine ſumi Pontificis facultate legat: qui eā impertit iis, quibus impertienda videtur, idq; eo fine, quo ſupradicti ſancti Patres Hæreticorum monumenta terebant, vt nimirum falſitas euertatur, veritasq; aſſeratur, & ab impoſturis vindicetur.

III. Dionyſius cœleſti oraculo iuſſus eſt Hæreticorum libros legere, & eodem quoq; teſtimonio idoneus ad hoc præſtandum iudicatus eſt. Quod ſi ſimile quid tibi contingat, tum intrepidè libros Hæreticorum euolue, ſed caue ſis, ne cum te putas diuinis iuſſis obſequi, obtēperes cerebri tui phantaſmatis, & inſani animi enthuſiaſmis, quod non paucis vſu venit: Sed lubet illam de Dionyſio hiſtoriam adſcribere ex Euſebio, vel potius ex ipſo Dionyſio, nam verba eius refert Euſebius ex tertia epiſtola de baptiſmate, quam dedit ad Philemonem preſbyterum Romanum. *Equidem tametſi Hæreticorum libros & traditiones perlegebam, & meum ipſius animum ad tempus ſceleſtiſſimis eorum opinionibus quodammodo inquinare videbar: hoc tamen ab illis capiebam commodi, vt non modò eos interiore animi mei cogitationè condemnarem ac refellerem, ſed multò vehementius in poſterum deteſtarer. Ac cum quidam ex numero presbyterorum me vetaret deterreretq; à legendo, ne turpi prauitatis & peruerſæ eorum doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui aſſeruit) cumq; vera, meo quidem iudicio, diceret, viſio quædam cælitus ad me demiſſa me confirmauit: & vox ad aures allapſa manifeſtè*

feſtè præcepit ad hunc modum: omnes libros, quos ſumis in manus, euolue ſedulò. Nam ſatis habes virium & firmitatis ad quaq; tum conuincenda, tum exploranda. Atq; hæc cauſſa erat, cur in initio ad fidem Chriſti vocatus fueris. Viſionem vtpote ritè conſentientem voci Apoſtolicæ, ſic ad potentiores dicenti (Sitis diligentes animaduerſores, & veluti trapezitæ, qui argentum probant) lubens equidem approbaui.

IV. Ex hoc ipſo Dionyſij, Hieronymi, & Theophili facto ſatis liquet, etiam eo tempore Chriſtianis illicitum fuiſſe Hæreticorum libros legere: Nam ſi licitum fuit, cur reprehenſi ſunt? ſi tanti viri reprehenſi ſunt ob iſtam lectionem, quanto magis reprehenſi fuiſſent illi, qui aut nulla doctrina aut iudicio erant; vtpote ex imperita multitudīe, quiq; iſtis doctrina aut iudicio, infinito interuallo inferiores erant. Si Heraclas, vt Dionyſius apud eundem Euſebium ſcribit: quoſdam ex Eccleſia expulit, cum eſſent accuſati, quod conſuetudine cuiusdam eorum qui alienam & diuerſam à fide doctrinam tuebantur, multùm vſi fuiſſent, nec prius recepit, donec omnia, quæ à veritatis aduerſariis audiuiſſent, palàm apud omnes eſſent elocuti, non certè minorem ſeueritatem adhibuiſſet, ſi quos libris Hæreticis deditos eſſe comperiſſet.

Soli ei conceditur Hæreticorum libros legere, ait Beda, *qui adeò ſolidatus eſt in fide Catholica, vt verborũ dulcedine vel aſtutia nequeat ab ea ſegregari.* *Beda in cap. 7. prouerb. Refert Iuo p. 4. cap. 34.*

Secundum argumentum petere licebit à ratione. Hæreticorum enim libri multa vera, & vitæ moribusq; vtilia, & ingenio excolendo appoſita continẽt; cur ergò prohibentur? Occurrit hic, quod alicubi ſcripſit S. Hieronymus: *Nemo eſt tam ſicarius, tam parricida, & tam veneficus, qui non aliquid boni aliquando fecerit* (aut dixerit) *ſi inimicus aduerſus nos iurgetur & clamitet, nonne inter verba ſimultatis & ri-* *S. Hier. in cap. 1. ad Tit.*

Ʋt aliquid loquetur veritatis, quod & à nobis quoq; aduerſus quos loquitur, non vſquequaq; reprehenditur. Quid ergò mirum: ſi Hæreſiarcharum & Hæreticorum libris bona aliqua adſpergantur? Nam bona malis admiſcere Hæreticorum & impoſtorum proprium eſt. Quis enim niſi aut ignarus, aut inſipiens malum, ſi merum ſit, emat? *Tanta eſt Hæreticorum calliditas,* inquit Iſidorus, *vt falſa veris, malaq; bonis permiſceant, ſalutaribuſq; rebus plerumque erroris ſui virus interſerant, quò facilius poſſint prauitatem peruerſi dogmatis ſub ſpe perſuadere veritatis. Habent hoc Hæretici proprium,* ait ſanctus Gregorius, *vt malis bona permiſceant, quatenus facilè ſenſui audientis illudant: Si enim ſemper praua dicerent, citius in ſua prauitate cogniti, quòd vellent minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò Hæretici non fuiſſent. Sed dum fallenti arte ad vtraq; deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala, vt recipiantur abſcondunt, ſicut qui veneni poculum porrigit, oras poculi dulcedine mellis tangit, dumq; hoc, quod dulce eſt, primo attactu delibatur, etiam illud quod eſt mortiferum abſorbetur. Itaq; Hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona auditores ad ſe trahant, & exhibendo mala latenti eos peſte corrumpant.* Hæc eleganter S. Gregorius, quibus perſpicuè demonſtrat illorum inſipientiam, qui libros *Hæreticos* permittendos clamitant, quod bona quædam contineant. Quis negет panem veneno infectum, bona quędam continere, panis enim ſubſtantia bona eſt; ſed quis propter ſubſtantiæ bonitatem, ob venenum, quod adiunctum, non totum illud, quidquid id eſt, deteſtatur, & à ſe quàm longiſſimè amolitur? *Si dicatis,* inquit Ioannes Gerſon, agens contra impurum quendam librum Romantii de Roſa; *in libro hoc multa eſſe bona. Sunt ne, quæſo, propterea mala in eo deleta? Ignis eſt periculoſior. Hamus nocet piſci, ſi coopertus ſit eſca. Gladius vnctus melle feritne minus? Non.*

Iſidor. l. 3. ſent. ca. 12

S. Greg. li. 5. Mor. cap. 11.

Gerſon lib. cont. Romant.

Dico

Dico quod Machometus maxima malitia miſcuit noſtræ fidei Chriſtianæ veritates ſuis immūdis errorib.. Quare? Ad alliciendos citius Chriſtianos ad legē ſuā, & ad cooperiendas temeritates ſuas. Nonne Diabolus multas quandoq; dicit veritates per Dæmoniacos, per incantatores? Ad hæc, bona illa qualiacunq; pura integra & ſincera in Catholicorum Scriptorum libris reperies. Quid ergo opus diuertere ad turbidos & lutulentos illos riuos? Quis non libentius aquam limpidam bibat, quàm veneno tinctam, licet veneni ſegregandi non ſit ignarus, ſaltem enim periculo exitij & labore ſeiungendi caret, quiſquis aquas omnis contagionis expertes bibit.

Pareamus hîc conſilio Bedæ, quod dedit, ne quis Iuliani in Cantica Commentarios legat; *Se ab eius*, inquit, *ſuper omnia lectione compeſcat, cùm habeat eos, qui eundem librum & ſanis ſenſibus, & ſimplicioribus verbis expoſuerunt.*

Poſt Scripturas ſanctas doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota eſt: Non neceſſe habes aurum in luto quærere. Hoc S. Hieronymi monitum quiuis ad ſe pertinere arbitretur; qui & alibi Lætam inſtruit, quos libros filiola legere, quos cauere debeat. *Caueat*, inquit, *omnia Apocrypha; & ſi quando ea, non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit, ſciat, non eorum eſſe, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitioſa; & grandis eſſe prudentiæ, aurum in luto quærere. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat, Athanaſii epiſtolas, & Hilarii libros inoffenſo decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet.*

S. Hieron. epiſt. 10. ad Fuſiam.

S. Hieron. epiſt. 7. ad Lætam.

Accedit quòd iſti propter hæreſeos crimen, quòd inter maxima non minimum, ne digni quidem ſunt, qui veritatis ſint interpretes, aut ſi hoc munus ſibi vltrò aſſumant, vt tanquam veritatis interpretes audiantur.

S. Athan. orat. 1. contra Arian.

Nam quod S. Athanaſius ſcribit de Diabolo, id appo-

ſitè accommodare licebit ad Hæreticum. *Non enim, cùm veritatem loquitur, fide dignus eſt veterator ille, cùm id quoque Scriptura declaret, enarrans in Paradiſo aduerſus Euam calliditatē.* Et Chriſtus *dæmonibus, cùm è monumentis vociferarentur, ora obturabat, tametſi verū eſſet quod ab illis dicebatur: neq; falſi quidquam in his verbis proferrent: Tu es filius Dei. Noluit tamen per os impurum veritatem enunciari, multò minus verò per illos, ne per hanc occaſionem admiſcentes zizania ſuæ malæ voluntatis, eo tempore ſuperſeminarent, quo homines in ſomnis eſſent. Ea de cauſſa nec ipſe eos ſuſtinuit talia loquentes, nec eoſdem à nobis ſuſtineri voluit.*

Fertur in quadam optimè inſtituta ciuitate morem hunc eſſe, inquit Philo, *vt quoties aliquis impuræ vitæ ciuis ſententiam vult proferre ad Senatum aut populum, nō ſinatur per ſeipſum hoc facere, ſed à Magiſtratu cogatur eam apud aliquem honeſtum virum deponere. Qui mox aſſurgens promit, quod audiuit, ſilente interim altero & quæ tum primum didicit, quamuis aliena, profert, authorem commenti vix in auditorum ſpectatorumue habens numero, adeò ne beneficium quidem ab iniuſtis quidam dignantur accipere, quod exiſtiment hanc vtilitatem corrumpi admixto dedecore.*

Phil. lib. quod dete. inſid. potiori. Idem de Lacedæm. Gell. lib. 18 cap. 3. Plutarch. in politicis.

Qua de cauſſa meritiſſimò omnia Hæreſiarcharum opera, qualiacunque illa ſint, prohibentur. Nam ſceleribus ſuis indignos ſe reddiderūt, quorum vel memoria extet: ſemperq; diſcrimini ſe exponit, qui quæ talis auctor ſcripſit, lectitat, ne ſimul cum libri argumento ipſe ſcriptor in animum ſe inſinuet, idq; quod prauè etiam ab eodem conſcriptum eſt, tanquam verum ſuſcipiatur. Quem enim quis amat, eius dogmata non ægrè approbat.

Auctor eſt Plutarchus, legem fuiſſe apud Græcos, qua libri ſceleſtorum hominum etiam boni iubebantur tolli è medio, vt auctorum memoria deleretur. Si hoc factum ab Ethnicis, quanto magis præſtandum eſt à Chriſtianis.

Plut. citat. à Putherb. lib. 2. Theotimi.

Querun-

Queruntur etiam Hæretici peius cum ſuis libris agi, quàm cum libris Turcicis & Iudaicis, & veterum nonnullorum, qui paſſim lectitantur, licet non pauca hæretica operibus ſuis aſperſerint, ex quorum numero haud poſtremus Tertullianus. Sed ad hanc querelam hoc imprimis reſponſum damus: Etiam Iudæorum libros, qui blaſphemias in Chriſtum, & religionem Chriſtianam continent, vetandos & flammis addicendos eſſe, prout etiam vetantur in Indice à CLEMENTE VIII. edito. Et idem iamdudum monuerat Caietanus, & Chriſtianis in more poſitum erat. Alij permittuntur, vel quia ſimplicem ſacræ ſcripturæ expoſitionem continent, vel quia redundant anilibus fabulis, à quibus nulli fidelium quidquam periculi impendet. *Caietan. 22.q.10. a.XI.*

Idem de Turcarum libris dicendum, de quibus tamen hæc in Indice: *Alchoranus Machometis Baſileæ impreſſus, & ſimiles cum ſcholiis & impiis annotationibus & præfationibus prohibētur. Idem in vulgari lingua non niſi ex conceſſione Inquiſitorum haberi poſſit.* Taceo, malum notum rem eſſe optimam. At Turcæ & Iudæi manifeſti ſunt Chriſtianorum hoſtes; Hæretici, occulti, fraudulenti, ſub Chriſtiani nominis pallio deliteſcentes, hinc eò ſunt nocentiores, quò fallaciores.

Libri veterum quorūdam permittuntur tum propter antiquitatis memoriam, quā conſeruarunt, & ad hæc noſtra tempora propagarunt; tum quia Hæreſes quas continent, iam ferè ſunt extinctæ & ſepultæ, tum quia eiuſmodi ferè ſunt hæreſes, à quibus iam hoc æuo hominum genius perquàm ſecurus videtur.

Pugnauit Tertullianus pro Monogamia, illicitum ratus ſecundum matrimoniū, nihil his temporibus ab hoc

errore

errore periculi imminet. Nam Lutherus, Caluinus, eorumque poſteri Prædicantes, ita multos inſtituerunt, vt magis ament polygamiam Iudaicam & Turcicam, quàm monogamiam Montanicam, & difficile reperias Prædicantem, qui prima vxore mortua, monogamiam colere velit; Ipſe etiam Iunius Prædicans Caluinianus, quatuor vxores duxit. Quod ne neſciremus, in vita ſua à ſe ſcripta ipſemet teſtatum fecit. Quis ſcit an interea non proceſſerit ad quintam?

Tertullianus duas aut tres QVADRAGESIMAS ex diſciplina Montani obſeruandas docuit: Noſtri iſti Nouatores tantum effecerunt, vt ne vna quidem ſeruetur. Et quid verbis opus eſt? Si Lutherus & Caluinus rigidum illud & auſterum vitæ genus in mundum inducere voluiſſent, quod inducere ſtuduit Tertullianus, nunquam, auſim dicere, tot populos poſt ſe traxiſſent, & in ſempiternam perniciem præcipitaſſent.

His generatim de Iure & more prohibendi, caſtigandi & expurgandi noxios libros, diſputatis, tempus eſt, vt Iunij calumnias refellere aggrediamur. quod breuius iam præſtare licebit, cùm pleraque ſponte ſua nunc corruant, & à luce, quam hactenus accendimus, diſpellantur & diſijciantur. Prius tamen breuiter aliquid dicendum videtur, pro clauſula huius primi libri, num verum ſit, libros S. Gregorij Magni ab æmulis exuſtos: & de facto Iuliani Apoſtatæ Chriſtianis lectione ethnicorum Poëtarum & Oratorum interdicentis.

CAP.

CAPVT XXX.

De libris S. Gregorii Magni Pontificis, vtrum poſt mortem eius fuerint combuſti: Et de Iuliani Apoſtatæ interdicto, ne Chriſtiani libros gentilium legerent.

QVid valeat inuidia, æmulatio, & odium, notius eſt, quàm vt multis explicandum videatur: non modò viuos, ſed & mortuos perſequitur, mortuos inquam, quos in ingenii monumentis viuere arbitratur: vt proinde falſum exiſtimem illud non mali Vatis: *Ouid. 4. de Pont.*

Scripta placent à morte magis, quia lædere viuos
Liuor & inuiſo carpere dente ſolet.
Paſcitur in viuis liuor, poſt fata quieſcit. *Idem alibi*
Tunc ſuus ex merito quemq; tuetur honos.

Imò verò poſt funera ſæuius non raro in optimorum lucubrationes ſæuit; & velut aggere rupto, tum demum impetum facit, quaſi iam omni repagulo remoto. Teſtem huius rei do Gregorium Magnum Pontificem; illud omnis Sanctimoniæ exemplum; illud Chriſtianæ humilitatis ſpeculum, cuius libris poſt libros Canonicos vix quidquam diuino ſpiritu magis tinctum in lucem prodiit: Et tamen æmulorum inuidia, ne poſt mortem quidem tāti Pontificis conquieuit; cumq; aliud, quod liuore tabibi agerent, non ſuppeteret, in diuini illius ingenii ſacroſancta monumenta inſiluerunt, eaque flammis abſumere ſtatuerunt, immani prorſus & quibuſuis ſuppliciis expiando ſcelere.

Rem ita narrat Ioannes Diaconus, qui vitam S. Gregorii litteris prodidit. *Quo liberaliſſimo paſtore defuncto, vehementiſſima fames eodem anno incubuit, & quanto patrono tunc* *Ioan. Diac. lib. 4. ca. 69.*

Roma caruerit, licet rerum inopia toto penè mundo monſtrauerit, inuidorum tamen feritas minimè recognouit: nam ſicut à maioribus traditur, cum calumniarum veterum inuentores Gregorium prodigum: dilapidatoremq́ multiplicis Patriarchatus theſauri perſtreperent, deficiente perſonali materia, ad comburendos eius libros cœperunt pariter anhelare. Quorum dum quoſdam combuſsiſſent, & reliquos vellent exurere; Petrus Diaconus familiariſsimus eius, cum quo quatuor dialogorum libros diſputauerat, creditur vehementer obſtitiſſe, dicens, ad oblitterandam eius memoriam, librorum exuſtionem nihil proficere, quorum exemplaria, diuerſis petentibus, mundi ambitum penetraſſent: ſubiungens, immane ſacrilegium eſſe, tanti patris tot & tales libros exurere, ſuper cuius caput Spiritum Sanctum ipſe in ſimilitudinem columbæ tractantis frequentiſsimè perſpexiſſet. Cumque dudum deuotum populum Diaconus cerneret occaſione temporis cum inuidis reſultare, in hoc omnium ſententiam dicitur prouocaſſe, vt ſi quod dixerat iureiurando confirmans, mori continuò meruiſset, ipſi à librorum exuſtione deſiſterent; ſi verò ſuperſtes ſui teſtimonii exſtitiſſet, ipſe quoq́ combuſtoribus manus daret. Itaq́ cum Euangeliis in ambonem venerabilis Leuita Petrus adſcendens mox vt Gregorianæ ſanctitati teſtimonium præbuit, inter verba veræ confeſsionis ſpiritum efflauit, & à dolore mortis extraneus, iuxta Pyrgi baſim (ſicut hactenus cernitur) confeſſor veritatis meruit ſepeliri. Hinc eſt, quod conſuetudinaliter ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper ſcribentis Gregorii caput depingitur, & quod expoſitionum illius pars maxima, quæ vtique ab inuidis exuſta recolitur, non habetur.

Hæc Ioannes Diaconus, *ex maiorum*, vt ait, *traditione*. Quæ tamen num vera ſint, dubitat Eccleſiaſticæ hiſtoriæ inſtaurator Baronius. Quia nec Iſidorus, nec Ildefonſus, qui Catalogos operum S. Gregorii texuerunt, quidquam de exuſtis nonnullis eius operibus prodiderunt. *Bar To. 8.*

nec

nec Paterius S. Gregorii Notarius; qui cuncta diuinæ ſcripturæ teſtimonia, à S. Gregorio explanata, in ordinem redegit; aliquid de exuſtione ſcriptum reliquit; cum tamē eo tēpore, quo Ioann. Diaco. hæc accidiſſe refert: Romæ vixerit, resq́; tam mēorabilis eū fugere minimè potuerit. Sed & *S*igebertus in chronico Petrū Diaconum obſtitiſſe dicit; ne libri S. Gregorii incenderentur; Etſi ex *S*igeberto non ſatis liquet, an voluerit nullos omninò S. Gregorii libros exuſtos eſſe, præpediente hoc facinus Petro Diacono; an tantum, Petrum Diaconum hoc effeciſſe, vt poſtquam obtrectatores aliqua opera S. Gregorii comburere cœperant, reliquis deinceps pepercerint, inducti Petri Diaconi precibus: veroq́; propius crediderim, hoc poſterius cum Sigeberti mente conuenire; cum ipſe alibi idem hac de re, quod Ioannes Diaconus, litteris mandarit. *Sigebertus in Chron.* *Sigebert. de viris Illuſtr. cap. 41, & 43.*

Quidquid ſit, illud conſtat, odium & inuidiam cum aliud vindictæ genus non ſuppetit, libenter graſſari in ſcripta: Hinc ſemel atq; iterum commemorat Ioannes Cantacuzenus Imperator Conſtantinopolitanus, edicta ſua Theſſalonicæ, ab inuidis (quos ipſe Zelotas appellat) publicè in foro combuſta fuiſſe; non aliam ob cauſſam, quàm ex immani aduerſus Cantacuzenum odio. *E*adem cauſſa impulſi olim Epiphanes, & poſtea *D*iocletianus, incenderunt ſacra Chriſtianorum volumina: iiſdem furiis agitati bacchantur hodie Hæretici in Catholicorum Bibliothecas. Ita odium & inuidia nunquam quieſcunt; ſed viuunt extento ſemper æuo, feruntúrque per omnes ætates *penna metuente ſolui.* Nec vnquam vlla tempeſtate deerunt, qui in fœtus ingeniorum impetum ſint daturi; & quidem ex ſolo odio, liuore, nocendi libidine. Nam ſi *Cant. lib. 4 hiſt.*

cauſſa ſuppetat exterminandi aliquem librum; iure optimo illud fit, vt hactenus toto hoc libro primo demonſtrauimus.

Videtur etiam Plato ab hoc liuoris morbo tactus Democriti libros incendere voluiſſe: de quo Laertius ex Ariſtoxeni hiſtoricis commentariis, Platonem θελῆσαι συμφλέξαι τὰ Δημοκρίτου συγγράμματα, ὁπόσα ἠδυνήθη συναγαγεῖν, Ἀμύκλαν δὲ καὶ Κλεινίαν τοὺς Πυθαγορικοὺς κωλῦσαι αὐτὸν, ὡς οὐδὲν ὄφελος, παρὰ πολλοῖς γὰρ εἶναι τὰ βιβλία ἤδη. *Voluiſſe comburere ſcripta Democriti, quotquot potuit congregare. Amyclam verò & Cliniam Pythagoricos prohibuiſſe, tanquam rem nullius vtilitatis; cum libri eius paſſim iam apud multos exſtarent.* Et hoc inde manifeſtum eſſe docet, quod Plato nunquam Democriti mentionem faciat, ne tum quidem, cum refellendus erat.

S. Anton: 4.p. Summ tit. XI, ca. 4. §. 3. in fin & Ioann. Heſſel. in explicatio. 2. præcepti Decal. cap. 73.

De D. Gregorio Magno refert S. Antoninus ex Ioanne Dominico Cardinale, eum omnes libros *quos habere potuit Titi Liuii* combuſſiſſe, *quia ibi*, vt aiunt, *multa narrantur de ſuperſtitionibus Idolorum.* Ego de hac narratione aſſenſum meum ſuſpendo, quoad locupletiores auctores obtigerint: Non enim video, cur Liuius præ cæteris, ſanctiſſimum Antiſtitem Gregorium offendere, & ad hanc pœnam infligendam excitare potuerit.

Sarisb. l. 2. de Nug. Curial.

Nec ſcio, quantum fidei mereantur, quæ de eodem S. Pontifice litteris prodidit Ioannes Sariſberienſis, eũ videlicet, *nõ modò Matheſin pepuliſſe ab aula, ſed vt traditur à maioribus, incendio tradidiſſe probatæ lectionis*

Scripta, Palatinus quæcunq; recepit Apollo.

In quibus erant præcipua, quæ cæleſtium mentem & ſuperiorum oracula hominibus videbantur reuelare. Hæc ille. Quæ de iudiciariæ Aſtrologiæ libris accipienda ſunt, ſi vera ſunt: nam multa huius generis de S. Gregorio conficta eſſe; ſatis in-

tis innuit Platina, vt quòd antiqua vrbis monumenta abo-leuerit, à quibus calumnijs eum hunc in modun vindicat. *Neque eſt cur patiamur, Gregorium hac in re à quibuſdam litterarum ignaris potiſſimum carpi, quod ſuo mandato veterum ædificia ſint diruta, ne peregrini & aduenæ, vt ipſi fingunt, ad vrbem Religionis cauſſa venientes, poſthabitis locis ſacris arcus triumphales, & monumenta veterum cum admiratione inſpicerent. Abſit hæc calumnia à tanto Pontifice Romano, præſertim cui certè poſt Deum, patria, quàm vita, charior fuit. Multa profectò ex collapſis ædificiis exedit vetuſtas. Multa præterea demoliuntur homines ædificandi gratia, vt quotidiè cernimus. Impacta illa foramina, quæ tum in concauo fornicum, tum in coniunctúris marmorum quadratorumq; lapidum videntur, non minus à Romanis, quàm à Barbaris auellendi æris cauſſa crediderim. In fornicibus enim quo leuior eſſet moles, ollas cum numiſmatibus collocabant. Lapides verò quadratos æneis clauis firmabant. Factum id quoque à Romanis dixi, ſi Epirotæ, Dalmatæ, Pannonii, & fex totius orbis terrarum huc miſſa, Romani appellari poſſunt.* Hæc Platina pro *S.* Gregorio.

Plat. in Gregor.

Priorem hunc librum concludat factum Iuliani, qui inaudito artificio vel potius odio in Chriſtianos, lege ſanxit, ne Chriſtiani libros gentilium legerent. Res paſſim apud omnes hiſtoricos decantata eſt, ex quorum numero hæc Nicephorus: *Ne Chriſtianorum pueri græcis diſciplinis erudirentur, aut Poetas Scriptoresq; eorum legerent, Scholasque publicas frequentarent, lege cauit.* Cauſſam edicti hanc reddebat Iulianus. *Ne linguis eorum acumine perpolitis, facilè diſputationibus noſtris reſiſtere, & ſacra quidem ſua amplificare, religionem autem noſtram refellere facilè queant. Non paruum enim ei dolorem mouêre, Gregorius & Baſilius Cappadoces, qui omnigenam artem ſuam multis rebus declarauerant, eius temporis Oratores*

Nicephorus lib.10.c.25.

 longè

longè ſuperantes: præcipuè Gregorius, qui verba etiam variis Poematum generibus incluſit, & alii quamplurimi ſpectati viri.

Nouum hoc libros prohibendi commentum & inuentum fuit, vt ſcilicet interdicantur, non quia libros, ſed quia lectores oderis, nolisq; ad eos lectionis vtilitatem redundare. Quam ob cauſſam ſic in Iulianum inuehitur Theologus & Orator præſtantiſſimus, diuus Gregorius Nazianzenus. *Iſti quoque hæc pœna pulchrè conuenit, vt ſermone crucietur, pro eo ſcelere, quod in ſermones admiſit: qui cum omnium ratione præditorum communes ſint, iis tamen, tanquam propriè ad ſe pertinerent, Chriſtianis per inuidiam interdixit: ſtultiſſimè ſanè de ſermonibus cogitans, homo omnium, vt ſibi videbatur, facundiſſimus. Primùm, quia ſubdolè & veteratoriè nomen ad opinionem tradùxit, quaſi ſermo græcus non linguæ, ſed Religionis ſit: atque ob eam cauſſam velut alieni boni ſurreptores, à ſermonibus nos arcere inſtituit: perinde verò ac ſi nos quoque artibus illis, quæ apud Græcos inuētæ ſunt, vti prohibuiſſet: easque propter eiuſdem nominis appellationem ſuas eſſe dixiſſet ac vendicaſſet: tum quia nobis obſcurum eſſe putauit, id ſe nequaquam eo conſilio facere, vt inſigni quodam & primario bono nos ſpoliaret, &c. ſed quia impietatis confutationes extimeſcebat, velut in dictionis elegantia, verborumque lenocinio robur habentes, ac non in veritatis cognitione & argumentis.* Ita Nazianzenus.

Nazian. orat. 1. in Iulian.

Apud Sanctum Cyrillum miratur Iulianus, cur Chriſtiani ſuos arceant ab Idolothytis, & non potius à lectione librorum Ethnicorum, cùm ab his plus periculi immineat. *Quare vos*, inquit, *diſciplinarum, quæ apud Græcos ſunt, conuiuæ eſtis, ſiquidem vobis veſtrarum ſcripturarum lectio ſufficit, cùm melius ſit ab illis* (libris) *homines arcere, quàm ab Idolothytorum cibis? per has enim doctrinas deterretur ab impietate omne, quod vobiſcum natura generoſum protulit. Itaque, cui vel parua portio bonæ naturæ fuerit, is ſtatim à veſtra impietate deficiet.*

S. Cyril. lib. 7. contra Iulian.

deficiet. Proinde meliùs erat homines prohibere à doctrinis non ſacris. Aduerſus quem hæc ſanctus Cyrillus. *Audi cælum, & auribus percipe terra. Ecce enim Rapſaces os contra Deum iterum dilatat, & iniuſtitiam in Excelſum loquitur, ſicut ſcriptum eſt: nihilque, vt videtur, melius cenſet, quàm morboſam ſuam linguam contra nos exacuere. Igitur ſufficit quidem diuina Scriptura ad faciendum eos, qui in ea educati ſunt, ſapientes, & probatiſsimos, & ſufficientiſsimam habentes intelligentiam, indigemusq; ad hoc prorſus nihil externis magiſtris. Quoniam autem dulce eſt omnia ſcire, idcirco hac ratione, & valde prudenter etiam Græcorũ ſententias diligenter diſcutimus, quas de vnaquaq; re habuerint, & ante alia de Deo, & inde ridendi occaſionem accipimus, quòd volũt innumeros Deos & immundorum Dæmoniorum multitudinem honorare.*

Et poſt pluſcula in hanc ſententiam ſubiungit: *Quòd dicit nobis eſſe melius credentes arcere à Græcis diſciplinis, quàm ab Idolothytis, audiat iterum. Quod ab eſu Idolis immolatorum credẽtes abducere conſueuimus, minimè autem probibemus verſari in libris Græcorum, ſi quis voluerit diſcere, cauſam dicemus.* Moxque addit; Ab Idolothytis Chriſtianos prohiberi non ſimpliciter, ſed ratione ſcandali, quod inde ad proximũ manare poteſt, iuxta illud Apoſtoli: *Si quis autẽ dixerit, hoc immolatũ eſt idolis, nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiã, conſcientiã autẽ dico non tuã, ſed alterius.* in lectione autem librorũ Græcanicorum ſimilis ſcandali periculum nullum impendere, cùm omnib. Chriſtianis notiſſimũ & perſuaſiſſimum ſit, vnum tantummodo eſſe Deũ, & quidquid Græci de multitudine Deorum litteris mandarunt, fabulis annumerari debere *Non enim*, inquit S. Cyrillus, *ſi ludant quidã, imò & inſaniant mente ſeducta, & vt ſibi videtur, nominare voluerint Deos, & in templis ſtatuerint ſimulacra errantes, neceſſarium eſt, vt & nos ſimul deliremus, afficiamurq; & ſentiamus, quòd ſint alii verè Dii, præter vnum omnium opificem.* Cæ- 1. Cor. 10.

Cæterùm, ſi vt dicebat Iulianus, quicunque generoſi pectoris Chriſtianus, lectis Græcorum libris, ad Ethnicos deſerta Chriſtiana Religione, tranſiturus erat, cur Chriſtianis lectione librorum Græcorum interdixit? Cur non vel vltrò Chriſtianis Codices illos obtruſit? Certè expeditior via non erat abſtrahendi Chriſtianos à ſua profeſſione, ſi, vt ait Apoſtata, lectio librorum Græcorum tam efficax erat, vt ſtatim amorem Ethnicismi, odiumque Chriſtianiſmi inſtillaret. Sed Iulianus, vt mente, moribus, & factis; ita verbis quoque & ſcriptis varius & inconſtans erat.

Illud veriſimile fit, Iulianum, ſi diuturnior vitæ vſura obtigiſſet: cùm Chriſtianorum libris aliter acturum non fuiſſe, quàm olim egerat Diocletianus, immenſo enim odio in Chriſtianorum libros & commentarios ardebat, quod odium palàm prodit in Epiſt. ad Ecdicium Præfectum, in qua agit de Georg. Ariani Epiſcopi Alexand. bibliotheca inquirenda, & ad ſe transmittenda: *Quidā equis, alii auibus, nonnulli feris delectantur,* inquit, *Ego verò inde vſq; à pueritia librorum cupiditate arſi. Quare abſurdum eſt has opes iis relinquere; quorum auaritia nequit auro expleri, præſertim cùm facilè videar eas illis poſſe detrahere. Quocirca mihi priuatim beneficium dabis, vt Georgii ſcripta omnia reperienda cures. Multa enim apud illum Philoſophica, multa Rhetorica, multa de Galilæorum doctrina, quæ velim penitus extincta eſſe, ſed ne cum his illa quoque pereant, omnia diligenter exquiri volo.* Vides quo animo deſertor in Chriſtianorum lucubrationes fuerit, quibus parcendum cenſuit, non quòd perditas nollet, ſed ne ſuo interitu alias ſecum in idem exitium traherent.

Iſidor. in reg. Mona. cap. 8. Iſidorus Hiſpalenſis hanc Monachis regulam præſcripſit. *Gentilium libros vel hæreticorum volumina Monachus*

legere

legere caueat, meliùs eſt enim eorum pernicioſa dogmata ignorare, quàm per experientiam in aliquem laqueum erroris incurrere. Rectè & ordine Iſidorus, quod attinet ad libros hęreticos. Nec malè ſi ſpectes Gentilium libros, non enim abſolutè eorum lectionem prohibet, ſed periculoſam, immoderatam, & inordinatam: Nonnulli enim Ethnicorum libri *per oblectamenta inanium fabularum, mentem excitant ad incentiua libidinum,* vt alibi idem Iſidorus dicit. *Et quidam plus meditari delectantur Gentilium dicta, propter tumentem & ornatum ſermonem, quàm Scripturam ſanctam, propter eloquium humile. Sed quid prodeſt in mundanis doctrinis proficere, & inaneſcere in diuinis? Cauendi igitur ſunt tales libri, & propter amorem ſanctarum ſcripturarum vitandi.* Tunc videlicet, ſi periculum immineat, ne modus excedatur, neue dulcedine huiuſmodi lectionis abrepti, diuinas litteras in poſtremis habeamus. Exceſſus enim vetatur, non ipſa lectio.

Iſidor. lib. 3 ſent. cap. 13

Nec illud Patres ſanctiſſimi decreuerunt, inquit Caſſiodorus, *vt ſecularium litterarum ſtudia reſpuantur, quia non exinde minimum ad ſacras ſcripturas intelligendas ſenſus noſter inſtruitur. Si tamen diuina gratia ſuffragante notitia ipſarum rerum ſobriè ac rationabiliter inquiratur, non vt in ipſis habeamus ſpem profectus noſtri, ſed ipſa tranſeuntes deſideremus nobis à patre luminum proficuam ſalutaremq; ſapientiam debere concedi, &c. Multi igitur patres noſtri talibus litteris eruditi, & in lege Domini permanentes, ad veram ſapientiam peruenerunt, ſicut beatus Auguſtinus de doctrina Chriſtiana meminit, dicens: Non aſpicimus, quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus & doctor ſuauiſſimus, & Martyr beatiſſimus, quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? (nos addimus Ambroſiũ, ipſumq; Auguſtinum, atque Hieronymum, multoſque alios innumerabiles Græcos) Hoc etiam ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecit, de quo ſcriptum eſt, quòd eruditus fuerit omni ſapientia Ægyptiorũ:*

Caſſiodor. de diuin. lect. cap. 28

 quos

quos nos imitantes acutiſſimè quidem, ſed incunctanter vtraſque doctrinas, ſi poſſumus, legere feſtinemus. Quis enim audeat habere dubium, vbi virorum talium multiplex præcedit exemplum? Quapropter toto niſu, toto labore, totis deſideriis exquiramus, vt ad tale tantumque munus, Domino largiente, peruenire mereamur. Hæc Caſſiodorus ad Monachos Viuarienſis ſui monaſterij, quibus etiam ſæcularis litteraturæ Codices omnis generis reliquit, vt eos aſſidua lectione tererent, ſibiq; inde ad diuinarum rerum cognitionem viam munirent.

S. Hieron. epiſtol. ad Magnum Orator. Legatur Epiſtola 84. ſancti Hieronymi ad Magnum Oratorem, vbi de lectione librorum gentilium doctiſſimè & elegantiſſimè diſputat. Cùm enim quidam admirabundi quærerent, cur in Opuſculis ſuis ſæcularium litterarum exempla interdum poneret, oſtendit, id ſe facere exemplo præſtantiſſimorum Doctorum, Origenis, Methodij, Apollinarij, Euſebij, Ioſephi, Philonis, Quadrati, Ariſtidis, Iuſtini, Melitonis, Dionyſij Corinthij, Panthæni, Clementis Alexandrini, Miltiadis, Hippolyti, Apollonij Senatoris Romani, Iulij Africani, Gregorij Neocæſarienſis, Dionyſij Alexandrini, Anatolij, Athanaſij, Pierij, Luciani, Malchionis, Euſtathij Antiocheni, Euſebij Emiſeni, Triphylli Cyprij, Aſterij Schytopolitæ, Serapionis, Titi Boſtrenſis, Cappadocumque Baſilij, Gregorij & Amphilochij. *Qui omnes,* inquit S. Hieronymus, *in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis referciunt ſuos libros, vt neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſæculi, an ſcientiam Scripturarum. Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius, & contra Gentes libri cunctam ſæculi continent diſciplinam.* Quid Origenem percenſeam? *qui,* vt

Euſeb. lib. 6. cap. 13. apud Euſebium teſtatur Porphyrius, *Platonis libros ſemper habebat in manibus, in Numenii & Cronii ſcriptis multùm verſabatur, Apollophane, Longino & Moderato vtebatur familiariter;*

Nico-

Nicomachi & aliorum illuſtrium Pythagoreorum monumenta terebat ſedulò; Chæremonis Stoici, & Cornuti libros crebrò vſurpabat. Etſi autem fatendum eſt, Origenem in graues errores incidiſſe, neque paucos ex Ethnicorum ſcriptis hauſiſſe, id tamen nō lectionis, ſed hominis, lectione & magnitudine ingenij ſui abutentis, vitium fuit. *Qui propter temulentorum incompoſitum malignumq́ animum, reprobandum eſſe vinū, eiusq́ oblectamentum auerſandum dicit, næ ille propter peruerſum vſum, rem per ſe non peruerſam ſugillat* inquit Leo Imperator. *Leo nouel. 65.*

Nec ſilentio inuoluenda eſt fraus Neſtorianorum, qui inter cætera artificia, quæ, ſeducendis & à ſancto viuendi genere abducendis Monachis adhibebant, etiam lectionem librorum gentilium ſuadebant. *Si Monachus ſit*, inquit Leontius, *hortantur ad legendos libros gentilium, ſi tamen idoneus ad eos legendos videatur.* Nimirū vt dulcedine profanæ lectionis ardor ſpiritus paulatim tepeſceret & euaneſceret, iamque extincto Neſtorii impietas in animo ſuccederet. *Leont. lib. 3. contra Eutych & Neſtor.*

Pulcherrimè ad inſtitutum noſtrum ſanctus Auguſtinus: *Philoſophi, qui vocantur, ſi qua fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non ſolùm formidanda non ſunt, ſed ab eis etiam tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrū vendicanda. Sicut enim Ægyptii non ſolùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa atque ornamenta de auro & argento, & veſtem, quæ ille populus exiens de Ægypto, ſibi potius tanquam ad vſum meliorem clanculò vendicauit, non auctoritate propria, ſed præcepto Dei ipſis Ægyptiis neſcienter commodantibus ea, quibus non benè vtebantur, ſic doctrinæ omnes Gentilium non ſolùm ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauesque ſarcinas ſuperuacanei laboris habent, quæ vnusquisque duce CHRISTO de Societate Gentilium exiens debet abominari atque deuitare, ſed etiam liberales diſciplinas* *S. Auguſt. lib. 2. de doctr. chriſtian. c. 40.*

vſui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtiliſſima continent, deque iſto vno DEO colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infuſa eſt, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obſequia Dæmonum abutuntur, cùm ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum prædicandi Euangelii. Veſtem quoque illorum, id eſt, hominum inſtituta, ſed tamen accommodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere atque habere licuerit in vſum conuertenda Chriſtianum: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? Hæc præclarè S. Auguſtinus.

Finis Libri Primi.

PARA-

PARALIPOMENA
PRO LIBRO PRIMO, SVIS LOCIS INSERENDA.

p.26.v.22. *tolerabiliorem.* Adde.

POrrò, quod diximus de recto iudicio omnibus inſito, deq; errore, qui quandoq; contingit in applicatione huius iudicii ad praxin, id pulchrè explicatur ab Arriano ex doctrina Epicteti his verbis; adſcribam enim, cum capiti huic plu- *Arian.li. Sermon.*
rimum lucis adferant. *Communes notitiæ omnibus hominibus* *cap. 22.*
ſunt inſitæ, quorum vna alteri repugnare non ſolet. Quis enim no- *Vide eund. lib.2.c.17.*
ſtrum non ſentit, bonum eſſe vtile & deſiderabile, ac omnibus ſtudiis id procurandum atq; conſectandũ eſſe? Quis noſtrum animo non ſic eſt affectus, vt non opinetur, id quod iuſtum ſit, eſſe quoq; honeſtum & decorum? Vnde igitur contentiones exſiſtunt & pugnæ? Ex applicatione nimirum primarum notitiarum, ſi adhibeantur rebus ſingulis, &c. Atq; hæc eſt diſcordiæ inter Iudæos, Syros, Ægyptios, Romanos cauſſa, &c. Quid igitur eſt inſtitui & erudiri? Diſcere naturales notitias accommodare ſingularibus rebus conuenienter ipſi naturæ.

pag.40.v.5. *mandaretur.*

Quærit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, cur Con- *Baron. To. 3. an. Chri. 325.*
ſtantinus Magnus Arium potius Porphyrio, quàm reliquis impiis ſimilem eſſe dixerit, potiusq; ab illo, quàm ab alio quouis improbo & ſcelerato Arianis nomen imponere voluerit. *Num ob dogmatis ſimilitudinem, quod Arius inſtar Porphyrii, Dei filium patre minorem diceret? Sed hæc ex par-*

te Arius non tam Porphyrio, quàm reliquis Platonicis comparandus fuiſſet. An verò, quòd, ſicut Porphyrius aduerſus Chriſtianam religionem tot volumina edens, eam prorſus deſtruere, idololatriam verò in omnibus integram conſeruatamque reddi volebat: ita & Arius impia hæreſi id ipſum præſtare, licet alia ratione, conatus ſit? Equidem hac quoque ex parte magna intercedit ſimilitudo Ario cum Porphyrio, quippe qui enixè ſtuduerit, vt iſte, abolita fidei veritate, idololatriam in Eccleſiam introducere: cùm enim Arius ſic prædicaret vnum Deum ingenitum, vt eius filium creaturam diceret, manifeſtum eſt, eum, inſtar Ethnicorum, creaturam in Eccleſia adorandam exponere voluiſſe; ac proinde Chriſtianos creaturæ cultores efficere, vt copioſè oſtendit ſanctus Athanaſius.

S. Athan. ſermon. 4. contra Arian.

Fortè Conſtantinus eò reſpexit, vt nomine illis temporibus maximè inuiſo, Arianos à Secta ſua abſterreret. Porphyrij enim nomen, vtpote iurati Chriſtianæ religionis inimici paſſim apud omnes malè audiebat. Quocirca cùm Ariani, Chriſtum, non minus, quod ad rem attinet, oppugnarent, quàm Porphyrius, qui virulentiſſimis commentarijs in CHRISTVM incurrerat, & tamen CHRISTIANORVM nomine & gloria ſibi blandiebantur; Conſtantinus, tranſlato Porphyrianorum ad illos vocabulo, laruam eis detrahere, & quinam reipſa eſſent, palam omnibus demonſtrare voluit: quod omnino faciendum fuit: quia vt rectè ait antiquus Scriptor, & beati Athanaſij æqualis ſimul & familiaris, Serapion, Epiſcopus Thmueos: *Multi ſunt, qui exierunt, & hic atque illic errant, pro pellibus ouium nomen CHRISTI induti, qui ſe quidem dicunt quod non ſunt, quod autem ſunt dici nolunt, ſed ſuam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem habent nomen, ſtudent verò vt nomen CHRISTI funditùs deleant,*

Serap. lib. cont. Manich.

qui

qui contra I E S V M *militant,* & I E S V M *inuocant. Hæc eſt difficillima omnium improbitas, nomine Chriſti appellari,* & *Chriſtum oppugnare. Etenim quia non potuit peruerſitas contra Deum bellum gerere, vſa eſt nomine, vt vſu nominis opinionem imprudentibus iniiciat, vt quaſi Chriſti familiaris, hic & illic, vt libet, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat.* Hæc præclarè Serapion. Prudenter ergo Conſtantinus Arianis Chriſtiani appellationem detrahere, & à Porphyrio nomen indere cogitauit, vt ex ipſo vocabulo, natura & profeſſio Arianorum ſtatim eluceret.

Verumenimuero cum dictum ſit, libros Arii interdictos fuiſſe, operæ pretium erit videre, quales nam fuerint: Et quia ab vnius crimine, inſulſitate & petulantia omnes diſci queunt, de vno duntaxat opere, quod *Thaliam* inſcripſit, aliquid dicendum eſt: quod parenti ſuo Ario, ipſa inſcriptione infamiam peperit. Eſt enim θάλεια ſeu θαλία ἡ εὐωχία, vt inquit Suidas, *epularis accubatio, conuiuium,* ἀπὸ τοῦ θάλλειν. Hinc & θάλεια δαὶς ein guter Muth/ ein Schlamp. Quæ notio, cum huic nomini ſubiiciatur, non immeritò mirati & deteſtati ſunt antiqui Patres leuitatem Arii, qui de grauiſſimis rebus diſputaturus operi ſuo Epigraphen tam vanam, ludicram, & ſtultam præfixerit. *Quapropter iure optimo quemuis admiratio ſubeat,* inquit ſanctus Athanaſius, *cur, cum multi multa opera & plurimas homilias in vetus & nouum teſtamentum conſcripſerint,* *Athan. orat. 2. contra Arian.* *apud nullum Thalia reperiatur; imò neque apud honeſtatis amantiores Ethnicos, ſed apud eos ſolummodò qui hæc talia in compotationibus cantant, cum ſtrepitu, ſcommatis, laſciuiſque iocis, vt cachinnos concitent,* & auditoribus ilia riſu diſtendant. *At eximius ille Arius cum nihil aut ſanctum aut graue imitandum delegiſſet, vtpote omnis ſeriæ rei ignarus, & plurima ex aliis Hære-*

ſibus

ſibus ſublegiſſet. τὴν τοῦ σωτάδου μόνου γελοιολογίαν ἐζήλωσε. *Solius Sotadæ* ridiculam ſcribendi & agendi rationem ſectatus eſt.

Nec libri titulus Ario tantùm vitio datus eſt: quaſi nimium profanus & ludicrus, ſed & ipſa inſtituti argumẽti tractatio à veteribus reprehenſa eſt, tanquam mollis, elumbis, effæminata; vno verbo, Sotadica. *Pro Chriſto,* inquit S. Athanaſius, *apud Arianos eſt Arius; vt apud Manichæos, Manichæus: pro Moyſe itidem & aliis Sanctis Sotades quidam, homo apud ipſos etiam Ethnicos ridiculus: & filia Herodiadis: huius enim tractos & effæminatos mores Arius in ſcribendo repræſentat, & ipſe eius liber Thaleia iſtius puellæ ſaltationem æmulatur, choreas ductitans, & blaſphemiis in Chriſtum luſitans,* &c. Fuit autem Sotades, ad cuius ſimilitudinem ſe conformauit Arius, natione Cretenſis, Auctor, vt Strabo ait, laſciuorum carminum. Scripſit φλύακας ſeu vt alii legunt, φλοίακας & κοναίδους, *obſcæna, cynedica, ridicula.* S. Athanaſius vocat Sotaden Ægyptium. Sunt qui putent Codicem Athanaſianum corruptum eſſe. Sed vt corruptus ſit tam græcus tam latinus exhibens nobis σωσάτην pro σωτάδην, (quod mendum iam itidem obſeruatum, & ex vetere quodam Codice emendatum eſt in variis lectionibus ad opera S. Athanaſii nuper adiectis) in cæteris tamen nullum eſt mendum. En verba S. Athanaſij.

S. Athan. Epiſt. de Sent. Dionyſ.

καὶ ὁ μὲν ἄρειος τὴν ἰδίαν κακοδοξίαν ἐκτιθέμενος ἔγραψε θαλίαν ἐκτεθηλυμένοις καὶ γελοίοις ἤθεσι κατὰ τὸν αἰγύπτιον σωσάτην (leg. σωτάδην) *Arius peruerſam ſuam opinionem exponens ſcripſit Thaliam effæminatis ridiculisq́; modis & numeris more Ægyptii Sotadæ.* Non ergò S. Athanaſius ipſum Arium, Ægyptium Sotaden; ſed Sotadẽ vocat Ægyptium, fortè, quòd in Ægypto diu habitaſſet: vel fortè quia S. Athanaſius pro Ægyptio habuit: licet Suidas longè recentior dicat fuiſſe Cretẽſem. Nunc ad inſtitutum. Qua ratione, &c. p. 4.

p.44.v.5. *habuerit.*

Verùm vt aliæ ſectæ plerunq; in ſectas abeunt, & in fruſta minutiora conciduntur: ſic & Apollinaris factio factiones generauit, ita vt ipſimet Apollinariſtæ inter ſe acerrimè digladiarentur, ſeq; mutuò libris quoq; condemnarent, (ad eum modum, quo Lutherani ſæpius cum Lutheranis decertarunt, & adhuc decertant) libroſq; aduerſariorum tametſi ab Apollinari nomen ducentium, tanquam peſtem fugiendos & execrandos eſſe publicè clamarent. Teſtem do Valentinum Apollinariſtam, qui contra Timotheum, eiuſq; Magiſtrum Polemium, ſocioſq; Cataphronium & alios, tametſi Apollinariſtas, acriter ſcripſit: Et inter cætera hæc etiam adiecit. *Quicunq, huius non factitiæ, ſed veræ & Apoſtolicæ fidei ſunt confeſſores, ne recipiant libros Timothei, & Polemii, & eorum, qui eos ſequũtur, vaniloquia, ſicut Apoſtolus præcipit.* Item. *Timotheus & Polemius non ſolùm Hæretici, ſed & calumniatores declarati ſunt.* Reperiuntur ſcripta prædicti Valentini, vt & Timothei, & aliorũ Apollinariſtarum in tractatu Leontii, quem edidit *aduerſus eos, qui proferunt nobis quædam Apollinarii opera, nomine ſanctorum Patrum mendaciter inſcripta.* Videmus ergò libros hæreticos non modò Catholicorum, ſed & Hæreticorum iudicio fugiendos eſſe. Sic Cononitæ, (ſecta quædam Seuerianorum, à Conone quodam nomen adepta) Ioannis Philoponi Alexandrini Grammatici ſcripta, quæ ab illo contra Græcos ſeu Ethnicos & de aliis quibuſdam argumentis compoſita fuerant, vnà cum Auctore reiecerunt, *& anathemate confixerunt*, vt ſcribit Nicephorus. Cum Apollinarii dogma iam pullulare inciperet: & commentarius quidam hoc fermento infectus ad manus S. Athanaſii perueniſſet, his verbis reſcripſit ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum; *Hæc tum demùm mibi viſum*

Niceph. lib 18. cap. 49. S. Athan. Epiſtol. ad Epictet. S. Epiphan. Hæreſi 77.

ſum eſt ſcribere, poſtquam incidiſſem in commentarios, à tua pietate compoſitos, qui vtinam nunquam ſcripti eſſent, quo prorſus nulla eorum apud poſteros relinquatur memoria. Hoc nimirum cum diuo Athanaſio votis omnibus expetendum eſt, ne libri mali naſcantur; quod ſi id conſequi optando nequimus, danda erit opera, vt quamprimùm opprimantur, ne virus ſuum cum aliorum pernicie diffundant.

p. 54. v. 18. *Hæc liberatus.*

Leont. lib. 3. cont. Eutych. & Neſtorian. De eiuſdem Theodori libris hæc Leontius alloquens Theodorum. *Libros tuos ii, qui ſectæ tuæ ſunt, in ſermonem Chaldaicum & Armenicum verterunt, qui hæreſin hæreſi Arianæ peiorem ac magis impiam gentibus tradiderunt: ſiquidem hoc imitari ſtuduerunt Ariani, niſi quod hi Barbaros occidentis; illi gentes orientis, vtrique ad ſuam impietatem adduxerunt.*

Idem Leontius cum ex Theodori libris maximas quaſque blaſphemias enotans, & excerpens metueret, ne ipſe tantarum blaſphemiarum auctor & architectus haberetur; hac ſimul & excuſatione & exhortatione vtitur: *Nemo iniquo animo, quæ dicentur, ferat, quoniam non ſumus nos auctores horum malorum quæ audientur, neque cauſſas præbuimus dicendorum. In multis enim libris eorum myſteria impia feruntur: Siquidem & ipſe precarer & optarem, vt ſilentio & tenebris huiuſmodi impietatis myſteria contegerentur: nunc verò non vt vos malorum diſcipulos facerem, ſed potius vt à grauibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, ſummo ſtudio eos fugiens, & omnibus quàm poſſum maxima voce dicens: Fugite vos, fugite à præruptis, & bara-*

barathris longè fugite. Libros omni hæreſi impiarum doctrinarum plenos fugite.

p.54.v.25. *anathema.*

Meminit eiuſdem decreti Photius in Bibliotheca his verbis: ἐξήνεγκε δὲ καὶ ὅρον ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν Ἐφέσῳ τρίτη, ἀπογυμνώσασα αὐτὸν, καὶ τὰ ἐν τῷ λεγομένῳ αὐτῶν βιβλίῳ ἀσκητικῷ βλάσφημα καὶ αἱρετικὰ κεφάλαια, καὶ καθυποβαλοῦσα τῷ ἀναθέματι. *Decretum quoque fecit ſancta & vniuerſalis tertia Synodus Epheſina, quo anathemati ſubiecit blaſphema illa & hæretica capita; quæ comprehenduntur in libro, cui Aſcetico nomen.* Phot.Volu. 42.

p.64.v.25. *edicto ſuo.*

Non latebat Ruffinum interpretationem ſuam librorum περὶ ἀρχῶν ab Anaſtaſio Pontifice damnatam eſſe. Sed quod vel inuitus nouerat, id publicè vt fateretur, adduci nunquam potuit, ne cauſſæ ſuæ ingentem ſecurim impingeret. Quare cum Sedis Apoſtolicæ & aliorum Antiſtitum iudicio ſanctus Hieronymus Ruffinum vrgeret, ſemper diuerticula quæſiuit, vt paſſim videre eſt in Apologiis S. Hieronymi aduerſus Ruffinum, & in ipſis Ruffini Inuectiuis, in quarum ſecunda ſub fine ſic ſcribit Ruffinus. *Veruntamen ponamus, quod Epiſcoporum Synodus ſequatur ſententias tuas, & iubeat omnes libros, qui hæc talia continent, cum auctoribus ſuis, vt aiunt, debere damnari. Damnabuntur iſti libri prius in Græcis, & quod in Græcis damnatur, ſine dubio damnatum eſt in latinis. Veniatur ad ſuos libros: inuenientur eadem continere ſecundum ſententiam tuam; neceſſe eſt, vt cum ſuo auctore damnentur.* Hæc verſipellis ille Origeniſta Ruffinus, qui cum non ignoraret

frequentibus Synodis interdictum fuiſſe, ne quis Origenis libros legeret, latinamq; interpretationem librorum de Principiis ab Anaſtaſio Pontifice damnatam eſſe probe exploratum haberet: id tamen abſolutè confiteri renuit; ſed, *ponamus*, ait, quaſi neſciret, quod tam expeditè norat, quàm ſuum nomen. Mox S. Hieronymũ ſophiſmate aggreditur; quaſi inde ſequatur, etiam libros Hieronymi prohibitos eſſe, quod eadem continerent, quæ libri Origenis. At calumnia hæc facilè refellitur. Quia ſi quid S. Hieronymus ſuis commentariis ex Origene inſeruit, id fecit cum iudicio & delectu, omiſſis videlicet erroribus, vt ipſe ſæpius teſtatur, & crebrò ſententias eius non tam probauit, quàm percenſuit, pro commentatorum conſuetudine. *Hic eſt enim commentariorum mos & explanantium regula*, inquit S. Hieronymus, *vt opiniones in expoſitione varias perſequantur, & quid vel ſibi vel aliis videatur ediſſerant, & hoc non ſolùm ſanctarum interpretes ſcripturarum, ſed ſecularium quoq; litterarum explanatores faciunt tam latinæ linguæ, quàm græcæ.* Verum tamen eſt, librum malum cum in lingua ſua natiua prohibetur, prohiberi quoq; tranſlatum in aliam. Cur ergo, inquies, tranſtulit aliqua ex operibus Origenis S. Hieronymus? Cur ipſos libros τῶν ἀρχῶν? Reſpondeo tranſtuliſſe, quia ipſe eius opinionis erat: bona Origenis legenda & ſeligenda eſſe; mala cauenda. Libros τῶν ἀρχῶν vertit; compulſus Ruffini fraudulentia, qui præfatione interpretationi ſuæ præpoſita dixerat ſe amputaſſe peſſima, & optima reliquiſſe: cum peſſima, hoc eſt, totum Origeniſtarum cœnum reliquiſſet: *dogmata* videlicet *de Angelorum ruina, de animarum lapſu, de reſurrectionis præſtigiis, de mundo vel mundis Epicuri, de reſtitutione omnium in æqualem ſtatum; & multò his deteriora, quæ longum eſſet retexere. Ego*, inquit S. Hieronymus, *in libris* τῶν ἀρχῶν

S. Hieroni Apol. 3. cont. Ruff.

S. Hier. li. 1. con. Ruff.

ſimpli-

ſimpliciter quod in Græco habebatur expreſſi, non vt crederet Lector iis, quæ interpretabar, ſed ne crederet illis, quæ tu (Ruffinum alloquitur) *tranſtuleras. Duplex in opere meo vtilitas fuit, dum & hæreticus Auctor proditur, & non verus interpres arguitur. Acne quis me putaret iis conſentire, quæ verteram, interpretationis neceſſitatem præfatione muniui, & docui, quibus lector non deberet credere*: Nam vt alibi dicit idem S. Hieronymus: *Mala oſtendere interdum non docentis eſt, ſed vetantis; vt caueat lector, non vt ſequatur errores; vt nota contemnat, quæ nonnunquam ignota miraculo ſunt.*

p. 74. v. 5. *benè habet.*

Eo tempore, quo Almarici hæreſis Lutetiæ ſerpebat, *legebantur* Pariſiis, inquit Rigordus, *libelli quidam ab Ariſtotele, vt dicebantur, compoſiti, qui docebant Metaphyſicam, delati nouo à Conſtantinopoli, & à Græco in Latinum tranſlati, qui quoniam non ſolùm prædictæ hæreſi ſententiis ſubtilibus occaſionem præbebant, imò & aliis nondum inuentis præbere poterant, iuſſi ſunt omnes comburi, & ſub pæna excommunicationis cautum eſt in eodẽ Concilio* (Pariſienſi) *ne quis eos de cætero ſcribere, legere præſumeret, vel quoquo modo habere*. Hæc Rigordus. *Rigord. de geſtis Phil. Auguſti.*

Quales autem libri iſti fuerint, aliis indagandum relinquo: Non enim fuiſſe arbitrer illos, qui hodie Metaphyſicorum titulo circumferuntur; quid enim iſti ad hæreſes Almarici ſtabiliendas facerent? Veriſimile igitur fit falſum titulum præ ſe tuliſſe, & ex impoſtoris alicuius officina profectos fuiſſe.

Pag. 85. v. 27. proprium eſt.

Cæterùm, vt Suinco ſeu Stencko Archiepiſcopus ſeſe ad abolendos libros Wiclephi per Bohemiam Latinè & Bohemicè ſparſos, accingeret, excitatus fuit Epiſtola quadam Magiſtri Andreæ de Broda, cuius partem recitat Cochlæus: *Inter cætera ſic ſcripſit: Valde timendũ exiſtimo illud* *Cochl. lib. 1 hiſt. Huſſ.*

horribile Domini noſtri, quod Ezechiel ſcribit: Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Formidabile & pauendum, ne ſanguinem ouium de manu Paſtorum quandoque requirat. Auſcultet veſtra Reuerendâ Paternitas, ſi quis has brutas ouiculas prædaretur, & abigeret hominibus veſtris, nonne veſtri milites, nonne famoſi Clientes, nonne validi feſtinarent armigeri, imò quod plus eſt, veſtra Paternitatis tota conſurgeret parentela, quatenus abigere gregem pauperum non ſinerent, &c. Reuera pluris eſt vnica anima hominis, quam talia mille millia gregum. Igitur plus inuigilandum eſt, ne hoſtis noſter aduerſarius Diabolus, ſuis venenatis decipulis captiuans & illaqueans animas, ipſas abigat, &c. Vt autem res, quam intendo, veſtræ reuerendæ P. pateat, ecce palam dico, quòd varii libri illius peſtilentis hæretici VViclephi Anglici in veſtra multiplicantur Diœceſi, qui non paucos, imò complures erroneos articulos, imo damnatos ac meritò dānandos continent, quales ſunt Dialogus & Trialogus, & Tractatus de corpore Chriſti, & plures alii, vt audio. Ex quibus & eorum venenatis poſitionibus timendum eſt, ne oues letaliter & inſanabiliter ſaucientur, &c. Et ideò R.P.V. propter Ieſu Chriſti ſanguinem precioſum & roſeum, & propter ſalutem veſtram, quam deſidero, & propter tutelam Chriſti fidelium &c. peto & humiliter peto, quatenus inuigiletis, ne multiplicatis libris peſtilenticis, fideles veſtri virus infidelitatis peſtiferum hauriant, &c. nulla enim peſtilentia, nulla fames, nullus gladius, tanta mala poſſunt ingerere, quantum fuerit ex hæreticorum perfida prauitate. Hæc magno & laudabili zelo Magiſter ille.

Ante tamen, quàm Archiepiſcopus Pragenſis libros VVicklephi concremaret, iam prohibiti fuerant ab Academia, damnatique vna cum 45. articulis VVicklephi, vt refert Cochlæus ex Ioanne Przibram Bohemo. Verba

Cochl. lib. I hiſt. Huſſi. Decreti hæc ſunt: *Notum ſit omnibus, quòd omnes Doctores & Magiſtri hîc congregati, vnanimiter, nullo penitus contradicenteq*

tente, articulos 45. VViclephi reprobauerunt, refutauerunt, & prohibuerunt, &c. Probibuerunt inſuper ne aliquis infra Magiſtrum libros ipſius VViclephi, præcipue libros de Eucharistia Dialogum & Trialogum, &c. audeat legere, ne in errorum imagines dignoſcantur præcipites declinare. Factum eſt hoc decretum anno Domini M.CCCC VIII. vel circiter, & quidem ipſo Ioanne Hus, in ipſo conuentu, præſente, decretumq; ore ſaltem approbante; quia tot eruditis viris publicè ſeſe opponere non audebat: occultè tamen non deſtitit VVclephico veneno multos inficere, inquit Cochlæus; imò & apertè, præſertim poſtquam cuniculis ſuis tantùm effeciſſet, vt Germani, quos ſibi potiſſimùm aduerſarios ſentiebat, ex Academia Pragenſi diſcederent. Etenim Ioannes Huſs, eiectis per ſummam iniuriam *Theutonicis, liberior factus, virus VViclephicum, quod in corde gerebat, per os in populum effundere palam cœpit. Nam nactus concionandi munus &c. populum ſenſim perduxit in odium Cleri per commendationem doctrinæ VViclephi.* Ex quo poſtea natæ ſunt illæ tragœdiæ, quarum veſtigia nulla ætas oblitterabit.

Libros VViclephi dãnauit quoq; Ioan. XXIII. miſſa Bulla in Bohem. & Morau. vbi hæc præter cætera: *Iubemus per locorũ ordinarios, libros, tractatus & opuſcula huiuſmodi, etiam auctoritate Apoſtolica per cenſurã Eccleſiaſticã, etiam ſi opus fuerit cũ adiectione pœnæ & fautoriæ hæreſis, diligẽter inquiri, & repertos ignibus publicè concremari.* At quis curabit, quos Deus abiecit; inque reprobum ſenſum dedit? Tantum abeſt, vt aut Huſſum, aut Huſſi ſectatores ad ſaniorem mentem redirent, vt quotidie ſceleratiores efficerentur, quare impudentiſſimas gloſſas & ſcholia petulantiſſima ad diploma Pontificium addiderunt, paſſimq; in contemptum Sedis Apoſtolicæ diſſeminarunt, quod non ſemel itidem à Lutheranis hac noſtra memoria factum, edoctis nimirum ab Anteceſſoribus ſuis Huſſitis. Nil

Nil opus exemplis. Obuia ſunt. Vel obiter quis inſpiciat annotationes Hutteni in Bullam LEONIS X. aduerſus Lutherum; nulloque negotio perſpiciet, quid de audacia & fronte huiuſmodi Nouatorum ſtatuendum ſit.

Pag. 92. v. 12. *expreſſa.*

Exſt. tom. 2. VViten. Lat. 1546. Hæc Leonis X. Bulla Luthero ſtomachum nō modò vertit, ſed & propemodum euertit. Quocirca furioſiſſimū libellum è veſtigio euulgauit, cuius maniam & phrenefin ſatis indicat ipſe titulus, qui talis eſt: *Aduerſus execrabilem Antichriſti Bullam.* in quo ita ferocit, ſæuit, tonat & fulminat, vt non hominem, ſed Cacodæmonem iam iam ex Pyriphlegetonte egreſſum te audire arbitrari poſſis. Inter cætera moleſtiſſimè fert libros ſuos flammis addici. *Decernit Bulla iſta eximia,* ait Iſlebius iſte Furius, *apertis, impudentiſſimisque verbis, eſſe exurendos etiam libellos meos, in quibus errores non ſunt, vt memoria mei penitus tollatur, potes nunc Chriſtiane Lector, dubitare, infernalem Draconem ſonare per Bullām iſtam? &c. Quid ſi hæc in Turcia fierent? Quo loco hæc non rogo digna, niſi imo tartaro? &c.* Sanè quouis ſano Iudice, imum tartarum merentur, quæ Lutherus in execrabili illo ſuo tractatu effutit, nihil enim aliud ſunt, quàm tartarei Draconis inſani boatus, ne in ipſa quidem Turcia Turcis ipſis tolerabiles.

Finge, quæſo, me eſſe talem, inquit LVTHERVS, *qualem illa maledica & maledicta Bulla videri cupit, hæreticum, erroneū, ſchiſmaticum, offenſiuum, ſcandaloſum in aliquot libellis, quid meruêre libelli Catholici Chriſtiani, veri, ædificatorii, pacifici? Vbi didiciſtis hanc religionem Papiſtæ perditi, vt propter hominem malum damnetis & exuratis ſanctam caſtamque Dei veritatem?*

Quid opus fingere te Hæreticum, imò hæreſeon & ſchiſmatum lernam eſſe, cùm re ipſa talis ſis. Nulla hic opus hypotheſi, nulla conditione. Nimis liquet, ex quo

luto

luto fictus & compactus ſis. Ringeris, quòd omnia tua, etiam ab hæreſi libera, (ſi quæ tamen vnquam ſcripſiſti, hæreticis maculis non contaminata) Leo damnat & proſcribit. Sed iuſtè hac pœna plectuntur Hæreſiarchæ, vt ne tum quidem, cùm benè & bona dicunt, audiantur, Nam & Chriſtus Dæmonibus tametſi vera loquentibus, aliquando ſilentium indixit. Nec ideò damnatur veritas, ſicut Chriſtus non damnauit veritatem, cùm *Dæmonia clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei, increpans non ſinebat loqui.* Veritatem enim audiri & prædicari voluit; at non à Dæmonibus, parùm aptis veritatis præconibus, ſed à Petro, qui cùm profeſſionem hanc edidiſſet: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui:* mercedem recepit vera confeſſio, *beatus es Simon Bariona,* Chriſtoque gratiſſima hæc veritatis prædicatio accidit. Sic & Leo Pontifex veritatem audiri vult, at non ex Lutheri ore & libris, in quibus habitant Dæmonia illa à Saluatore coërcita; ſed ex ore Petri, eorumq́; qui Cathedræ Petri communione ſociantur. *Vos triticum euellitis cum zizania,* inquit Lutherus, *vos grana diſpergitis cum palea.* Nihil minus. Quia illud ipſum triticum, & illa ipſa veritatis, vt ſic dicam, grana, quando ab alijs nobis offeruntur, religioſè ſuſcipimus, & in horreum noſtrum inuehimus: licet quando offeruntur à Luthero, ea repudiemus, & à granarijs noſtris arceamus, exemplo Chriſti Domini, qui hoc excellentiſſimum & precioſiſſimum veritatis granum, TV ES FILIVS DEI; à Dæmonibus allatum repudiauit: à Petro autem libentiſſimè accepit.

Luc. 4.

Matth. 16.

Cur Origenem ſuſcipitis in libellis Catholicis, & non in totum aboletis? ait Luth. Ideò, quia Origenes non eſt Lutherus, hoc eſt, *homo ad mendacia componẽda natus & factus,* vt conuicium, quod Lutherus in Cardinalem Caietanum iecit, ad

Luth. libr. citat. contr. Bullam.

ſuum auctorem remittam. Ideo, quia in paucis pagellis Origenis contra Celſum, (vt hoc opus præcipuè nominem) plus doctrinæ & ſapientiæ ineſt, quàm in omnibus lucubrationibus Lutheri, quas *apparet vel inter putanas nocturno conniuio eſſe egeſtas, aut in canicularibus furiis conſuſas; neque enim vlli moriones ſic inſanirent*, vt inſanit in ſuis chartis Lutherus.

Verba Lutheri de Bulla Leonis X.

Ideo denique, quia Lutherus baſiliſcus eſt ipſo adſpectu tartareum & mortiferum virus inſpirans, ea de cauſa iure optimo, nihil illius toleratur, ne, dum placet, vbi veneno carere videtur, placere itidem incipiat, vbi quauis vipera veneno magis turget. De Origene alia eſt ratio, cuius errores iam adeò temporis diuturnitate exoleuerunt; vt vix periculum creent: Sed de Origene ſatis iam ſuo loco.

Cur, inquit Lutherus, *impiiſſimum Ariſtotelem, in quo non niſi errores docentur, non ſaltem in parte damnatis?* Ideò non damnamus, quia impiiſſimus non eſt; ideo, quia doctiſſimus & acutiſſimus eſt; ideo, quia ſubſidia ingentia omnibus mendaciis expugnandis ſubminiſtrat; ideo, quia veritatem ſolertiſſimè indagat, & ad intima eius cubilia feliciter penetrat. Errores nonnulli, pietati Chriſtianæ diſſentanei; tam ſunt manifeſti omnibusque probè cogniti, vt nemini, qui cómpos ſit mentis, exitium adferre queant. Apud quem enim illa de æternitate mundi ſententia fidem inueniat? Nam quæ Lutherus & alii quidam Ariſtoteli affingunt, ea non ſunt Ariſtotelis errata, ſed cæcutientium vaniſſima deliramenta. vt & illud eiusdem Lutheri, cum in diſputatione *de homine* ſcribit. *Quod Ariſtoteles animam definit actum primum corporis viuere potentis, etiam illudere voluit Lectores & Auditores.* Digna profectò

Tom. 1. operum Luther. Latin. Vitten. 1546.

profectò cenſura illo, qui in eadem diſputatione hæc ſubtiliſſima themata poſuit. *Philoſophia definit hominem animal rationale, ſenſitiuum, corporeum. Neque diſputare neceſſe eſt, an propriè vel impropriè homo vocetur animal.* (Videtur Lutherus nolle eſſe propriè animal, quia propriè beſtia fuit) *Sed hoc ſciendum eſt, quòd hæc definitio tantum mortalem & huius vitæ hominem definit.* Ergò poſt reſurrectionem nullus homo erit amplius *animal rationale, ſenſitiuum, corporeum.* Et quid nam erit homo, ſi definitionem ſuam, hoc eſt, illud ipſum, quòd eſt, exuat & amittat? *Luth. loc. citat. theſ. 1. 2. 3.*

Cæterùm LVTHERVS, præ impatientia animique impotentia ob Bullam Leonis decimi in rabiem propemodum verſus, magnis clamoribus CAROLVM Cæſarem aliosque Principes inuocat. *Vbi es nunc optime Carole Imperator? Vbi eſtis Reges & Principes Chriſtiani? vbi eſtis Epiſcopi? vbi Doctores?* Ne quære aut querere LVTHERE, Adeſt Carolus Imperator, qui te & tuos libros edicto æquè graui & ſeuero condemnat & proſcribit, ac LEO ſummus Pontifex. Adſunt & alij Principes, ne dubita. Vigilant, teque immanem lupum à præſepibus ouilis Dominici arcere ſtudent; nam hoc ſummi paſtoris, &c.

Pag. 161. v. 11. Probet.

Imò, quod obſeruatione dignum, Iureconſulti VVittenbergenſes, qui tempore Lutheri in eadem ciuitate & Academia degebant & docebant, hoc Lutheri facinore nequaquam abſterriti fuerunt, ab explicandis ſtudioſæ iuuentuti Decretalibus. Quod ægrè ferens LVTHERVS per SPALATINVM ſuum in Aula ELECTORIS obtinere ſtuduit, quod flammis obtinere nequiuerat.

Liquet id ex Epiſtola quadam LVTHERI ad Spalatinum data ex Eremo, ſeu Pathmo Lutherana, poſt exuſtionem Iuris Canonici, vbi hæc Apoſtata. *Ionas ſcribit bonam ſpem de Decretalibus Papiſticis, tu vide, vt perficere ſpiritus* (Diabolus) *poſſit, tua opera vſus.* Spalatino nimirùm tanquam cuneo vtebatur in Aula Lutherus, eoque extrudebat, quidquid ad ſtomachum ſuum non faciebat. *Optimum foret*, inquit eodem loco, *vt vniuerſum Ius Pontificium prorſus excluderetur.* Optimum ſcilicet foret, ſed iudicio peſſimi.

Tom. 1. Epiſt. 237.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE IVRE ET MORE PROHIBENDI, EXPVRGANDI ET ABOLENDI LIBROS HÆRETICOS & noxios aduerſus Franciſci Iunij, Miniſtri Caluiniani; aliorumq; ſectariorum calumnias.

CAPVT I.

Refutatio quorundam conuiciorum Iunii in epiſtola dedicatoria.

EOs, qui libros Hæreticos, aut aliâs moribus detrimentoſos opprimũt, comparat Iunius *cum Ægyptiis, quippe qui, vt illi, Iſraelitarum fœtus quotidie contrucident.* Placeret collatio: ſi Iunius probaret, eos, qui perditos libros ſcribunt & euulgant, veros Iſraelitas eſſe: hoc eſt; homines ſine fraude & dolo; candidos, ſinceros, apertos. Ita enim verum Iſraelitam definiuit Dominus; cũ hæc de Nathanaele dicit: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt:* quaſi diceret; nec verè, nec verum Iſraelitam eſſe, in quo dolus inſit. *Quid eſt, in quo dolus non eſt?* quærit S. Auguſtinus. *Dolus fraus eſt, ſimulatio* Ioann. 1. S. Aug. in cap. 1. Ioan

 eſt,

eſt, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & tanquam duo corda habet: vnum quaſi ſinum cordis habet, vbi videt veritatem; & alterum ſinum, vbi concipit mendacium: & vti noueritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in pſalmis; labia doloſa. Quid eſt labia doloſa? ſequitur; in corde, & corde locuti ſunt mala. Quid eſt in corde, & corde, niſi duplici corde?

Si ergò Iunius oſtenderit, in ſe, ſuisq; Caluiniſtis nullum latere dolum, tum veros Iſraelitas eſſe non diffitebor; ſed eadem opera, qua conabitur probare, Hæreticos non eſſe doloſos, monſtrare item poterit, vulpes non eſſe doloſas, quia Hæretici vulpes ſunt. Pulchrè Beda in illud Canticorum; *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*; *Vulpes, quæ demoliuntur vineas, Hæretici ſunt & ſchiſmatici, qui praua dente doctrinæ vineas Chriſti florentes, id eſt, rudes fidelium mentes, quantum lacerare ſoleant, vtinam neſciremus. Aptè autem vulpium natura moribus ac verbis conuenit Hæreticorum, quia nimirum valdè fraudulenta ſunt animalia, quæ in foſſis & ſpecubus abſconduntur: cumq; apparuerint, nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currunt.* Quæ quomodo congruant hæreticorum dolis ac fraudibus, facilè quiſq; intelligit.

Cant. 2.

Bedæ adiungo S. Gregorium Nazianzenum, *cui etiam vulpes eſt verſuta quædam anima, fideque dubia prædita, ac pro temporum varietate alia atque alia, nouamque ſubinde, vt id rebus ſuis conducere arbitratur, formam aſſumens, quam mortua ac putrida corpora nutriunt.* Quibus verbis, quem alium, præterquam Hæreticum deſcribit? Sanctus Auguſtinus de vulpibus à Samſone cauda colligatis; & capite in diuerſa ruentibus: *Vulpes*, inquit, *inſidioſos, maximeque hæreticos ſignificant doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Iſtæ*

Naz. orat. 2. de Theol.

S. Aug. in Pſal. 80.

vulpes

vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum, vbi dicitur; capite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas, latentes in cauernis tortuoſis. Omnes Hæretici, ait S. Hieronymus, *propter fraudulentiam ac nequitiam, vulpium ſimiles ſũt, de quibus ſaluator loquitur: vulpes foueas habent. Etiamne aliud quiddam eſt maledicus aut maleuolus homo, quàm vulpes*, inquit Arrianus, *aut ſi quid ea eſt vel ignobilius vel contemptius?* *Hier in ca. 3. Ezech.* *Matth. 8.* *Arrianus lib. 1. cap. 4*

Ergo cum vulpes deſierint eſſe vulpes, doloſamque naturam exuerint; tum etiam Hæretici exuent fraudes vulpinas, & in Iſraelitas transformari poterunt. interea ſi propter dolos Iſraelitæ non ſunt, qua ratione, oro, *fætus eorum*, hoc eſt, libri, ſunt fœtus Iſraelitarum? Et ſi trucidentur, quomodo fœtus *Iſraelitarum* trucidantur? Vulpes, non niſi vulpem parit, nec aliunde vulpes, quàm ex vulpe: & qui fœtum vulpis interficit, is vtique vulpem interficit, niſi fortè apud Iunium vulpes & fœtus vulpis non reciprocantur. vt ipſi Iſraelitæ ſimplices ſunt, veraces, omnis doli expertes, ita iiſdem notis inſigniuntur Iſraelitarum fœtus. Si ergo candidi & ſinceri Iſraelitæ eſtis, vnde fœtibus veſtris tantæ ſtrophæ, futelæ, technæ, & fraudulentæ impoſturæ? Ægyptiorum fœtus ſunt libri veſtri, hoc eſt, populi Deo aduerſi & reluctantis, non Iſraelitarum, hoc eſt, populi Deo chari, eiusq; maieſtati addicti.

Quanto verius diceres, eos, qui libros Hæreticos opprimunt, perimere ranas Ægyptiacas, has enim Hæreticorum & Ethnicorum Philoſophorum figurã geſſiſſe, docet D. Auguſtinus: *Habes*, inquit ſanctus ille præſul, *congruenter ſignatam Hæreticorum & Philoſophorum prauitatem, ſi conſideres ranarum loquacitatem. Philoſophi enim & Hæretici ranæ ſunt clamantes, in limoſis paludibus. Per ſuperbiam & inanes contentiones, ſtrepitum vocum habere poſſunt:* *S. Auguſt. lib. de conuenien. 10. precept.*

doctri-

doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt. Qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt; tædium quidem afferentes auribus, nullis autem præbentes cibos mentibus. Si ergo Hæretici ſunt ranæ, igitur & libri Hæreticorum ranæ ſunt; quia etiam ranarum liberi ranæ ſunt.

Caput II.

De modo, quem ſancti Patres cum Hæreticis eorumque libris tenuerunt.

INitio præfationis ad Lectorem mirificè exultat Iunius ob exemplar Indicis expurgatorii adeptũ. Nec minoribus lætitiis effertus incedit, quam ὄνος εἰς ἄχυρα παρὰ προσδοκίαν ἐμπεσων *aſinus præter ſpem & expectationem in paleas incidens.* Adſcribit hoc *ſingulari numinis prouidentiæ,* & maximam vtilitatem inde ad Eccleſiam redituram auguratur. In quo me propemodum ſuffragatorem habet; præſertim ſi loquatur de Eccleſia Dei, non de ſynagoga Caluini: Plurimi enim viſo illo Indice expunxerunt ex ſuſpectis auctoribus ea, quæ Index inducenda & reſecanda monet. Quod nunquam feciſſent, ſi Index ille à Iunio in lucem proditus non fuiſſet.

In more fuit poſitum, inquit Caluiniſta, *ſi quando priſca Eccleſia & orthodoxi Patres animaduerterunt, damnoſa dogmata, aut ſcripta in populum Dei irrepere, vt ea non clanculum, ſed palam, non fraude, ſed veritate; non arte, ſed virtute ſpiritus debellarent.* Nemo abnuit, Iuni; Modum hunc tenuerunt veteres Patres, à quo hodiernos Doctores receſſiſſe, quo argumento probas?

Non, inquis, *agebant violentis edictis.* At agebant edictis, non violentis illis quidem, ſed tamen efficaciſſimis tam

con-

contra Hæreticos, quàm contra Hæreticorum fœtus, quod planum ex tot edictis, quæ libro primo recenſuimus. Et ſicut vetera illa Edicta violentia carebant, quia æquitatis pleniſſima erant; ita & ea, quæ hodie in Hæreticos ſanciuntur, omnem violentiam procul habent: niſi tu æquitatem & debitam ſeueritatem in violentiæ claſſem violenter coniicias. Agebant ergò antiqui Patres interdictis tam Eccleſiaſticis, quàm politicis, quæ ab Imperatoribus & Magiſtratibus exorabant. Nec ſolùm interdictis rem agebant, verùm etiam *æqua communicatione*, ſermonibus, diſputationibus, ſcriptis deniq; , ſi nullus eſſet communicationis fructus. Declarant iſtud veterum conciliorum acta, & patrum ſcripta luculentiſſimè. An non cum Hæreticis huius temporis eadem ſeruatur ratio? Et vt patres nunquam puduit Porphyrii, Celſi, Iuliani, Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum aliorumq; verba, diſputationes, ſcripta, referre in libros ſuos, & veritatẽ Dei cum mendacio illorum comparare, piorũq; omnium oculis ſine fuco & fallaciis exponere, ita Doctores, qui hodie in acie pro domo Dei ſtant, non pudet dicta & ſcripta Lutheri, Caluini, Lutheranorum, & Caluiniſtarum, libris ſuis intexere, & veritatem doctrinæ Catholicæ cum vanitate Hæreticorum dogmatum conferre, quo orthodoxorum pietas confirmetur, & ſectariorum nugacitas reuincatur.

Præterea, vt patres interdum prius priuatim, poſtea verò irrita priuata monitione & inſtructione, ſcriptis publicis, cum Hæreticis egerunt: ita eorundem veſtigiis inſtiterunt Doctores huius æui; etſi, vt veteres patres, ita & noſtri Doctores quotidiano vſu diſcunt, priuata monitione cum Hæreticis, hominibus plerunq; cerebroſis & peruicacibus, parum profici, quippe in *reprobum ſenſum* abiectis

 iectis

iectis: vt Vlyſſes apud Plutarchum inanem operam ſumpſit, cum Grillo perſuadere conaretur, melius eſſe, vt quis ſit homo, quàm beſtia; ita plerunq; operam perdit, qui hęreſeos repertoribus perſuadere contendit, melius eſſe, vt quis ſit Catholicus, quàm Hæreticus. Si tamen ſpes vlla correctionis, per priuatam monitionē affulgeat, minimè

Matth. 18. negligitur via, quā Chriſtus imperauit, natura docet, charitas poſtulat, ordo Eccleſiæ exhibet, & Apoſtoli ſanctiſſimè perſecuti ſunt. Quæ verò illa via? *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Hæc via, quam corripiendi proximi præſcripſit Dominus: Sed ea lege, ſi credatur profutura: nam ſi ſcias, aut probabiliter ſuſpiceris te primo & ſecundo modo nullum operæ pretium facturum, ob pertinaciam & improbitatem alterius, illicitum non eſt ab hoc ordine abire, & peccantem publicè obiurgare: Ita fecit S. Paulus cum Elyma Mago, inſigni impoſtore, quem prædicationi diui-

Act. 13. ni verbi reſiſtentem his verbis adortus eſt. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.* In hunc modum palàm, Prædicantem iſtum & Caluinianum miniſtrum Elymam allocutus eſt S. Paulus. Similia exempla paſſim occurrunt in ſacris litteris.

Non ignorabant Patres: inquit Iunius, *aliter fora agere in cauſis ciuilibus, aliter Eccleſias in ſpiritali diuinoque argumento.* Neq; nos hoc ignoramus, Iuni; Quis enim neſcit forum ciuile & Eccleſiaſticum differre, etſi non eo diſcrimine, quod tu aſſignas; *quod illic ratio præſit, hic fides*, nam & in

in foro Eccleſiæ oportet, vt adſit ratio. Qualis enim iudex erit, qui ſine ratione iudicabit? Et quamuis fides ſit ſupra rationem, non eſt tamen contra rationem. Nec in foro ciuili tantum loci eſt nudæ & ſoli rationi, vt fides excludatur: Nam Chriſtiani res ſuas non ſolent humanis duntaxat, ſed & cœleſtibus momentis ponderare.

At Petrus & Paulus negant ſe in fidem habere dominatum? Rectè, quia vt cordium, ita & fidei ſolus Deus eſt Dominus. Deinde, *dominatum* non habent, vt hominem extra Eccleſiæ ſepta perpetuò euagatum, nolentemque rebus fidei aſſenſum præbere, cogere poſſint ad fidem, quia Eccleſia nihil iuris in illos habet. Apoſtatas autem & fidei deſertores ad officium compellere queunt Eccleſiaſtici prælati, quia fœdifragi ſunt & Legirupæ. *Mali ſunt prohibendi à malo, & cogendi ad bonum*, ait S. Auguſt. Et mirum profectò eſſet, ſi tantum iure non poſſet magiſtratus Eccleſiaſticus, quantum ſibi ſumma iniuria Caluiniani, aliiq; Nouatores arrogant, qui non modò minis, ſed & tormentis immaniſſimis, & edictis plus quàm Tyrannicis, homines ad ſuam perfidiam adigunt. *Cur non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filii coegerunt alios, vt perirent?* inquit S. Auguſtinus. *S. Auguſt. Epiſt. 52. ad Maced.* *S. Auguſt. lib. 22. con. Fauſt. c. 79*

Sed reuertamur ad Patres, hodiernumq; Doctorum Eccleſiæ Catholicæ morem iiſdem conſentaneum eſſe demonſtremus. *Nam in Patribus id parui non ducimus eſſe faciendum*, ait Iunius, *quod cum fidem Dei oſtenderent, humanisq; commentis opponerent: probabant ſuam; freti enim veritate promiſſionum Dei, faciebant id, quod honeſtum eſt: quando honeſtè & ex ordine ſermones aduerſariorum ita refellebant, vt ferrent; & ita ferebant, vt refellerent, quod probè in veritate eſſent inſtituti, ſeque legendis aſſiduè litteris ſacris in timore Dei exercerent.* Ne-

mo inficias ierit ita egiſſe ſanctos Patres: niſi forſan ſubtiliùs quàm veriùs alicui videatur, ſanctos Patres ferre ſolitos aduerſariorum ſermones: & ita ferre ſolitos, vt refellerent. Nam ſi *ferebant*, hoc eſt, tolerabant, quomodo refellebant? Et ſi refellebant, quomodo *ferebant*, hoc eſt, tolerabant? niſi tu fortè putas ſanctos patres id, quod ore & calamo refutabant, pectore toleraſſe: quæ duplex mens longè à candidis illis mentibus aberat.

Illud non damus Iunio, poſteros ſanctorum Patrum deſciuiſſe à modo illo agendi cum Hæreticis: nam & ipſi *honeſtè & ex ordine* aduerſariorum diſputationes & obiectiones refellunt, ſeq; in meditatione diuinæ legis reuerenter & diligenter exercent, oculosque ad parentes ſuos conuertunt, vt videant & diſcant, qua arte aduerſus Hæreticos depugnarint, vt eorundem veſtigijs inſiſtentes, ſimilem victoriam de hoſtibus reportent.

Capvt III.

Num ſanctorum Patrum ſcripta ſint corrupta, & quis corruperit.

IVnivs duplicis generis corruptores ſtatuit: alteros, *qui dum aut ſuis ſcriptionibus Eccleſiã tueri voluerunt, aut cenſoriam virgulam in alienas adhibere: ſuis interpretationibus, aut tacita rerum ſuarũ ſurrogatione & ſubuectione, ſanctorum Patrum opera adauxerint.* Si petas à Iunio, quinã iſti? nimirùm obmuteſcet, nec habebit, cuius nomen proferat, nec interpretationis vel ſcriptionis huiuſmodi aſſumentum nominare poterit, aſſumentũ, inquam, à Catholico & orthodoxo viro ſcriptis ſanctorũ Patrum ſuperadditũ. Nam additamenta ab hæreticis adiecta, & gloſſemata

mata in ipſum contextum intruſa, non adeò laborioſum fuerit demonſtrare.

Cùm omnis interpolatio poſterior credenda ſit, ait Tertullianus, *veniens vtique ex cauſſa æmulationis, quæ neque prior, neque domeſtica eſt eius vnquam quod æmulatur, tam incredibile eſt ſapienti cuique, vt nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur ſcripturis, qui ſumus à principio & primi, quàm illos non intuliſſe, qui ſunt poſteri & aduerſi.* *Tertull. de præſcript. cap. 38.*

Quia verò Iunius ſciebat ſe nullum ſcire, qui huiuſmodi acceſſione monumenta veterum Patrum locupletare, vel potius deprauare ſtuduerit; ideò his corruptoribus haud grauatè ignoſcit, eos enim *nomina ſua ſine vllo dolo profeſſos eſſe,* dicit. Sed vbi illa profeſſio nominum? & *oſtendiſſe, ſe eſſe homines, & nihil humani alienum à ſe putare.* Atqui humanum non eſt, alienos libros deprauare, deprauare, inquam, non emendare vel expurgare, ſiue fiat immutatione, ſiue additione, ſiue detractione. Et vir bonus crimen falſi & plagij vel maximè abominatur. Quod ſi tu humanum vocas omne illud, quod homo audet, idque totum à te alienum non arbitraris, tùm non ſatis diſpicio, qualis homo ſis.

Eſt & alia ratio, qua Iunius iſtos excuſatos habet, *quia modeſtè paſſi ſunt alieni iudicii limam ex Canone diuini verbi ad ſua ſcripta adhiberi: non ferentes ſed ſubeuntes legem,* hoc eſt, vt paraphraſticè Iunianam mentem interpretando clariorem reddam; venia his danda eſt, quia poſt commiſſum crimen falſi, æquo animo tulerunt, vt tanquam falſarij reprehenderētur & caſtigarentur, vtq; centones ſcriptis Patrum malè aſſuti, reſcinderentur. Annon hæc egregia eſt falſatorum plagiariorum excuſatio & purgatio? ſatis certè idonea eſt pro commentitijs huiuſmodi deprauatoribus, qui nuſquā nati ſunt, niſi in cerebro Iuniano:

Liquet id ex Epiſtola quadam LVTHERI ad Spalatinum data ex Eremo, ſeu Pathmo Lutherana, poſt exuſtionem Iuris Canonici, vbi hæc Apoſtata. *Ionas ſcribit bonam ſpem de Decretalibus Papiſticis, tu vide, vt perficere ſpiritus* (Diabolus) *poſſit, tua opera vſus.* Spalatino nimirùm tanquam cuneo vtebatur in Aula Lutherus, eoque extrudebat, quidquid ad ſtomachum ſuum non faciebat. *Optimum foret*, inquit eodem loco, *vt vniuerſum Ius Pontificium prorſus excluderetur.* Optimum ſcilicet foret, ſed iudicio peſſimi.

Tom. 1. Epiſt. 237.

LIBER

LIBER SECVNDVS DE IVRE ET MORE PROHIBENDI, EXPVRGANDI ET ABOLENDI LIBROS HÆRETICOS & noxios aduerſus Franciſci Iunij, Miniſtri Caluiniani; aliorumq́; ſectariorum calumnias.

CAPVT I.

Refutatio quorundam conuiciorum Iunii in epiſtola dedicatoria.

LOs, qui libros Hæreticos, aut aliâs moribus detrimentoſos opprimũt, comparat Iunius *cum Ægyptiis, quippe qui, vt illi, Iſraelitarum fœtus quotidie contrucident*. Placeret collatio: ſi Iunius probaret, eos, qui perditos libros ſcribunt & euulgant, veros Iſraelitas eſſe: hoc eſt; homines ſine fraude & dolo; candidos, ſinceros, apertos. Ita enim verum Iſraelitam definiuit Dominus; cũ hæc de Nathanaele dicit: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus non eſt*: quaſi diceret; nec verè, nec verum Iſraelitam eſſe, in quo dolus inſit. *Quid eſt, in quo dolus non eſt?* quærit S. Auguſtinus. *Dolus fraus eſt, ſimulatio* Ioann.1. S. Aug. in cap.1. Ioan

 eſt,

eſt, quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus eſt, & tanquam duo corda habet: vnum quaſi ſinum cordis habet, vbi videt veritatem; & alterum ſinum, vbi concipit mendacium: & vti noueritis hunc eſſe dolum, dictum eſt in pſalmis; labia doloſa. Quid eſt labia doloſa? ſequitur; in corde, & corde locuti ſunt mala. Quid eſt in corde, & corde, niſi duplici corde?

Si ergò Iunius oſtenderit, in ſe, ſuisq; Caluiniſtis nullum latere dolum, tum veros Iſraelitas eſſe non diffitebor; ſed eadem opera, qua conabitur probare, Hæreticos non eſſe doloſos, monſtrare item poterit, vulpes non eſſe doloſas, quia Hæretici vulpes ſunt. Pulchrè Beda in illud Canticorum; *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*; *Vulpes, quæ demoliuntur vineas, Hæretici ſunt & ſchiſmatici, qui praua dente doctrinæ vineas Chriſti florentes, id eſt, rudes fidelium mentes, quantum lacerare ſoleant, vtinam neſciremus. Aptè autem vulpium natura moribus ac verbis conuenit Hæreticorum, quia nimirum valdè fraudulenta ſunt animalia, quæ in foſſis & ſpecubus abſconduntur: cumq; apparuerint, nunquam rectis itineribus, ſed tortuoſis anfractibus currunt.* Quæ quomodo congruant hæreticorum dolis ac fraudibus, facilè quisq; intelligit. *Cant. 2.*

Naz. orat. 2. de Theol. Bedæ adiungo S. Gregorium Nazianzenum, *cui etiam vulpes eſt verſuta quædam anima, fideque dubia prædita, ac pro temporum varietate alia atque alia, nouamque ſubinde, vt id rebus ſuis conducere arbitratur, formam aſſumens, quam mortua ac putrida corpora nutriunt.* Quibus verbis, quem alium, præterquam Hæreticum deſcribit? Sanctus Auguſtinus de vulpibus à Samſone cauda colligatis; & capite in diuerſa ruentibus: *Vulpes*, inquit, *inſidioſos, maximeque hæreticos ſignificant doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes, & decipientes, odore etiam tetro putentes. Iſtæ* *S. Aug. in Pſal. 80.*

vulpes

vulpes ſignificantur in Canticis Canticorum, vbi dicitur; capite nobis vulpes puſillas, exterminantes vineas, latentes in cauernis tortuoſis. Omnes Hæretici, ait S. Hieronymus, *propter fraudulentiam ac nequitiam, vulpium ſimiles ſũt, de quibus ſaluator loquitur: vulpes foueas habent. Etiamne aliud quiddam eſt maledicus aut maleuolus homo, quàm vulpes*, inquit Arrianus, *aut ſi quid ea eſt vel ignobilius vel contemptius?* Hier in ca. 3. Ezech. Matth. 8. Arrianus lib. 1. cap. 4

Ergo cum vulpes deſierint eſſe vulpes, doloſamque naturam exuerint; tum etiam Hæretici exuent fraudes vulpinas, & in Iſraelitas transformari poterunt. interea ſi propter dolos Iſraelitæ non ſunt, qua ratione, oro, *fœtus eorum*, hoc eſt, libri, ſunt fœtus Iſraelitarum? Et ſi trucidentur, quomodo fœtus *Iſraelitarum* trucidantur? Vulpes, non niſi vulpem parit, nec aliunde vulpes, quàm ex vulpe: & qui fœtum vulpis interficit, is vtique vulpem interficit, niſi fortè apud Iunium vulpes & fœtus vulpis non reciprocantur. vt ipſi Iſraelitæ ſimplices ſunt, veraces, omnis doli expertes, ita iiſdem notis inſigniuntur Iſraelitarum fœtus. Si ergo candidi & ſinceri Iſraelitæ eſtis, vnde fœtibus veſtris tantæ ſtrophæ, ſutelæ, technæ, & fraudulentæ impoſturæ? Ægyptiorum fœtus ſunt libri veſtri, hoc eſt, populi Deo aduerſi & reluctantis, non Iſraelitarum, hoc eſt, populi Deo chari, eiusq; maieſtati addicti.

Quanto verius diceres, eos, qui libros Hæreticos opprimunt, perimere ranas Ægyptiacas, has enim Hæreticorum & Ethnicorum Philoſophorum figurã geſſiſſe, docet D. Auguſtinus: *Habes*, inquit ſanctus ille præſul, *congruenter ſignatam Hæreticorum & Philoſophorum prauitatem, ſi conſideres ranarum loquacitatem. Philoſophi enim & Hæretici ranæ ſunt clamantes, in limoſis paludibus. Per ſuperbiam & inanes contentiones, ſtrepitum vocum habere poſſunt:* S. Auguſt. lib. de conuenien. 10. præcept.

doctri-

doctrinam veræ ſapientiæ inſinuare non poſſunt. Qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & in ſua vanitate decepti decipiunt, ranæ ſunt; tædium quidem afferentes auribus, nullis autem præbentes cibos mentibus. Si ergo Hæretici ſunt ranæ, igitur & libri Hæreticorum ranæ ſunt; quia etiam ranarum liberi ranæ ſunt.

CAPVT II.

De modo, quem ſancti Patres cum Hæreticis eorumq; libris tenuerunt.

INitio præfationis ad Lectorem mirificè exultat Iunius ob exemplar Indicis expurgatorii adeptũ. Nec minoribus lætitiis effertus incedit, quam ὄνος εἰς ἄχυρα παρὰ προσδοκίαν ἐμπεσών *aſinus præter ſpem & expectationem in paleas incidens.* Adſcribit hoc *ſingulari numinis prouidentiæ*, & maximam vtilitatem inde ad Eccleſiam redituram auguratur. In quo me propemodum ſuffragatorem habet; præſertim ſi loquatur de Eccleſia Dei, non de ſynagoga Caluini: Plurimi enim viſo illo Indice expunxerunt ex ſuſpectis auctoribus ea, quæ Index inducenda & reſecanda monet. Quod nunquam feciſſent, ſi Index ille à Iunio in lucem proditus non fuiſſet.

In more fuit poſitum, inquit Caluiniſta, *ſi quando priſca Eccleſia & orthodoxi Patres animaduerterunt, damnoſa dogmata, aut ſcripta in populum Dei irrepere, vt ea non clanculum, ſed palam, non fraude, ſed veritate; non arte, ſed virtute ſpiritus debellarent.* Nemo abnuit, Iuni; Modum hunc tenuerunt veteres Patres, à quo hodiernos Doctores receſſiſſe, quo argumento probas?

Non, inquis, *agebant violentis edictis.* At agebant edictis, non violentis illis quidem, ſed tamen efficaciſſimis tam

con-

contra Hæreticos, quàm contra Hæreticorum fœtus, quod planum ex tot edictis, quæ libro primo recenſuimus. Et ſicut vetera illa Edicta violentia carebant, quia æquitatis pleniſſima erant; ita & ea, quæ hodie in Hæreticos ſanciuntur, omnem violentiam procul habent: niſi tu æquitatem & debitam ſeueritatem in violentiæ claſſem violenter coniicias. Agebant ergò antiqui Patres interdictis tam Eccleſiaſticis, quàm politicis, quæ ab Imperatoribus & Magiſtratibus exorabant. Nec ſolùm interdictis rem agebant, verùm etiam *æqua communicatione*, ſermonibus, diſputationibus, ſcriptis deniq; ſi nullus eſſet communicationis fructus. Declarant iſtud veterum conciliorum acta, & patrum ſcripta luculentiſſimè. An non cum Hæreticis huius temporis eadem ſeruatur ratio? Et vt patres nunquam puduit Porphyrii, Celſi, Iuliani, Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum aliorumq; verba, diſputationes, ſcripta, referre in libros ſuos, & veritatē Dei cum mendacio illorum comparare, piorūq; omnium oculis ſine fuco & fallaciis exponere, ita Doctores, qui hodie in acie pro domo Dei ſtant, non pudet dicta & ſcripta Lutheri, Caluini, Lutheranorum, & Caluiniſtarum, libris ſuis intexere, & veritatem doctrinæ Catholicæ cum vanitate Hæreticorum dogmatum conferre, quo orthodoxorum pietas confirmetur, & ſectariorum nugacitas reuincatur.

Præterea, vt patres interdum prius priuatim, poſtea verò irrita priuata monitione & inſtructione, ſcriptis publicis, cum Hæreticis egerunt: ita eorundem veſtigiis inſtiterunt Doctores huius æui; etſi, vt veteres patres, ita & noſtri Doctores quotidiano vſu diſcunt, priuata monitione cum Hæreticis, hominibus plerunq; cerebroſis & peruicacibus, parum proſici, quippe in *reprobum ſenſum* ab-

iectis: vt Vlyſſes apud Plutarchum inanem operam ſumpſit, cum Grillo perſuadere conaretur, melius eſſe, vt quis ſit homo, quàm beſtia; ita plerunq; operam perdit, qui hęreſeos repertoribus perſuadere contendit, melius eſſe, vt quis ſit Catholicus, quàm Hæreticus. Si tamen ſpes vlla correctionis, per priuatam monitionē affulgeat, minimè
Matth. 18. negligitur via, quā Chriſtus imperauit, natura docet, charitas poſtulat, ordo Eccleſiæ exhibet, & Apoſtoli ſanctiſſimè perſecuti ſunt. Quæ verò illa via? *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Hæc via, quam corripiendi proximi præſcripſit Dominus: Sed ea lege, ſi credatur profutura: nam ſi ſcias, aut probabiliter ſuſpiceris te primo & ſecundo modo nullum operæ pretium facturum, ob pertinaciam & improbitatem alterius, illicitum non eſt ab hoc ordine abire, & peccantem publicè obiurgare: Ita fecit S. Paulus cum Elyma Mago, inſigni impoſtore, quem prædicationi diuini
Act. 13. verbi reſiſtentem his verbis adortus eſt. *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas.* In hunc modum palàm, Prædicantem iſtum & Caluinianum miniſtrum Elymam allocutus eſt S. Paulus. Similia exempla paſſim occurrunt in ſacris litteris.

Non ignorabant Patres: inquit Iunius, *aliter fora agere in cauſis ciuilibus, aliter Eccleſias in ſpiritali diuinoque argumento.* Neq; nos hoc ignoramus, Iunij; Quis enim neſcit forum ciuile & Eccleſiaſticum differre, etſi non eo diſcrimine, quod tu aſſignas; *quod illic ratio præſit, hic fides*, nam &

in foro Eccleſiæ oportet, vt adſit ratio. Qualis enim iudex erit, qui ſine ratione iudicabit? Et quamuis fides ſit ſupra rationem, non eſt tamen contra rationem. Nec in foro ciuili tantum loci eſt nudæ & ſoli rationi, vt fides excludatur: Nam Chriſtiani res ſuas non ſolent humanis duntaxat, ſed & cœleſtibus momentis ponderare.

At Petrus & Paulus negant ſe in fidem habere dominatum? Rectè, quia vt cordium, ita & fidei ſolus Deus eſt Dominus. Deinde, *dominatum* non habent, vt hominem extra Eccleſiæ ſepta perpetuò euagatum, nolentemque rebus fidei aſſenſum præbere, cogere poſſint ad fidem, quia Eccleſia nihil iuris in illos habet. Apoſtatas autem & fidei deſertores ad officium compellere queunt Eccleſiaſtici prælati, quia fœdifragi ſunt & Legirupæ. *Mali ſunt prohibendi à malo, & cogendi ad bonum*, ait S. Auguſt. Et mirum profectò eſſet, ſi tantum iure non poſſet magiſtratus Eccleſiaſticus, quantum ſibi ſumma iniuria Caluiniani, aliiq; Nouatores arrogant, qui non modò minis, ſed & tormentis immaniſſimis, & edictis plus quàm Tyrannicis, homines ad ſuam perfidiam adigunt. *Cur non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filii coegerunt alios, vt perirent?* inquit S. Auguſtinus.

S. Auguſt. Epiſt. 52. ad Maced.

S. Auguſt. lib. 22. con. Fauſt. c. 79

Sed reuertamur ad Patres, hodiernumq; Doctorum Eccleſiæ Catholicæ morem iiſdem conſentaneum eſſe demonſtremus. *Nam in Patribus id parui non ducimus eſſe faciendum*, ait Iunius, *quod cum fidem Dei oſtenderent, humanisq; cōmentis opponerent: probabant ſuam; freti enim veritate promiſſionum Dei, faciebant id, quod honeſtum eſt: quando honeſtè & ex ordine ſermones aduerſariorum ita refellebant, vt ferrent; & ita ferebant, vt refellerent, quod probè in veritate eſſent inſtituti, ſeque legendis aſſiduè litteris ſacris in timore Dei exercerent.* Ne-

mata in ipſum contextum intruſa, non adeò laborioſum fuerit demonſtrare.

Cùm omnis interpolatio poſterior credenda ſit, ait Tertullianus, *veniens vtique ex cauſſa æmulationis, quæ neque prior, neque domeſtica eſt eius vnquam quod æmulatur, tam incredibile eſt ſapienti cuique, vt nos adulterum ſtylum intuliſſe videamur ſcripturis, qui ſumus à principio & primi, quàm illos non intuliſſe, qui ſunt poſteri & aduerſi.* Tertull. de præſcript. cap. 38.

Quia verò Iunius ſciebat ſe nullum ſcire, qui huiusmodi acceſſione monumenta veterum Patrum locupletare, vel potius deprauare ſtuduerit; ideò his corruptoribus haud grauatè ignoſcit, eos enim *nomina ſua ſine vllo dolo profeſſos eſſe*, dicit. Sed vbi illa profeſſio nominum? *& oſtendiſſe, ſe eſſe homines, & nihil humani alienùm à ſe putare*. Atqui humanum non eſt, alienos libros deprauare, deprauare, inquam, non emendare vel expurgare, ſiue fiat immutatione, ſiue additione, ſiue detractione. Et vir bonus crimen falſi & plagij vel maximè abominatur. Quod ſi *tu* humanum vocas omne illud, quod homo audet, idque totum à te alienum non arbitraris, tùm non ſatis diſpicio, qualis homo ſis.

Eſt & alia ratio, qua Iunius iſtos excuſatos habet, *quia modeſtè paſſi ſunt alieni iudicii limam ex Canone diuini verbi ad ſua ſcripta adhiberi: non ferentes ſed ſubeuntes legem*, hoc eſt, vt paraphraſticè Iunianam mentem interpretando clariorem reddam; venia his danda eſt, quia poſt commiſſum crimen falſi, æquo animo tulerunt, vt tanquam falſarij reprehenderētur & caſtigarentur, vtq; centones ſcriptis Patrum malè aſſuti, reſcinderentur. Annon hæc egregia eſt falſatorum plagiariorum excuſatio & purgatio? ſatis certè idonea eſt pro commentitijs huiuſmodi deprauatoribus, qui nuſquā nati ſunt, niſi in cerebro Iuniano:

 aut

aut ſi aliquando exſtiterunt, Hæretici non Catholici fue-
runt, vt poſtea planum fiet.

Videamus iam alterum genus falſariorum, & ſunt iſti
ex ſententia IVNII; *qui ſuppreßis ſuis nominibus in illa Pa-*
trum orthodoxorum ſcripta commentationes ſuas intulerunt, & ita
intermiſcuerunt, vt ſi ex limpida hominum ſanctorum aqua cinnũ
ſiue κυκεῶνα, *ex arido & ſimplici cibo, ſaturam, ex pura toga Ba-*
bylonicam, ſoli illi Magiſtri artificesq́; ſcilicet, facere didiciſſent.
At cedo, qui iſti, qui commentationes ſuas cum Patrum
ſcriptis, ita vt dicis, miſcuerunt? Aut nullos nominabis,
aut Hæreticos nominabis, quibus inſitum falſare, propter
falſam, quam ſectantur, fidem: quos meritò vocas *ineptum*
hominum genus, ſimplicitatẽ fugiens, & fugans veritatem. Recte
imò ὑπέρευ, nam veritatem quomodo adiuuent, qui in ipſa
librorum fronte ementiuntur atq́; oppugnant veritatem?
Quo hæreticis nihil eſt familiariùs.

Cæterùm vt Iunius, ex veteri verbo, *benè diſtinguendo,*
benè etiam doceat, hos corruptores in duo genera partitur:
nã alii, inq̃t, *fecerunt imprudentes, alii certo conſilio & conſcientia.*
Imprudentes eos feciſſe dicimus, qui alienam mentem pro germana,
adulterinam pro iuſta: falſam pro vera accipientes: auctoribus
non ſuis eam tribuerunt, ſiue ad marginem librorum notas adie-
cerint, ſiue gloſſemata interiecerint, ſiue iuſtos libros contulerint.
Alii enim ſuas notas & gloſſemata aut iuuandæ memoriæ ſuæ, aut il-
luſtrandi Auctoris cauſſa adſcripſerant: à cuius mente per imperi-
tiam aberrabant: alii per manum accepta, vt ab auctore facta, &
auctoris ſui propria καὶ γνήσια *non à lectore aut librario infarcta*
tenuerunt: alii deniq; libellos nothos, quamuis ὑποχάλκυς *operis*
iudicio ſuo, aut aliqua occaſione, citra iudicium rationemque, ſanctis
illis Patribus adſignarunt. Ita ſolent iſti Critici: Quidquid
apud Patres legunt, quod minus arrideat, id nimirum, ex
ora libri irrepſit in ipſam verborum ſeriem, hocque tam

confidenter affirmant; quaſi ipſi adfuerint, quando gloſſema illud irrepſit, aut ab aliquo impoſtore intruſum eſt.

Non nego tam in ſacros, quàm in profanos Auctores huiuſmodi additamenta ſeſe inſinuare potuiſſe, at quod omne illud aſſumentum extraneum ſit, quod Lutheranis & Caluinianis Naſonibus gratum odorem non ſpirat; id nemo mihi perſuaſerit. Quid enim hac licentia Critica inducti Centuriatores & alij Nouatores, non inducunt in veterum Patrum ſcriptis, quæ tam certum eſt foris non aduenisse: quàm certum eſt, præfationem, quam refellimus à Iunio conſcriptam & publicatam eſſe: & tamen iſti ſtatim gloſſema odorantur; & *partum ſuppoſititium* ingeminant; non alia de cauſſa, quàm quia ſuis dogmatis non ſatis concinere vident.

Iam verò improbus fuerit, quisquis librum integrũ Patris alicuius nomine prænotatum euulget, vt lector deceptus credat ſe euoluere ſanctum Patrem: cùm euoluat impoſtorem. Scio Patrum nominibus circumferri nonnulla, quæ ex illorum, quorum nomina præferunt, officina nunquam prodierunt. Sed ſi non ſunt eorum Patrum quorum nomina præſcripta ferunt: at ſunt interdum aliorum virtute & doctrina præſtantium virorum: qui initio opera illa non elucubrarunt, vt alieno nomine venditarentur: Sed quia vel nullum nomen addiderant: vel ſi addiderant, temporis longinquitate exciderat: hinc factum eſt, vt poſterioribus ſæculis, adſcriberentur interdum Auctoribus non ſuis, ſed alienis, ſine vlla culpa, nam hoc in omni genere litterarum vſuvenit. Quot enim libri præferunt, & olim prætulerunt nomen Ariſtotelis, Platonis & aliorum innumerabilium, qui tamen nullius horum erant? Fit hoc temporis diuturnitate, quæ obli-

obliuionem inducit, & clariſſima etiam opera tenebris quaſi ſepelit, donec iterum tandem in lucem aſſerantur, quod iam maximè fit & factum eſt, ope & beneficio artis typographicæ, & induſtria eruditorum hominum.

Quocirca multa monumenta, quæ antea alienis nominibus circumferebantur, nunc parentibus ſuis reddita conſpicimus. Multa legebantur nomine ſancti Auguſtini, aut ſancti Hieronymi, quæ erant Bedæ aut Fulgentij, quæ Bedæ iam & Fulgentio reſtituta ſunt ab eruditis, poſtquā antiquitatis memoriam accuratiùs exeuſſiſſent. At quis auſit dicere, viros ſanctiſſimos Bedam & Fulgentium, nomen auguſtiſſimum ſancti Auguſtini, aut ſancti Hieronymi operibus ſuis præſcripſiſſe: vt tantis nominibus opera facerent vendibiliora? aut quis credat illos, vt id quandoque fieret, exoptaſſe? Attamen accidit, ſed nullius culpa. Nam cùm ſæpe librarij incidiſſent in codices Auctoris nomine deſtitutos, bona fide, nec vanis interdum coniecturis adducti, crediderunt, opera illorum eſſe, quorum non erant. Qua de cauſſa gratiæ habendæ ſunt doctis viris huius æui, qui pro ſua induſtria & eruditione multa in integrū reſtituerunt, & ſi quid labis aſperſum fuerat, deterſerunt.

Etſi neq; ſuperiorū temporum ea fuit vel incuria vel oſcitantia, vt quod calumniatur Iunius, *Cypriani, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii & aliorum opera partim ſemiſſe, partim dodrante augerent*: niſi fortè iudicio Eraſmi & ſimiliū cenſorum: qui ea opera negant eſſe Auguſtini, vt de hoc duntaxat loquar, quæ ipſe ſanctus Auguſtinus ait eſſe ſua; & ſi non ipſe Auguſtinus, attamen Auguſtini diſcipulus, Poſſidius. Iſti nihilominus longè melius ſciunt, quidnam Auguſtinus ſcripſerit, quàm ipſe Auguſtinus, aut familiaris eius *Poſſidius*, ſeu vt alij appellant, *Poſſidonius*. Quorum

rum accuratiſſima criſis ſemiſſem propemodum operum ſancto Auguſtino per ſummam iniuriam detraxiſſet, niſi viri docti cauſſam S. Auguſtini contra tam peritos Criticos defendendam ſuſcepiſſent. Hactenus de iſtis.

Nunc inuehitur Iunius in illos, *qui ſanctorum Patrum ſcripta, pro auctoritate iudicioque ſuo, aut aliorum ſententia contrectant. Qui voces, membra, ſententias, paginas, cùm viſum eſt, addunt, detrahunt, mutant, ſurrogant, Patres deniq. fingunt & refingunt arbitratu ſuo.* At quinam iſti? vno verbo Hæretici, antiqui & noui: planũ id fiet poſtea, non vno allato exemplo: nam quod hic adfert Iunius de corrupto à Franciſcanis S. Ambroſio in editione Lugdunenſi, Anno Domini, M. D. L I X. fabula eſt Caluiniſtica: Dicat enim Iunius, quidnam verè Ambroſianum in illa editione ſit per fraudem omiſſum, aut mutatum in deterius. Nominet librum caput, paginam, periodum ſeu periodos. Fuit alibi itidem ſanctus Ambroſius typis deſcriptus, conferamus editiones vel priores vel poſteriores cum illa Lugdunenſi, videamus, num Iunius, an Franciſcani fraudulẽter egerint. Niſi fallor, fraus omnis in Iunio reſidebit, qui ne deprehenderetur, ſatis habuit dicere, à Franciſcanis Ambroſiana quędam exciſa, ſubſtitutis in eorum locum non Ambroſianis.

At confirmauit hoc Iunio Typographi famulus, qui operarum mendas emaculabat. Grauis auctoritas. Et cui fortè, quid Ambroſianum eſſet, tam notum erat, quàm notum eſt ſurdis, quid ſit ſonus cœcisque, quid color. Et fortè plenus Caluino, quo & Iunius tum prægnans erat, parum beneuolum animum in Franciſcanos habebat. Veruntamen vtut ſit, cupio, vt Iunius librum & locum diui Ambroſij à Franciſcanis mutilatum nominet: ſi fecerit, fraudemque tantam ipſis tabulis conuicerit,

manus dabo. Interea herbam colligam, quam victori porrigam. De impudentia eorum, qui Illuſtriſſimo Principi PALATINO perſuaſerunt, Iunium, Ieſuitas corrupti Ambroſiani operis inſimulare; abundè iam dictum eſt libro primo. Nunc dimiſſo pauliſper Iunio, alia, ab argumento tamen noſtro non aliena pertractemus.

CAPVT IV.

De Cauſsis, cur libri falſis inſcriptionibus aliquando prænotentur.

Sixt. lib. 4. Biblioth.

ALIQVOT huius rei cauſſas reddidit SIXTVS SENENSIS, quas & ego paucis percenſebo, licet iam capite ſuperiore nonnullas attigerimus. Cauſſæ falſarum inſcriptionum generatim duæ ſunt: Altera, ab ipſis operum Auctoribus: Altera à Lectoribus, vel librarijs & exſcriptoribus: & vtrarumque aliæ ſunt honeſtæ & laudandæ, aliæ turpes & vituperandæ.

Inter cauſſas honeſtas, quæ ab Auctoribus proficiſcuntur, prima eſt, modeſtiæ & Chriſtianæ ſubmiſſionis ſtudium, quo adducti, nomen ſuum operi non præſcribunt, ne famæ aliquid ſibi comparent, cùm gloriæ humanæ contemptu magis delectentur, quàm adeptione, curáue adipiſcendi. Hac cauſſa impulſus Saluianus Preſbyter Maſſilienſis, libris ſuis ad vniuerſam Eccleſiam TIMOTHEI nomen præfixit, ſuppreſſo ſuo, cuius rationem cùm Salonius Epiſcopus poſtulaſſet, his verbis reſpondit: *Cur in titulo libellorum non ſit nomen Auctoris, licet vna ſit cauſſa maxima, multæ tamen, vt reor, eſſe potuerunt. Ac prima illa, veniens à mandato DEI, quo præcipimur vitare*

omnibus

omnibus modis terreſtris gloriæ vanitatem, ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmium cæleſte perdamus. Ex quo etiam illud eſt, quod & orare Deus & donare occultè iubens, vult nos fructum boni operis commendare ſecretò, quia nulla ſit maior fidei deuotio, quàm quæ conſcientiam vitat hominum, DEO teſte contenta. Neſciat enim, inquit S A L V A T O R, *manus tua ſiniſtra, quid faciat dextera tua, & Pater tuus, qui videt in abſconſo, reddet tibi. Et ideò Scriptori illi, ad ſubtrahendum ei titulo nomen ſuum, atque celandum, ſufficere hæc tantummodo cauſſa potuit, vt quod in honorem ſui* D O M I N I *fecerat, diuinæ tantùm ſcientiæ reſeruaret, & res commendabilior Deo fieret, quæ famam publicam deuitaſſet.*

Eadem de cauſſa ſilentio nomen ſuum inuoluit Auctor libri, de Operibus Cardinalibus C H R I S T I; nam cùm dixiſſet; Alios præponere nomen ſuum libris, vt gloriam ſibi comparent: ſubiungit: *Ego quidem nec à me ipſo, neque ab alio quæro nomen, neque aliquid me exiſtimo eſſe, cùm nihil ſim.* *Inter oper. S. Cyprian.*

S E C V N D A C A V S A ab eodem Saluiano in hunc modum redditur. *Præcipuum fuit, quia Scriptor ille, vt legimus, humilis eſt in oculis ſuis, ac vilis ſibi, exiguum ſe penitùs atque vltimum putans. Et hoc, quod maius eſt, mira fide, non officio humilitatis adſumpta, ſed iudicii ſimplicis veritate. Vnde eſt, quòd iure ſe etiam ab aliis talem habendum putans, qualis à ſemetipſo haberetur, rectè libellis ſuis alienum nomen inſeruit, ſcilicet ne auctoritatem ſalubribus ſcriptis perſonæ ſuæ paruitas derogaret: omnia enim admodum dicta tanti exiſtimantur, quantus eſt ipſe, qui dixit, ſiquidem tam imbecilla ſunt iudicia huius temporis, ac penè tam nulla, vt hi qui legunt, non tam conſiderent,*

quid legant, quàm cuius legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem. Idcircò igitur Scriptor ille abſcondi, & latitare omnibus modis voluit, ne ſcripta, quæ in ſe plurimum habent ſalubritatis, minora forſitan fierent per nomen Auctoris.

Eandem cauſſam attigit Auctor operis de Operibus Cardinalibus: *Si quid aliquando ſcribimus, indignum titulo iudicamus: ne fortè nobilis materia, cuius explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potius, quàm ornatam noſtra præſumptione queratur.* Hæc ille. Quas nominis proprij omiſſiones, vt & ſequentes, voco *honeſtas*, quando iuſtæ & probabiles cauſſæ ita faciendi ſuppetunt, vt certè ſuppetere queunt: & niſi lex Eccleſiaſtica iubeat, vt hoc æuo iubet, nomen Auctoris exprimi, tunc enim potior ratio habenda eſt obſequij præſtandi, quàm humilitatis exercendæ: nec honeſtum cenſeri deberet, quod cum neglectu & contemptu Eccleſiaſtici præcepti coniunctum eſſet. Quamuis negandum non ſit, eas temporis & perſonarum conditiones & circumſtantias concurrere poſſe, vt lex illa de apponendo nomine non obliget, locuſq; ſit τῇ ἐπιεικείᾳ legum humanarum interpreti.

T e r t i a cauſſa ex honeſtis eſt, variorum iudiciorũ quæ neceſſariò ſubeunda ſunt, metus. Quocirca, liberè vt iudicia lectorum excipere valeant, non ſe produnt, ſed cum Apelle, quaſi poſt velum latitant, & quid vnuſquiſque probet, quidue improbet, auſcultant, magno interdum commodo. Fieri enim non poteſt, quin quis, ex tanta Cenſorum multitudine, aliquid opportunè ſuggerat, aut deſideret, quod addi, demi, immutariue & poſſit & debeat. Hoc fine noluit ſanctus G r e g o r i v s N a z i a n z e n v s ſciri, ſe eſſe Au-

ctorem

ctorem libri de fide, quem Ruffinus in latinum ſermonem conuertit: cum enim lucubrationem illam ad amicum quędam miſiſſet, magnopere ab eodem petiit, *vt interim diſſimulato auctore doctis & prudentibus viris legeret: vt ſi quem moniſſet, quod illic plus aut minus poſitum videretur, poſſet plurimorum conſilio emendari: nemo eſt enim,* inquit S. Gregorius, *qui ſibi tam arroganter ſummam doctrinæ cæleſtis aſſumat, vt putet ſe liquidò omnia myſteria comprehenſa retinere.* *Exſtat inter opera Nazianz.*

Quarta cauſſa nominis diſſimulandi, eſt vtilitas eorum, à quibus ſua legi cupiunt: ſæpe enim ipſum nomen Auctoris abſterret nonnullos, ne librum ſibi alioquin vtiliſſimum futurum, euoluant, eò quòd auctor illis ſit inuiſus: Ergo ne ob nomen priuentur neceſſario fructu; non abs re ſubticent ſcriptores, qui qualéſue ſint, vt aditum ad aures & mentem iſtorum ſibi patefaciant. Hac ratione permotus non præpoſuit nomen ſuum Apoſtolus Paulus Epiſtolæ, quam dedit ad Hebræos: cum cæteris Epiſtolis nomen ſuum, primo ſtatim limine, præfigere ſoleat. *Quia Paulus ſcribebat ad Hebraos;* inquit S. Hieronymus: *& propter inuidiam ſui apud eos nominis, titulum ſalutationis in principio amputauit.* *S. Hier. in catalogo.*

Quinta cauſſa omittendi proprii nominis poteſt & ſolet interdum eſſe hæc, vt quis vitet odia & pericula fortunarum, eſt cum & vitæ; Quod ſit, cum ſcribitur aduerſus illos, quibus non modò reſcribendi, ſed & proſcribendi & trucidandi vires ſuppetunt.

Aliquando diſſimulatur nomen, & hæc ſit ſexta cauſſa, quia rudibus ſcribitur, rudi itidem Minerua, & craſſiore filo, appoſitè ſcilicet ad captum imperitorum: nam viri docti ſuas non rarò cauſſas habent, cur paſſim conſtare nolint, quòd talia opera ex ſua officina proceſſerint. Etſi laudabilius arbitror nomen profiteri; quem enim pudeat,

licet doctiſſimum & diſertiſſimum, ad ingenia rudis ætatis vel vulgi deſcendere: poſtquam videt ipſum ſanctum Auguſtinum, rudes catechizaſſe, & de *catechizandis rudibus* librum ſub illuſtriſſimo ſuo nomine publicaſſe. Auguſtinum, inquam, *cuius fuit iudicium acre*, inquit Caluinianus Toocker, *cognitio ſumma, induſtria incredibilis, ingenium propè ad miraculum ſubtile & acutum in noſcendis & internoſcendis mirabilium effectionum & euentis & naturis.*

Toock. lib. charum. cap. 4.

Ergo cum his alijsque cauſſis Auctores permoti nomen non apponunt, facilè deinceps fit, vt à librarijs vel exſcriptoribus bona fide anonymum librum huius vel illius Scriptoris eſſe opinantibus, adijciatur nomen non verum; vt taceam, nomina interdum ab Auctoribus addita, temporis ſucceſſione, caſu aliquo excidiſſe, aut in tranſcriptione exemplarium prætærita eſſe. Quare eis, qui poſtero tempore in huiuſmodi exemplaria incidebant, diuinandum erat, quis operis Auctor eſſet; in qua diuinatione, ſi quando labebantur, & à vero aberrabant, quid mirum? Quis enim vnquam ſcopum perpetuò attigit? coniectura non eſſet coniectura, ſi ſemper certa, fallique & fallere neſcia eſſet.

Sæpe etiam eadem Auctorum nomina, & argumenti, quod tractabant, ſimilitudo, & ſtyli conuenientia, vel conuenientia eorum, ad quos ſcribebant, falſis inſcriptionibus cauſſam præbuerunt. Putat Sixtus Senenſis, Rufinum homonymiâ deceptum, ſententias Xiſti Pythagorici inſcripſiſſe Xiſto Pontifici: quamuis S. Hieronymus factum hoc fraudi, non errori videatur adſcribere. Simili nominum conuenientia deluſi quidam nonnulla Thomæ Anglici opera, S. Thomæ Doctoris Angelici nomine prænotarunt. Et vita S. Ambroſij vulgò creditur à S. Paulino Epiſcopo Nolano conſcripta, cùm ſcripta fuerit ab

S. Hieron. contr. Ruf.

rit ab alio quodam *Paulino*. Nec opus pluribus, nam infinita huius generis exempla occurrunt. Neque inficiamur fraudem & impoſturam aliquando interueniſſe: verùm hanc propriam eſſe Hæreticorum, ſequenti capite planum faciemus.

Nec excuſamus librariorum incuriam & oſcitantiam, ex qua interdum naſcuntur non paucę deprauationes, cuius non ignarus vetuſtiſſimus Martyr Irenæus ſub finē libri de Ogdoade grauiſſimis verbis, vt eſt apud Euſebium, librarios & exſcriptores obteſtatus eſt, vel potius adiurauit, vt debita cum diligentia ſuo munere fungerentur. *Te qui hunc librum tranſcripſeris, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per glorioſum aduentum illius, cùm ſit ad viuos & mortuos iudicandos venturus, adiuro, vt ſtudioſè conferas, quod tranſcripſeris, & accuratè ad exemplar, vnde tranſcripſeris, emendes, & Sacramentum iſtud, quo te obligauerim, ſimiliter deſcriptum in exemplar inſcribas. Atque iſta ſanè commodè & vtiliter cùm ab illo dicta ſunt*, inquit Euſebius, *tùm à nobis narrata, vt veteres illos, & verè pios viros, tanquam exemplum accuratiſſimæ in deſcribendis libris diligentiæ, nobis ad imitandum proponamus.* *Euſeb. lib. 5. cap. 19.*

Ab eadem deprauatione oſcitantium librariorum, vt & à manifeſta Plagiariorum fraude & impoſtura, libro Apocalypſeos cauere voluit S. Ioannes hac obteſtatione & comminatione ad finem libri adiecta. *Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiæ libri huius; Si quis appoſuerit ad hæc, apponet DEVS ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta.* *Apoc. 22*

CAP.

CAPVT V.

Hæreticorum proprium eſſe libros non bona fide tractare.

QVo docebimus. I. Proprium Hæreticorum eſſe libros abs ſe fictos magnorum virorum nominibus falsò inſignire, ſuaq; commenta ſpecioſis præſtantium Doctorum titulis decorare. II. Libros orthodoxorum patrum addendo aut demendo, corrumpere.

Iſidor. li. 3. Sent. c. 12. Vtrunq; Hæreticorum morem indicat Iſidorus his verbis. *Plerunq; ſub nomine Catholicorum doctorum hæretici ſua dicta conſcribunt, vt indubitanter lecta credantur. Nonnunquam etiam blaſphemias ſuas latenti dolo in libris noſtrorum Doctorum inſerunt, doctrinamque veram adulterando corrumpunt, ſcilicet vel adiiciendo, quæ impia ſunt; vel auferendo, quæ pia ſunt.*

Et cauſſas habent, cur monumenta Patrum deprauēt, doctrinam videlicet ſuam, toto cœlo à doctrina ſanctorū Patrum diſcrepantem. *Illic igitur & ſcripturarum & expoſitionum adulteratio deputanda eſt*, inquit Tertullianus, *Tertull. de præſcript.* *vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent hæreſin. Sicut illis nō potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinæ ſine corruptela inſtrumentorum eius: Ita & nobis integritas doctrinæ non competiſſet ſine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in noſtris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei & in ſcripturis (Patrum) deprehenſum detractione vel adiectione vel transmutatione remediaremus? Quod ſumus, hoc ſunt* (Patres) *Ab initio ſuo ex illis ſumus, antequam nihil aliter fuit, quàm ſumus.*

Sed vt ad inſtitutum regrediamur, primùm ex duobus paulò ante propoſitis, liquidò nobis probant tot libri

Apo-

Apocryphi olim circumlati; nam vt libro primo ex Clemente Romano dicebamus, Simon Magus & Cleobius aliiq; Hæretici libros ſub Chriſti & diſcipulorum eius nomine ediderunt. ſed in ſpecie de ſingulis dicamus. Sub Chriſti nomine finxerunt ſeu Hæretici ſeu Ethnici librũ de Magia ad Petrum & *P*aulum, de quo ſanctus Auguſtinus.

S. Auguſt. lib. 1. de cõſenſ. Euan. c. 9. 10.

Petri nomine, inquit S. Hieronymus, *feruntur quinq; libri; quorum primus Actuum Petri inſcribitur; alius, Petri Euangelium; Tertius, Prædicationes Petri; Quartus, Apocalypſis; Quintus, liber iudicii.* Enumerat eoſdem libros Euſebius præter vltimum, & Clemens Alexandrinus ex tertio & quarto aliqua fragmenta recitat.

Hieron. in Catalogo ſcript. Euſeb. li. 3. hiſt. cap. 3. Clem. lib. 3 Strom.

Nomine Pauli prodierunt ex *H*æreticorum officina Euangelium Pauli, Apocalypſis, Reuelationes, Aſcenſus ad tertium cœlum: Actus *P*auli, quaſi ab ipſo Paulo conſcripti: Tertia Epiſtola ad Corinthios: Tertia ad Theſſalonicenſes: Et alia ad Laodicenſes.

Vide Gela. C. Sancta Romana d. 15. Sozom. li. 7 cap. 19. Orig. in Ioan. Tom. 27.

Nec aliorum Apoſtolorum nominibus pepercerunt Hæretici. Hinc Ioanni affinxerunt Apocalypſin, non illam diuinam totius Eccleſiæ orthodoxæ iudicio comprobatam, ſed aliam quandam ſpuriam, in officina Cerinthi natam; Eiuſdem nomine vulgarunt libellum de trãſitu Virginis. Et ne alii indonati abirent, Andreæ, Thomæ, Iacobo Alphæi, Bartholomæo, Philippo, Thaddæo, Matthiæ, Barnabæ; & quod mireris, etiã Marthæ aſſignarunt Euangelia; ſuum cuiq; proprium & ab aliis diſtinctum: vt taceam Euangelium Ægyptiorum; nomine Marci, vt putat Baronius, confictum. Ne verò parum liberales eſſent, Thomæ Apoſtolo adiecerunt inſuper quandam Apocalypſin: & ſub Matthæi nomine vulgarunt libellum de infantia Saluatoris; quorum omnium locupletes habemus

Vide de his Baron. Tom. 1. Annal. an Chriſt. 44. teſtes Gelaſium, Auguſtinum, Athanaſium, Irenæum, Epiphanium, Origenem, Euſebium, Clementem Alexandrinum, & Innocentium primum hoc nomine Pontificẽ.

Sed nihil magis mirandum, quàm quòd Iudam quoq; proditorem in Euangeliſtam transformarunt, attributo ei proprio Euangelio, vt docent S. Epiphanius & Theodoretus, digni profecto tali Euangeliſta diſcipuli. Epiphan. Hær. 38. Theod. l. 1. Hæret. fab

Nec ſingulis duntaxat Apoſtolis ſua pſeudo Euangelia affinxerunt *pictores iſti fabularum*; vt à S. Auguſtino appellantur: ſed & vniuerſorum Apoſtolorum nomina generatim commentitiis operibus appoſuerunt. Hinc liber cui titulus: *Doctrina Apoſtolorum*. Alius; cui: *Sortes Apoſtolorum*: Alius; cui, *Laus Apoſtolorum*; Commenta vaniſſima Cerinthianorum, Ebionitarum, Valentinianorũ, Manichæorum, Gnoſticorum, à quibus prodiit quoq; liber de Stirpe Mariæ, immaniſſimis mendaciis vbiq; abundans, vt ſcribit S. Epiphanius. S. Epipha. Hær. 26.

S. Leo Ser. 4. de Epiph. De huiuſmodi libris hæc S. Leo. *Apoſtolicas paginas quædam auferendo, quædam inferendo violarunt Manichæi ipſi, confingentes ſibi ſub Apoſtolorum nominibus, & ſub verbis ſaluatoris ipſius multa volumina falſitatis.* Alibi idem Pontifex. S. Leo Epi. 93. cap. 15. *Apocryphæ ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm interdicendæ, ſed etiam penitus auferendæ ſunt, atq; ignibus concremandæ.*

Confinxerunt iidem Hæretici de Apoſtolis, viriſq; Apoſtolicis hiſtorias planè commentitias, & à fabulis nihil diſcrepãtes, iiſq; rebus refertas, de quibus Apoſtoli nunquam cogitarant, quas Hiſtorias *Acta* ſeu *Actus* nominabant. *Hinc Actus Andreæ; Actus Thomæ; Actus Philippi; Actus ſeu Circuitus Pauli & Theclæ*: de quibus omnibus Gelaſius: *Circuitus Ioannis*; de quo S. Athanaſius. *Circuitus ſeu Itinerarium Petri*: quod probabile, primùm à Clemente Romano, S. Atha. in Synopſi.

cuius

cuius nomen præfert, conſcriptum; poſtea ab Hæreticis deprauatum eſſe, præſertim ab Ebionitis, de quibus hoc teſtatur S. Epiphanius: ſicut & Acta Andreæ à Manichæis corrupta ſunt, additis & detractis non paucis: vt ſcribit Philaſtrius, ita vt duplices impoſtores dici poſſint, dum quædam acta de ſuo pectore comminiſcuntur, quædam vera & genuina, & à probæ notæ auctoribus profecta, per additionem & detractionem deprauant, & detruncant. S. Epipha. Hær.30. Philaſt. de Hæreſ.c.89.

In vtroque genere mirifice excelluit Leucius Manichæus, quem Gelaſius *diſcipulum Diaboli* nominat; Item Nexocharides & Leonides Philoſophi, de quibus Innocentius primus, Pontifex. *Cætera quæ ſub nomine Matthiæ ſiue Iacobi Minoris, vel ſub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leutio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide,* ſeu vt alii, *H*exocaride, *& Leonide Philoſophis, & ſub nõine Thomæ; & ſi quæ ſunt alia, non ſolùm repudianda, verùm etiam nouerìs eſſe damnanda.* Nec plura de impoſtoribus, qui ſua commenta ſpecioſis Apoſtolorum nominibus velare ſtuduerunt. Ad alios accedamus. Innocent. Epiſt.2.

Nomine Xyſti Pontificis edidit Ruffinus ſententias Xyſti Pythagorici Philoſophi, quòd ei tanquam fraudem non ſemel obiicit S. Hieronymus. *Illam temeritatem* inquit ſanctus Hieronymus; *imò inſaniam eius, quis digno poſſit explicare ſermone, quòd librum Xyſti Pythagorei, hominis abſque Chriſto, atq; Ethnici, immutato nomine, Xyſti Martyris & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi prænotauit, in quo iuxta dogma Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, & de eius dicunt eſſe ſubſtantia, multa de perfectione dicuntur; vt qui nomen Philoſophi neſciunt, ſub Martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Nec mirum,* inquit alibi idem S. Hieronymus, *ſi gentilem Philoſophum, in Martyrem,* S.Hier. ad Creſiphon. cont. Pela. S.Hier. in cap.18.Ezech.

rem, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum tranſtulerit: cum Euſebii Cæſarienſis primum quoq; pro Origene librum, Pamphili Marty-ris vocabulo commutarit: vt facilius tali laudatore libros impiiſſimos περὶ ἀρχῶν, Romanis conciliaret auribus.

Quanto ſcelere finxerunt litteras Ariani ad Conſtā-tium Imperatorem, nomine Athanaſij, & alias nomine Conſtantii ad Athanaſium, vt ſanctum illum præſulem Alexandria exturbandi occaſionem reperirent? In quos hæc S. Athanaſius ad Conſtantium. *Miror eos ſine vlla abominatione & horrore mendacii ita falſa, apud tuas præſertim aures, potuiſſe dicere: Cum mēdacia patrem Diabolum habeant: iiq; qui mentiuntur, alieni ſint ab eo, qui dicit: Ego ſum Veritas. Nihil enim huiuſmodi ſcripſi: neq; vnquam talem Epiſtolam, quæ quidem mea ſit, aduerſarius inueniet.*

S. Athan. Apolog. ad Conſtā.

Quinam niſi Hæretici publicarunt Epiſtolam nomine S. Hieronymi prænotatam, in qua ageret pœnitentiam, & ſe ab Hebræis in adoleſcentia inductum eſſe teſtaretur, vt Hebræa volumina in latinum verteret, in quibus nulla ſit veritas. *Quod audiens obſtupui*, inquit S. Hieronymus, *Qui hoc auſus eſt facere, quid aliud non audeat?*

S. Hieron. libr. 2. con. Ruff. cap. 7

Pari impudentia euulgarunt Eutychiani epiſtolam de morte Cyrilli Alexandrini, adſcripto Theodoreti nomine, quaſi gauderet ob mortem Cyrilli, tanquam hominis impii & profani, piisq;, hoc eſt, Neſtorii Sectatoribus admodum infeſti & infenſi. Qua fraude duo diaboli negotia egerunt: nam & in S. Cyrillum, Catholicæ doctrinæ propugnatorem inuictum, conceptam bilem effuderunt, & Theodoretum, quaſi à Neſtorii veſania non reſiliiſſet, infamarunt. Exſtat Epiſtola hæc in quinta Synodo, cui laruam detraxit illuſtriſſimus Baronius: qui & rectè demonſtrat, Acta illius Synodi ab Impoſtoribus magnam partem falſata & mutilata eſſe.

Bar. Tom. 7. anno Chriſt. 553

Nomi-

Nomine Iulij Romani Epiſcopi finxerunt Eutychiani Epiſtolam ad Dionyſium Corinthi Epiſcopum, quam non Iulij, ſed Apollinaris eſſe demonſtrat Leontius, vt & ſeptem alias Epiſtolas ſub Iulij nomine ab Eutychianis venditatas, quæ ex Apollinaris officina prodierant. Imò Leontius non paruum tractatum ſcripſit aduerſus eos, qui proferunt nobis quædam Apollinarij opera, nomine ſanctorum Patrum inſcripta. *Leont. de Sect. act. 8*

Eius libri initio ſic ait Leontius: *Quidam ex Hæreſi Apollinarii, vel Eutychis, vel Dioſcori, cùm vellent ſuam hæreſin confirmare, quaſdam orationes Apollinarii Gregorio Thaumaturgo, aut Athanaſio, aut Iulio inſcripſerunt, vt ſimpliciores fallerent: quod quidem perfecerunt. Auctoritate enim huiuſmodi perſonarũ, fide digna, multos Eccleſiæ Catholicæ capere potuerunt. Et apud multos ex rectè credentibus reperire poteris fidem partis Apollinarii inſcriptam Gregorio, & quaſdam eius Epiſtolas inſcriptas Iulio, & alias eius de Incarnatione Orationes vel Expoſitiones Athanaſio inſcriptas. Cuiuſmodi eſt, quæ inſcripta eſt, Expoſitio conſentiens cum expoſitione trecentorum decem & octo: neque ſolùm has, ſed & alias huiuſmodi. Fiet autem tibi hoc manifeſtum, & cuiuis veritatis ſtudioſo ex iis, quæ in medium adferemus, tum ipſius Apollinarii, tum diſcipulorũ eius, ex quibus eſt cumprimis Valentinus.* Hæc Leontius, qui mox ex Valentino, ipſo Apollinario, & Timotheo Epiſcopo Berythi, multa teſtimonia producit: Poſt quæ iſta ſubiungit Leontius: *Arbitror eum, qui non fuerit nimis contentioſus, non poſſe his cum ratione aduerſari, quin potius futurum eſſe, vt continuò, & vt ita dicam, non violenter veritati aſſentiatur, & omnibus ſuffragiis fateatur Apollinarii eſſe Epiſtolas, vel ſermones de Incarnatione, quæ Iulii, & Gregorii, & Athanaſii falsò eſſe feruntur.* Sed vtrum verum ſit, quod hic & alibi Leontius affirmat, tractatum illum, qui inſcri-

bitur ἡ κατὰ μέρος πίστις, quem vidimus & legimus, eſſe Apollinaris, id alibi accuratius exquirendum erit. Nunc quod inſtat, agamus.

S. Cyrill. epiſt. 29. Huc etiam pertinet Epiſtola PHILIPPI, Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri, ſcripta & euulgata à Neſtorianis, *quaſi* Sixtus Romanus Pontifex *depoſitionem Neſtorii ægre ferat, ipſique benè loquatur,* inquit S. Cyrillus. Quin & ſub Cyrilli nomine Epiſtolam ſparſerunt, *quaſi ipſum, eorum, quæ Epheſi geſta erant, pœniteret:* vt ipſe ſanctus Cyrillus ſcribit.

Liber in Breuiario. Huc pertinet etiā epiſtola VIGILII Pontificis ad Theodoſ. Epiſcopum Eutychianū, flagitioſè ab Hæreticis conficta, vt & duo libelli ad Iuſtinianum & Theodoram Auguſtam: Et epiſtola Syluerij de Roma prodenda, ſummis fraudibus ab Eutychianis ſparſa: & epiſtola Mennæ Epiſcopi Conſtantinopolitani ad Vigilium Pontificem, conficta à Monothelitis, quod in ſexta ſynodo perſpicuè oſtēſum eſt; & antea idem obſeruauerat ſanctus Maximus, cùm ei libellus Mennæ obiectus fuiſſet.

Act. 8. In Act. S. Maximi apud Bar. anno 656. S. Greg lib 9, epiſt 69.

De Andrea falſo Monacho hæc ſanctus Gregorius: *Quia inter diuerſa mala aliquos etiam Sermones ſcripſit, atque eos ex noſtro nomine titulauit, & ſuſpecti ſumus, ne eos alicubi tranſmiſerit, fraternitas veſtra ſollicitudinē gerat, & ſi quid tale repererit, eos & exſcindi & omninò faciat aboleri, vt quod imperitus litterarum & ſcripturæ diuinæ neſcius, noſtro, ſicut diximus, nomine prænotauit, quorundam animos non poſſit inficere.*

Neque his audacia & impudentia ceſſerunt Iconoclaſtæ, qui libros aduerſus imagines nomine ſancti Epiphanij in lucem prodere non erubuerunt: quorum impoſturam ſeptima Synodus patefecit.

Sub

Sub nomine ſancti Gelaſij Papæ ediderunt Pelagiani annotationes in Epiſtolas ſancti Pauli. Teſtis Caſſiodorus. *In Epiſtolas tredecim ſancti Pauli annotationes conſcriptas in ipſo initio meæ lectionis inueni, quæ in cunctorum manibus ita celebres habebantur, vt eas à ſancto Gelaſio Papa vrbis Romæ doctiſſimi viri ſtudio dicerent fuiſſe conſcriptas: quod ſolent facere, qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere. Sed nobis ex præcedentib. lectionibus diligenti retractatione patuerunt, ſubtiliſſimas quidem eſſe ac breuiſſimas dictiones, ſed Pelagiani erroris venena illic eſſe ſeminata.* *Caſsiodor. de diuin. lect. cap. 8.*

Epiſtolas ſancti Ioannis Damaſceni nomine ab impijs Iconomachis fictas, extremum propè Damaſceno periculum creaſſe, quis ignorat? *Ioan. Patriarch. in vita Damaſceni.*

Taceo Epiſtolam illam ſpecioſo S. Vdalrici nomine ab impoſtore quopiam velatam. Nec libros illos attingo qui Caroli Magni Imperatoris Auguſtiſſimi nomen præferunt. omitto alios non paucos ab Hæreticis, ſub inſignium virorum titulis venditos, & venditatos.

Sic Photius Epiſtolam finxit nomine Ioannis Pontificis quaſi idem ſecum ſentiret de proceſſione ſancti Spiritus ex ſolo Patre. Nec temerè ſuſpicatur illuſtriſſimus Baronius, totam illam Synodum Photianam, quam Græci Schiſmatici, tanquã œcumenicam venerantur, ex Photij figlina profectam eſſe. *Vide Bar. Tom. 10. anno 879.*

Ad exempla noſtræ ætatis propero, eaque paucula ex plurimis, quæ cum quouis ex antiquitate conferri, imò & contendere poſſunt. Et primum quidem non firmatur auctore dubio, ſed certo & indubitato, ſaltem tunc, cùm fraudes & mendacia commemorat. Veriſſimæ enim fraudes ſunt, & veriſſima mendacia, quæ narrat. Eſt is, de quo loquor, VERGERIVS.

Quid

Quid ergò ille? Audi impoſturam, & obſtupeſce hæreticam temeritatem, quæ etiam Cardinalium nomine ad ſuam perfidiam propagandam abuti, Lutheriq; opera in peregrinam linguam tranſlata, ſummis viris affingere auſit.

Audiamus Vergerium denarrantem quid fraudis in Cardinalem Fregoſium, virum nobiliſſimum, commiſerit. Verba Vergerij hæc ſunt: MARTINVS LVTHERVS *Epiſtolæ ad Romanos præfixit valdè piam (vt ſolitus erat) & ſolidam præfationem, qua pulchrè ad totius Epiſtolæ, quæ nonnihil difficilis eſt, (crediderim de hac Petrum intellexiſſe, cùm ſcripſit quædam eſſe in Epiſtolis Pauli difficilia) intelligentiam ſternit viam. Hanc quiſpiam* (Vergerius, id enim ex tota Vergerij narratione omnibusq; circumſtantijs liquet) *in Italicam linguam non indiligenter conuerſam, ſub nomine Fregoſii edidit, & ſimul tractatum de Iuſtificatione, Fide, & Operibus. Quare hi duo optimi libelli, veluti perſonati, peragrarunt aliquandiu magnam Italiæ partem, & propter Fregoſiani nominis auctoritatem libenter hoſpitio ſuſcipiebantur, magnaque auiditate legebantur, non ſine ingenti fructu. Tandem cùm Satan olfeciſſet, ſibi fuiſſe impoſitum, excitauit ſuos miniſtros nempe Inquiſitores, qui cœperunt latrare, atque indicare Lutheri ſcripta latere ſub larua Fregoſii. Sic res ſe habet.* Hæc Vergerius, teſtis ſummæ Sycophantiæ à ſe commiſſæ. Et miratur adhuc impurus Apoſtata, libros iſtos in Indice librorum prohibitorum interdictos eſſe ſub Fregoſij nomine, nec tamen ad Fregoſij nomen, *Cardinalis* appellationem fuiſſe appoſitam. Quid opus Cardinalis nomen addere, cùm Fregoſius Cardinalis tractatum *de Iuſtificatione, Fide, & Operibus* nunquam fortaſſe viderit, nedum conſcripſerit?

Verg. tom. 1. ſuor. ope.

Pari improbitate ediderunt librum Bullingeri contra viſibilem Eccleſiam ſub nomine ſancti Athanaſij, addito titulo,

Vide Inquiſit. Georg. Ederi, tab. 31.

titulo, *de vera & pura Eccleſia.* Librum Buceri contra merita bonorum operum, adſcripſerunt Hæretici beato Martyri Ioanni Roffenſi, inſcripſeruntque, *de Fiducia & miſericordia DEI.* Conciones Italicas Apoſtatæ Ochini, venditarunt ſub nomine Thomæ Epiſcopi Iuſtinopolitani.

Sed ſatis ſit hæc libaſſe: nullus enim finis ſit, ſi omnia vetera ſimul & noua colligere velim.

Capvt VI.

Libros orthodoxorum Patrum addendo vel demendo corrumpere proprium eſſe hæreticorum.

Alterum caput ex illis duobus, quæ capite præcedente propoſuimus, hic exſequemur, nempe Hæreticis in more poſitum eſſe, vt aliena ſcripta adiectione aut detractione corrumpant. Id generatim primùm oſtendo teſtimonijs eius, qui, qua natura Hæretici eſſent, haud ignorabat: vtpote Sectator Origenis, & quidem verſipellis: Is eſt Rufinus, qui hæc de Hæreticorum bonos & orthodoxos libros deprauandi ſtudio: *Quanta ſit Hæreticorum temeritas, quàm nihil his ſancti, nihil penſi ſit, facilè intelligi datur ex his, quæ frequenter & auſi ſunt & conuicti. Nam ſicut ipſorum Patri Diabolo ab initio falſare verba DEI atque inflectere à ſuo ordine, & ſui veneni interſerere virus ſtudium fuit: ita & iſtis Succeſſoribus ſuis, hanc ſuæ artis hæreditatem reliquit. Denique cùm dixiſſet DOMINVS ad Adam, ex omni ligno Paradiſi manducabitis, ille cùm vellet Euam decipere, liberalitatem Dei omnia edere permittentem, vna tantummodo interiecta ſyllaba, in quantas coarctauit anguſtias? Ait enim, quid eſt, quòd dixit DEVS, vt ex omni* *Rufin. de adult. lib. Origen.*

ligno Paradiſi non manducetis? Quò ſcilicet per hoc, graue eſſe præceptum DEI apud hominem conquerens, præuaricationem præcepti facilius perſuaderet. Hæc exempla patris ſui, atque hanc artem magiſtri ſui ſecuti Hæretici, quoſcunque veterum nobilium tractatorum inuenerunt de his, quæ ad gloriam Dei pertinent, benè & fideliter diſputaſſe: ita, vt ex lectione eorum, vnuſquiſque fidelium proficere poſſit & inſtrui, non pepercerunt ſcriptis eorum venenatum virus infundere, ſiue interpolando, quæ dixerant, ſiue quæ non dixerant, inſerendo: quò facilius videlicet ſub nomine doctiſſimi cuiusque & nobilis inter Scriptores Eccleſiaſticos viri Hæreſis ſuæ aſtrueretur aſſertio, ex eo, quòd ita ſenſiſſe etiam aliqui de claris viris & Catholicis viderentur.

Idem RVFINVS. *De Hæreticorum verò temeritate, vt credi iſtud ſcelus facilè poſſit, illa res maximum credulitatis præſtat exemplum: quòd abſtinere impias manus, ne à ſacroſanctis quidem Euangelii vocibus potuerunt. Apoſtolorum verò vel Actus vel Epiſtolas qualiter polluerint, qualiter corroſerint, qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia, vel auferendo, quæ pia ſunt: ſi quis vult pleniùs ſcire, ex his libris* TERTVLLIANI, *quos aduerſus* MARCIONEM *ſcripſit, pleniſſimè recognoſcet.*

Poſthæc affert RVFINVS in ſpecie exempla librorum ab Hæreticis corruptorum, his verbis: CLEMENS, *Apoſtolorum diſcipulus, qui Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos & Epiſcopus & Martyr præfuit, libros edidit, qui appellantur* ἀναγνωρισμὸς, *id eſt, Recognitio, in quibus cùm ex perſona Petri Apoſtoli doctrina quaſi verè Apoſtolica, plurimis exponatur: in aliquibus ita Eunomii dogma ſcribitur, vt nihil aliud, quàm ipſe Eunomius diſputare credatur,* FILIVM DEVM *creatum ex nullis*

nullis exſtantibus, aſſeuerans. Tum deinde etiam illud adulterii inſeritur genus, vt naturam Diaboli, cæterorumque Dæmonum non propoſiti, voluntatisque malitia, ſed excepta ac ſeparata creaturæ produxerit qualitas: qui vtique in cæteris omnem rationabilem creaturam docuerat liberi arbitrii facultate donatam. Sunt etiam alia nonnulla libris eius inſerta, quæ Eccleſiaſtica regula omninò non recipit. Quid quæſo de his ſentiendum eſt, quòd Apoſtolicus vir, imò penè Apoſtolus, non ea ſcribit, quæ Apoſtoli dicunt, cui Paulus Apoſtolus teſtimonium dedit dicens: Cum Clemente & cæteris coadiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ: & ſcribebat hoc, quod libris vitæ contrarium eſt?

An id potius credendum eſt, quod ſuprà diximus, quòd peruerſi homines aſſertionem dogmatum ſuorum ſub virorum ſanctorum nomine, tanquam facilius credantur, inſeruerunt ea, quæ nec illi ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe credendi ſunt?

CLEMENTI Romano adiungit Rufinus Clementem Alexandrinum, & Dionyſium Alexandrinum, quaſi monumenta illorum fuerint ab Hæreticis deprauata.

Sed hanc RVFINI ſententiam reiicit ſanctus Hieronymus, quòd Rufinus hoc prætextu viam ſibi ad Origenis errores defendendos munire contenderet. *Si conceditur*, inquit, *vt, quidquid in libris omnium reperitur, ab aliis corruptum ſit, nihil eorum erit, quorum fertur nominibus, ſed iis deputabitur, à quibus dicitur eſſe vitiatum, quanquam & illorum non erit, quorum incerta ſunt nomina, atq; ita fiet, vt dum omnium omnia ſunt, nihil alicuius ſit.* S. Hieron. cont. Rufin.

Arguit quoque Illuſtriſſimus BARONIVS Rufinum, quòd exiſtimârit, ea, quæ in libris DIONYSII Alexandrini pias aures offendere videbantur, ſuperaddita fuiſſe ab Arianis: Neque enim ſanctum ATHANASIVM, qui pro Dionyſio aduerſus Arianos Apologiam Baron. tom 2. Annal. anno 263.

conſcripſit, cauſſam huius rei in Arianos reijcere, ſed potius totum in eo eſſe, vt oſtendat Dionyſium, ab Arianis in ſuam perfidiam obtorto collo planèque inuitum rapi.

Euſeb. li. 4. cap. 22.

Alterius tamen Dionyſij, nempe Corinthij, epiſtolæ ab Impoſtoribus deprauatæ fuerunt, vt ipſemet teſtatur apud Euſebium his verbis: *Epiſtolas rogatu quorundam fratrum, qui me ad ſcribendum impellebant, conſcripſi. Atque eas miniſtri Diaboli zizaniis referſerunt: nam quædam pro ſuo arbitratu exemerunt: alia adiecerunt; quibus planè væ in extremum iudicium repoſitum eſt: nec mirum, ſi quidem Dominicas ſcripturas dedita opera deprauare aggreſſi ſint, cùm has meas, quæ non ſunt certè eius generis, adulterare ſtuduerint.*

Præter prædicta exempla adducit Rufinus Origenem, cuius lucubrationes ait ab Hæreticis *peruersè vitiatas eſſe*, idque probat ex proprijs hac de re querelis, quas Origenes in Epiſtola quadam effudit. Nec videtur negari poſſe; quædam ab Hæreticis Origeni inſerta: at nec omnia, vt volebat Rufinus, nec pleraque, nec fortè grauiſſima. Verba Origenis hæc ſunt, *ex Epiſtola ipſius*, inquit Rufinus, *quam ad quoſdam charos ſuos in Alexandria ſcripſit, contra eos, qui libros eius, adhuc eo viuente, adulterauerant. Quidam eorum, qui libenter habent criminari proximos ſuos, aſſcribunt nobis & doctrinæ noſtræ, crimen blaſphemiæ, quod à nobis nunquam audiuerunt, de quo ipſi viderint: nolentes obſeruare mandatum illud, quod dicit; quia maledici regnum DEI non poſſidebunt: dicentes, Patrem maliciæ & perditionis, & eorum, qui de Regno DEI eiiciuntur, id eſt, DIABOLVM, me dicere eſſe ſaluandum, quod ne aliquis quidem mente emotus, & manifeſtè inſaniens dicere poteſt.*

Sed

Sed nihil mihi mirum videtur, ſi adulteretur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta eſt Epiſtola Pauli Apoſtoli. Quidam enim ſub nomine Pauli Apoſtoli falſam Epiſtolam ſcripſerunt, vt conturbarent Theſſalonicenſes: quaſi inſtaret dies Domini, & ſeducerent eos. Propter hanc Epiſtolam in ſecunda Epiſtola, quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, hæc dixit: Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini noſtri IESV *Chriſti, & veſtram congregationem in ipſum, vt non moueamini citò à ſenſu veſtro, neq; terreamini, neq; per ſpiritum, neq; per verbum, neq; per Epiſtolam, tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nemo vos ſeducat vllo modo.*

Talia ergò quædam video etiam nobis accidere. Nam quidam auctor Hæreſeos, cum ſub præſentia multorum habita inter nos fuiſſet diſputatio, & deſcriptum accipiens ab his, qui deſcripſerant codicem, quæ voluit, addidit, & quæ voluit, abſtulit, & quod ei viſum eſt permutauit: circumferens tanquam ex nomine noſtro, inſultans & oſtendens ea, quæ ipſe conſcripſit. Pro quibus indignantes fratres, qui in Palæſtina, miſerunt ad me Athenas hominem, qui acciperet à me ipſum authenticum exemplar; quod ne relectum quidem vel recenſitum à me anteà fuerat: ſed ita neglectum iacebat, vt vix inueniri potuerit. Miſi tamen, & ſub teſte Deo loquor, quoniam cum conueniſſem illum ipſum, qui adulterauerat librum, quare hoc feciſſet: veluti ſatisfaciens mihi reſpondit: quoniam magis ornare volui diſputationem ipſam atq; purgare. Videte quali purgatione diſputationem noſtram purgauit. Tali nempe, quali purgatione Marcion purgauit Euangelia vel Apoſtolum, vel quali ſucceſſor eius poſt ipſum Apelles. Nam ſicut illi ſubuerterunt ſcripturarum veritatem: ſic & iſte, ſublatis, quæ verè dicta ſunt, ob noſtri criminationem inſeruit, quæ falſa ſunt. Sed licet homines Hæretici & impii ſint, qui hæc facere auſi ſunt; tamen habebunt & illi iudicem Deum, qui talibus aduerſum nos criminationibus accommodant fidem. Fecerunt autem hoc & alii nonnulli, conturbare volentes Eccleſias.

Deniq; in Epheſo cum me vidiſſet quidam Hæreticus, & congredi noluiſſet, neq; omnino os ſuum aperuiſſet apud me: ſed neſcio qua ex cauſſa id facere vitaſſet: Poſtea ex nomine meo & ſuo conſcripſit qualem voluit diſputationem; & miſit ad diſcipulos ſuos, vt ego quidem cognoui, ad eos, qui Romæ erant: ſed non dubito, quin & ad alios, qui per diuerſa ſunt. Inſultabat autem & apud Antiochiam, priuſquam ego illuc venirem: ita vt & ad quàmplurimos noſtrorum perueniret ipſa diſputatio, quam parauerat. Sed vbi affui, multis eum præſentibus, argui. Cumque iam ſine vllo pudore pertenderet impudenter aſſerere falſitatem: popoſci vt liber deferretur in medium; vt ſcelus meum agnoſceretur à fratribus, qui vtique cognoſcerent, quæ ſoleo diſputare, vel quali vti ſoleo doctrina. Quique cum auſus non eſſet proferre librum, conuictus ab omnibus & confutatus eſt falſitatis: & ita perſuaſum eſt fratribus, ne aurem criminationibus præberent. Si quis ergo vult credere mihi in conſpectu Dei loquenti; etiam de his, quæ in Epiſtola mea conficta ſunt & inſerta, credat. Sin autem quis non credit, ſed vult de me male loqui: mihi quidem nihil damni confert: erit autem ipſe falſus teſtis apud Deum, aduerſus proximum ſuum teſtimonium falſum vel dicens, vel dicentibus credens.

S.Hier.l.2. in Ruffin. Hæc ex Origene Rufinus, *qui falſitatem ſcriptorum Origenis Hæreticis imputat,* inquit S. Hieronymus; *ipſe incipit à falſitate, non ita interpretans, vt habetur in Græco: nec id Latinis inſinuans, quod ipſe in ſuis litteris profitetur.* Hoc vt S. Hieronymus demonſtret, partem Epiſtolæ Origenis à Ruffino doloſè tranſlatã, aliter transfert. Producit Ruffinus alia exempla librorum ab Hæreticis corruptorum, ſed refelluntur à ſancto Hieronymo. Itaq; ad alia gradum faciamus.

Leont. de Sect. act. 8. S. Leo ad Marcian. Auguſt. Corruperunt Eutychiani loca quædam S. Athanaſij, & S. Cyrilli, vt auctor eſt Leontius; Et Epiſtolam S. Leonis, vt ipſe Leo conqueritur. In his fraudibus & impoſtu-

ris valdè exercitati fuerũt Iconoclaſtæ: quod pluribus exemplis patres ſeptimæ Synodi declararunt: nam librum Conſtãtini Chartophylacis, qui nonnulla tradebat de imaginibus, mutilarunt, excisis foliis, quæ argumentum ipſis inuiſum continebant. Phoceæ vltra triginta volumina combuſſerunt, vt teſtatur Leo eiuſdem vrbis Epiſcopus. Ex alio veteris teſtamenti Codice expunxerunt ſcholium pro defenſione imaginum additum: Cuius Plagii veſtigia omnibus Concilii Patribus demonſtrauit Coſmas Diaconus, qui alium quoq; librum de Martyribus protulit, exſectis paginis, quæ imagines colendas eſſe docebant; Nec pepercerunt iidem ſacrarum imaginum hoſtes *Limonario*, ſeu *Prato ſpirituali* Sophronii; nec hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, vt in eodem Concilio perſpicuè oſtenſum eſt: Deleuerant enim miracula per imagines Chriſti & Deiparæ facta; & ab Hiſtoricis in chartas relata. Quot exempla librorum ab Hæreticis corruptorum producta ſunt in quinta & ſexta Synodo? Legat, qui volet Act. 14. ſextæ Synodi, & Hæreticorum ingenia liquidò agnoſcet. *Act 5.*

A quorum indole non abhorruit Andreas Pſeudomonachus, qui teſte S. Gregorio Epiſtolam Euſebii Epiſcopi Theſſalonicenſis, per ſummam improbitatẽ corrupit. *Inter alia, quæ idem Andreas peſſimè cogitauit & fecit*, inquit S. Gregorius, *eam quoq; quam ad nos miſiſtis, dum apud ipſũ à præfato latore eſſet depoſita, ita falſauit Epiſtolam, vt quicunq; eã legeret, vos nec Catholica, ne recta ſapere euidenter argueret. Ex qua re contigit, vt dum veritatem ſtudioſè quæreremus, eius quæ latebat iniquitas vulgaretur.* Sic Neſtoriani corruperunt Epiſtolam S. Athanaſij ad Epictetum Corinthiorũ Epiſcopũ, teſte S. Cyrillo. Chalcedonenſem Synodum ab Eccleſia Conſtãtinopolitana in vno loco falſatã eſſe, ſcribit S. Gregorius *S. Greg. l. 9 Epiſt. 69.* *S. Cyrillus Epiſt. 29.* *S. Greg. l. 5 Epiſt. 14. ſ.*

gorius: qui etiam aſſerit, RomanosCodices multo veriores eſſe, quàm Græcos; *quia noſtri,* inquit, *ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent.* Sic in Synodo octaua Oecumenica contra Photium, falſarunt Græci Epiſtolam Adriani II. Pontificis, reſectis omnibus illis, quæ in laudem Imperatoris occidentalis ſcripta erant. Quam fraudem Anaſtaſius Bibliothecarius deprehendit, Legatisq; Apoſtolicæ Sedis indicauit, vt ſcribit VVilhelmus Bibliothecarius in vita Adriani II. Pontificis: vel, vt aliis placet, ipſemet Anaſtaſius Bibliothecarius. Quot crimina falſi commiſerit ipſe Photius in Epiſtola Ioannis Pontificis ad Baſilium Imperatorem, & ad ipſum Photium; & inCommonitorio Legatis Conſtantinopolim miſſis dato, apud Cardinalem Baronium reperiet lector, & ſimul fraudulẽtiſſimi impoſtoris audaciam obſtupeſcet.

Bar. Tom. X, anno Chriſt. 879

Simili fraude verſati ſunt recentiores Græci, in multorum Patrum libris; poſtquam cum Latinis de nonnullis quæſtionibus contendere inſtituerunt: quorum improbitas non ſemel in Concilio Florentino, & alibi detecta eſt.

Hoc noſtro æuo libros probos deprauare, adeò non eſt inſuetum Hæreticis; vt nihil propemodum ſolemnius apud illos reperiatur, edocti ſcilicet ſunt hoc artificium à Magiſtro ſuo Luthero: qui quot locis ipſis ſacrorum Bibliorum voluminibus falſarias manus intulerit, docebit diſcere cupientem, Emſerus, aliiq; huius ætatis docti viri. Luthero adiungo Iobum Gaſtium Lutheranum, qui, vt ille ait: *munus decem falſariorum fungitur*; nam facinus patrauit *memoriæ quidem recentioris*; vt loquitur Ruffinus; *commiſſa autem nequitia antiquum ſatis*; & quod omnium veterum fabulas vincat: patrauit, inquam, facinus omni ſupplicio dignum in editione Paſchaſij Corbeienſis de veritate cor-

poris

poris & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, vt iam pridem notauit, & eo nomine publicè quoq; nō iniuria traduxit & proclamauit Gaſtium Nicolaus Mameranus; nam vbicū-que in Paſchaſio *vel ſacerdotis, vel Altaris, vel conſecrationis, vel immolationis, vel pœnitentiæ nomen inuenit: id aut omiſit, aut expuncto eo aliud ſubrogauit. Nimirum loco ſacerdotis, vbiq; miniſtrū Eccleſiæ, aut miniſtrū verbi Chriſti poſuit; q̄ nō eſt Paſchaſianū: loco altaris, menſā Domini; loco immolationis, interceſſionē; loco cō-ſecrationis, benedictionem; loco pœnitentiæ, agnitionem peccati & commiſſæ inobedientiæ: Itē pro, celebrari, alicubi poſuit: (nullo orationis ſenſu) manducari: Et huiuſmodi alia plurima. Vbi, ſi in toto libro non plus peccaſſet, non ſatis alieno in libro deſignatum audaciæ & flagitii videri poſſet? Deinde vbicunq; Auctor vocabulū, ſpiritualiter, ſolum habet: ille de ſuo adiicit; ſimul & realiter, quæ in ſcriptis exemplaribus nuſquam inueniuntur: Fidei autem vocabulum & Credentis: & Credulitatis, & Incredulitatis, vbiq; de ſuo ad nauſeam vſq;, pro more nouæ ipſorum Eccleſiæ, inculcat & ingerit. Vide caput quod incipit: Sacramentum igitur, &c. Ibi vtrunq; exemplar ſcriptum habet: ſunt autem ſacramenta Chriſti in Eccleſia, Baptiſmus, Chriſma, & corpus quoq; Domini & ſanguis. Hîc, Gaſtius perfidè omiſit, & Chriſma: adiecitq; de ſuo poſt vocem, Eccleſia; Catholica; quaſi vera & Catholica Eccleſia tantum duo habeat & agnoſcat Sacramenta: inſuperq; in màrgine, vt perfidiam hanc augeret, annotauit; duo tantum ſunt Sacramenta; cum tamen Paſchaſius tria ponat; neq; vocem hanc, Tantum, habeat, vt ad ternarium numerum Sacramenta Eccleſiæ reſtringat.*

Nicol. Ma̅ præfat. in Paſchaſ.

Item, capite XIII. vt Gaſtius verò IV. ſic corrupit hunc locum: Quod à credente in verbo Chriſti, diuinitus per ſpiritum ſanctum reuera eſitatur: pro eo, quod Paſchaſius habet, quod per ſacerdotem ſuper altari, in verbo Chriſti per ſpiritum ſanctum diuinitus conſecratur, vbi in pauculis verbis, infinitam vide ex propoſito malitiam, perfidiamq;, quomodo nec Sacerdotis nomen tulerit, nec

conſecrationis, nec altaris; & ipsum ſenſum peruerterit. *Item initium ca. 19 quod incipit, Vnde ſacerdos, &c. totum omiſit, quod multa in eo eſſent, quæ ad conuiuatoris Hiobi ſtomachum non facerent, nec ipſius ſaperent palato: Nempe, ſacerdos, immolare, per manus Angeli tui in altari conſecratur, manu ſacerdotis, &c. quorum loco ſuam quandam prolixam, ſed inſulſam & fermentoſam infarſit farraginem de ſola Fide; de fortiter credentibus, &c. quorũ (inquit) ſola fides capax eſt: &, quiſquis igitur citra fidem, &c. &; niſi fortiter credentibus, &c. Et; fidei merces, &c: quæ omnia, nec phraſin auctoris, nec illam conſequentem ſenſus & ſpiritus & ſucci ſuauitatem ſapiunt*; Hæc & plurima alia Mameramus de corruptelis & impoſturis falſarii illius Gaſtii, qui Paſchaſium ita deformauit, vt ne ipſe quidem Paſchaſius ſeipſum agniturus eſſet; ſi reuiuiſceret.

Similem prope fraudem de eodem Gaſtio refert Sixtus Senenſis; nempe, quod ſibi arrogarit; ſuoq; nomine publicarit collectanea Bartholomæi Vrbinatis, annis abhinc ferè ducentis ex Auguſtino excerpta; eademq; nonnullis locis detruncarit, & detruncata ad *Hæ*reſin Lutheranorũ detorſerit. Nec operæ pretiũ fuerit plures Hæreticos falſarios producere: Crimine ab vno diſce omnes: Nam qui iſtos norit, omnes nouerit, ſunt enim gemelli.

Sixt, lib. 4. Biblioth.

Reſtant duo alii libros corrumpendi modi: quorum vterq; Hæreticis valdè familiaris eſt. Prior, vt ſi quo loco alicuius ſcriptoris ſe premi vident, dicant, locum illum eſſe aſſutum, ex margine libri in contextum irrepſiſſe: à Monacho quopiam intruſum, & id genus alia. Notauit hanc fraudem aliquoties in Manichæis S. Auguſtinus, nominatim in quadam Epiſtola ad S. Hieronymum. *Manichæi,* inquit, *plurima diuinarum ſcripturarum, quibus eorum nefarius error, clariſſima ſententiarum perſpicuitate, conuincitur, quia in alium ſenſum detorquere non poſſunt, falſa eſſe contendunt, ita tamen, vt tandem falſitatem non ſcribentibus Apoſtolis tribuant; ſed neſcio*

Epiſt. 57. inter Epiſt S. Hier.

quibus Codicum corruptoribus, quod tamen quia nec pluribus ſiue antiquioribus exemplaribus, nec præcedẽtis linguæ auctoritate, vnde latini libri interpretati ſunt, probare aliquando potuerunt; notiſſima omnibus veritate ſuperati, confuſiq; diſcedunt.

Simili neceſſitate adacti reiiciunt noſtri Hæretici nõ modò ſacrarum litterarum locos quoſdam, ſed etiã integros libros; vt Thobiã, Eſther, Iudith, Eccleſiaſticũ, Macchabæos, &c. & quidquid in ſcriptis Patrum non ſatis arridet, id aut ſuppoſititiũ clamitant, aut næuũ eſſe mẽtiuntur. Exemplis plenæ ſunt omnes pagellæ Centuriarum Magdeburgenſium.

Vnum ego adiungam de *Paſchaſio* Abbate Corbeienſi, quem qua fide Gaſtius exceperit, paulò ante vidimus. Huius auctoritate, quantumuis inuiti & reluctantis ſæpius vtuntur Caluiniſtæ eo in libro, quem inſcripſerunt *Orthodoxum conſenſum.* Sed quia quædam *Paſchaſij* dicta Caluiniſtis manifeſtiſſimè obſtant, præſertim illa, quæ ſcribit de viſibili ſpecie, qua Chriſtus in *E*uchariſtia ſæpius apparuit, ideo nodo huic conſuetum vindicem quæſierunt & aduocarunt. Quis ille? *Aſtu & opera Monachi cuiuſdam falſarii inſerta & ſuppoſita eſſe, fabuloſa quædam de viſibili ſpecie Christi in forma infantis, quæ planè non ſunt Paſchaſii.* Sed vnde hoc vobis notum, ô Caluiniſtæ? Quis item Monachus ille falſarius? Ipſe profectò Paſchaſius Monachus fuit: vt proinde, quæ citato capite vobis nimium Monaſtica videntur, non magis ab alio, quàm ab ipſo Paſchaſio proficiſci potuerint. Sed noſtra defenſione non eget Paſchaſius. En ipſos Lutheranos pro Paſchaſio arma ſumentes: Quorum hæc verba: *Quod dicunt* (Caluiniſtæ) *id ex ſtyli & ſermonis diuerſitate conſpici, infirmum argumentum eſſe, quod tanta diuerſitas non apparet, quantam Caluiniſtæ fingunt. Deinde quod addunt*

Paſchaſ. lib. de corp & ſangui. Domin. ca. 14. vt extat Tom. 6 Biblioth. SS. PP. in Edit. Colõ eſt caput 38. & 39.

VVirtebe. Lutherani in Refut. orthod. conſenſus pag. 68.

quia illa duo capita cum præcedentibus & ſequentibus totaque iſtius libri ſententia & doctrina pugnent, id falſiſſimum eſſe, res ipſa docet. Tertio, quòd Auctor in præfatione teſtetur, ſe veterum in Eccleſia Patrum ſententiam & fidem de Euchariſtiæ negotio tradere velle, & non ex apocryphis, & fabuloſis narrationibus. Bibliothecæ Pariſienſi quod inſertum eſt exemplum, nullam præfationem habet, reſpondent Lutherani, *ſed ab omnipotentia Dei commendatione orditur, & omnes ad fidem huius myſterii hortatur.* Facilius ſe expediuiſſent Lutherani, ſi reſpondiſſent, Paſchaſium fidem datam, ſi vlla in præfatione dedit, non violaſſe; apparitiones enim illas, quas commemorat, nec Apocryphas, nec fabuloſas, nec priſcis Patribus contrarias narrationes eſſe.

Quarta Caluiniſtarum ratio. *Quod in manuſcripto exemplari hæc ipſa duo capita aliter atq; aliter adiunctis etiam fabuloſis exemplis de apparitione corporis Chriſti in Euchariſtia relata & addita reperiantur. Hæc admodum infirma ratio eſt*, inquiũt Lutherani. *Quid enim mirum; quòd Monachus plura exempla ſeu vera, ſiue fabuloſa,* (imò vera, ne dubitetis Lutherani) *annotauerit, in ſuo ſcripto exemplo ab aliis relata & audita, cum id nemo prohibere poſſit, huic verò Auctoris exemplo nihil derogari poſſit.*

Quinta ratio Caluiniſtarum. *Quòd in Colonienſi editione finis capitis 27. contextu & ſententia ſermonis plenè cohæreat cum verſiculo capitis 29. incipiente: Cæterùm ſi quis ex eo non creditur, &c.* Sed quem ferit, aut quid tangit hæc ratio? an cœlum, an terram, an vtrumq;, an potius nihil? En ſalutem ex inimicis, hoc eſt, apologiam pro Paſchaſio à Paſchaſij hoſtibus aduerſus alios Paſchaſii hoſtes.

Sed quid mirum, ſi Hæretici ſcripta Patrum aut corrumpant, aut ab aliis corrupta eſſe clamitent; cum eodem genio & artificio in ſacris litteris verſentur, eaſq; aut corrumpant

ſumpant ablatione integrorum voluminum, vel certè ſententiarum & dictionum, aut ab alijs corruptas eſſe aſſeuerent. Hinc naſcuntur nobis tot & tam diuerſa Biblia, inter quæ maxima diſſimilitudo cernitur. Attigimus hoc iam ſuprà, ſed breuiùs quàm par erat. Vix vlli exſtiterunt hæretici, qui ſcripturas non aut totis libris aut ſaltē ſententijs truncarēt, aut, ſi qui ab hoc ſacrilegio ſeſe continuerūt ſenſu certè Scripturas interuerterunt. *Alius manu Scripturas, alius ſenſu expoſitiones interuertit*, ait Tertullianus de hæreticis: *Neque enim, ſi Valentinus integro inſtrumento vti videtur, non callidiore ingenio quàm Marcion, manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palam machæra, non ſtylo vſus eſt. Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitauit, & tamen plus abſtulit, & plus adiecit, auferens proprietatem ſingulorum quoque verborum, & adiiciens diſpoſitiones non comparentium rerum. Hæc ſunt ingenia de ſpiritualibus nequitiæ, cum quibus luctatio eſt nobis fratres, meritò contemplandæ fidei neceſſaria, vt electi manifeſtentur, vt reprobi detegantur* Tertul. lib. de præſcript. c. 38.

Qua fide, ſinceritate & arte cùm alij tum noſtræ ætatis Hæretici ſcripturas vertant, verſent, & tractent, cernere licet tanquam in lucidiſſimo ſpeculo, in antiquis hæreticis, Theodoto, Aſclepiodoto, & alijs, qui Artemonis ſectam ſectabantur, de quibus hęc Euſebius ex vetuſto quodam ſcriptore: quæ omnia mutatis duntaxat nonnullis vocabulis in noſtros Sectarios quàm appoſitiſſimè quadrant. *Sacras audacter deprauarunt Scripturas, veteris fidei Canonem abrogarunt.* (Lutherus, Lutherani, Caluinus, Caluiniani.) *Et quòd à fide longiſſimè abſint, quid attinet commemorare? Ob hanc cauſſam etiam in ſacras litteras confidenter & temerè quaſi manus violentas iniiciunt, eaſq; ſe emendare & corrigere prædicant. Quòd verò ipſe quidem nihil falſi in eos ementitus loquar* Euſeb. lib. 5. cap. 27.

nemini verum ſcire cupienti poterit eſſe obſcurum. Nam ſi quis cuiuſquam illorum exemplaria in manus ſumere, accuratè perueſtigare, & inter ſe conferre voluerit, reperiet profectò illa quã maximè inter ſe diſsidere. Nã Aſclepiodoti exemplaria (Lutheri) *cum illis quæ ſunt Theodoti* (Tigurinorum) *admodum diſcrepant. At multa planè ſuppetunt, propterea quòd illorum diſcipuli exemplaria ab vtriſq; (vt illi appellant) correcta (vt nos) corrupta, ſtudioſè & ſedulò deſcripſerunt,* (typiſq; excuderunt.) *Rurſus exemplaria, quæ ſunt Hermophili,* (Caſtalionis) *cum illis minimè conſentiũt. Quæ Apollonii* (Bezæ) *dicuntur, ipſa ſibi nõ conſtant. Licet enim, quæ prius ab illo exſcripta fuerunt & compoſita poſterioribus denuò inuerſis innouatiſq; comparare, ſic inuenire illa inter ſe valdè diſſentientia, erit perfacile. Quantum inſcitiæ & temeritatis habeat perditus iſte conatus, ne illos ipſos quidem ignorare ſuſpicor. Aut enim ſacras & diuinas ſcripturas à Spiritu ſancto dictatas non credunt, & ita ſunt infideles, aut ſeipſos Spiritu ſancto ſapientiores eſſe dicunt, quod planè quid aliud eſt, quàm quaſi Dæmone exagitatos inſanire. Neque enim hanc inconſultam & imprudentem molitionem, ſuam eſſe inficiari poterunt, quandoquidem iſta exemplaria ſua ipſorum manu eſſe tranſcripta, perſpicuè deprehenduntur. A quibus autem erant ipſi inſtituti, ab illis* (Catholicis) *eiuſmodi ſcripturas nunquam acceperunt. &c. Quidam illorum eas quidem deprauare non adeò operæpretiũ duxerunt, ſed tum legem, tum Prophetas, perinde ac ſi impiam & nefariã omninò doctrinam complecterentur, prorſus pernegãtes in vaſtiſsimum exitii gurgitem præcipites deciderunt.* Hæc ex antiquo ſcriptore Euſebius, quibus graphicè prorſus noſtræ tempeſtatis hęretici turbines depinguntur. Nunc pedem proferamus.

Verſiones Lutheri, Tigurinorũ, Bezæ, Caſtalionis, & aliorum diuerſiſsima.

Alter modus corrumpendi Auctores, in eo conſiſtit, vt cùm ex lingua in aliã transferũtur, non fideliter transferantur, vt apud interpretem aliud loquantur, & ſentire videãtur, quàm cum ſua natiua lingua animi ſui ſenſa promunt,

munt, præſertim quando de dogmatib. fidei, aut cæremonijs Eccleſiaſticis ſermo eſt. Nimis longum eſſet ſingula percenſere, paucis exemplis contentus ero. Quot fraudes Iunius commiſerit in libello Curopalatæ, de Officijs Aulæ Conſtantinopolitanæ, ſupprimendo, quin & euertendo ritus Eccleſiaſticos & orthodoxos, notaui iam alibi; Quot impoſturis huius generis ſcatent interpretationes Cedreni & Glycæ: dum εἰκόνας reddunt *ſimulacra*, imò *& idola*. Iconoclaſtas *ſimulacriperdas*, Templa ſeu Eccleſias *fana, delubra*, Liturgiam, *diuinas preces*, ἐγκαίνια *renoualia*, ἐγκαινίζειν ναὸν, *renouare templum*, cùm ſit conſecrare & dedicare templum. προέλευσιν, *Progreſſum* ſeu *proceſſum*, cùm eccleſiaſticum vocabulum ſit *proceſſio*, ſeu *ſupplicatio*.

Nec eſt tolerabilis fraus illa Leunclaii, qui hanc altaris definitionem apud Gregorium Nazianzenum: δώρων δοχεῖον ἁγνὸν, ἡ θεοδόχος τράπεζα, ita vertit: *Munerũ ſacrum receptaculũ, Menſa, quæ ſuffitus illos continet*. Itáne hæretice? θεοδόχος τράπεζα eſt *menſa ſuffitus continens*? ſed oſtẽdit Lutheranum vel Caluinianum interpretem vox θεοδόχος, *Deum recipiens*, ſi enim altare eſt menſa, in qua Deus recipitur, oportet, vt ſub illis δώροις, hoc eſt, ſub ſpeciebus panis & vini, verè contineatur Chriſtus Deus, huius enim reſpectu appellatur θεοδόχος τράπεζα. Eadem fide vertit illam definitionem, αἱ προσφοραὶ δὲ τῆς θεοῦ σαρκώσεως παθημάτων τε τῶν θεοῦ κοινωνία: *oblationes incarnationis Dei, Deiq; cruciatuum participatio ſunt*: vbi per *oblationes* intelligit illas, *quibus nobis*, vt ait, *ſacra ſymbola offeruntur*, cùm certiſſimum ſit, S. Gregoriũ loqui de oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, ſeu de ſacrificio Miſſæ. Quis enim neſcit, προσφορὰν Græcis eſſe Liturgiam ſeu Miſſam? Idem μετάνοιαν interpretatur *reſipiſcentiam*, ex mente Lutheri, quaſi μετάνοια nihil ſit aliud, quàm præteritorum peccatorum deſertio.

Vnum

Vnum adhuc candoris hæretici exemplum adiungam, obſeruatum à *P.* Sebaſtiano Heiſſio Societatis noſtræ, qui de eo his verbis me admonuit.

Inſigne perfidiæ exemplum videtur dediſſe Ioannes Oecolampadius, ex quo diſcamus, qua fide ſanctos ſeu antiquiores Patres tractent & interpretentur Hæretici noſtri, quam item fidem mereantur, ſi contra Catholica dogmata ſuos allegent Codices. Oecolampadius ſiquidem interpretatus Theophylactum, à ſe impetrare non potuit, vt redderet locum optimum inviceſimum primum caput Ioannis, vbi Theophylactus in illa verba, *Paſce oues meas*, ſic ſcribit: Ἐπειδὴ τέλος εἶχεν αὐτῷ τὰ τοῦ ἀρίστου, τῷ Πέτρῳ τὴν προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων ἐγχειρίζει, οὐκ ἄλλῳ δὲ, ἀλλὰ τούτῳ ταύτην δίδωσι. &c. Et poſt vnam pag. ἐνεχείρισε μὲν τῷ Πέτρῳ τὴν πάντων τῶν πιστῶν προστασίαν· εἰ γὰρ καὶ τὴν Ἱεροσολύμων Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβεν, ἀλλὰ Πέτρος τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. *&c.* quæ clara primatus Petri teſtimonia cum omnibus interiectis, & quibuſdam antecedentibus & conſequentibus verbis (ne manifeſta, credo, nimis fiat fraus) omittit Prædicans, eorumque loco propriam concionem attexit: his tamen ſibi cauet verbis: *quia hic deficiente charta in exemplari, operæpretium viſum eſt, nonnulla infarcire, tu mihi, Lector, boni conſulas, & ſi vel in exemplar non mutilum incideris vel probatius quiddam habueris, tu quoque in medium afferre non dedigneris.* Quomodo ſibi quis perſuadeat mutilum hoc loco redditum Theophylactum, niſi ipſius Oecolampadij, aut ſociorum eius artibus? Quis credat caſu intercidiſſe ex toto Theophylacto hanc vnam pagellam Petri in cæteros etiam Apoſtolos primatus tam probum teſtē? cuius paginæ verba facilè ſibi inimiciora Oecolampadius vidit, quàm ea, quæ paulò poſt ſuam concionē ad Theophylactum reuerſus, expreſſit: *qui antea non audebat interrogare*

rogare de traditore, ſed alteri committebat interrogationem, illi omnium præfectura concreditur, & non ſolùm nō committitur, ſed & pro illo ipſo, qui maximè diligebatur, interrogatur. Vidit Prædicans faciliùs ſe hæc verba ad falſum ſenſum poſſe torquere, quàm priora. Dicunt enim, Petro in omnem populum non in ipſos Apoſtolos præfecturam commiſſam, quæ & cæteris Apoſtolis commiſſa erat; quam gloſſam non patiuntur priora & omiſſa verba: *Non alii, ſed huic* &c. Adde nec poſteriora hæc ſine dolo reddita; ſed ita obſcurè, vt quod aſſeritur, mox negari videatur, vt patet ex illis verbis (& non ſolum non committitur) pro, & non ſolum alteri, quæ ad ſe attinebant, non cōmittit, καὶ οὐ μόνον ἑτέρῳ τὰ καθ᾽ ἑαυτὸν οὐκ ἐπιτρέπει. At fortè aliter habuit Codex, quo vtebatur Oecolampadius. Obſequentiſſimus ergò fuerit Codex, qui in clarioribus Petri primatus teſtimonijs vel variat, vel omninò obmuteſcit.

Hæc ex infinitis pauciſſima, ſatis ſunto, nam aliàs, ſi Deus vitam dederit, de iſtis dicendi locus erit. Arbitror autem ex his, quæ diximus, ſatis manifeſtum eſſe, quibus nam innatum ſit, veterum Patrum ſcripta corrumpere, Hæreticisné, qui ſine corruptelis ſacrorum Oraculorum, & veterum ſcriptorum, efficere nihil poſſunt, an Catholicis, quibus nihil gratius, quàm vt antiquorum Patrum monumenta ſincera & integra perſeuerent.

CAPVT VII.

Refutatur impudentia Angli cuiuſdam Caluiniani, vociferantis, ſcripta Patrum à Catholicis deprauari.

VErum enimuerò his in præſentia valere iuſſis, ad Thomam Iames Anglum veniamus: qui Indicem Bibliothecarum Angliæ in lucem edidit, in

cuius præfatione ita furit & bacchatur, vt non temerè de ſtatu mentis deiectus videri queat. Inter cætera hæc effutiuit de Catholicis verba; *Corrumpunt Patres, Auguſtinũ, Cyprianum, Chryſoſtomum, Cyrillum, & cæteros, quorum nomina Indicibus expurgatoriis & cenſuris plusquam Diabolicis conſignarunt perfidè, ſceleratè, nefariè, impientiſſimè truncando, deprauando, augendo, minuunt, prout ipſorum propoſito conuenit. Vexant Patres antiquos, nouos euerrunt, imò euertunt, ſcripturam, hiſtoriam, vbicunque eis aduerſatur, adulterant, & deprimunt.* Placidè, Caluiniſta, placidè. Nomina vel vnum librum vnius ex quatuor prædictis Patribus, qui in vllo Indice prohibitorio aut expurgatorio interdicatur. Nomina, aut frontem exporrige, vt calumniatorum nota inuratur. Non Auguſtinus, non Cyprianus, non Chryſoſtomus, non Cyrillus, ſed hæreticorum gloſſemata, nugamenta, mendacia & conuicia, modò nominatis Patribus à mendacibus hæreticis ſuperaddita, prohibentur & proſcribuntur, & vt expurgentur & ſempiterna obliuione obruantur, ab Indicibus, tã Hiſpanicis, quàm Neapolitanis, Romanis, Portugalenſibus (quos tu citas) præcipitur.

Sed vt ſingula, quæ adducis, ſigillatim inſpiciamus: dic Caluiniſta, quis corrupit S. Auguſtinum? Reſpondes ad oram putidæ tuæ præfationis: *Auctor libri cuiuſdam probantis Ioannem VIII. fœminam fuiſſe.* Sed quis ille auctor? Exprime nomen. cur obmuteſcis? cur vox faucibus hæret? cur non profers ex Auguſtino locum illum deprauatum, vt videre poſſimus, tuné deprauator ſis, an ille quem accuſas? Fortaſſe, quia Auguſtini verba citando vnum aut alterum verbum omiſit vel immutauit, ſeu caſu ſeu incuria, id ſtudio corrumpendi tribuis. Et ſi auctor ille talis fuit, qui demonſtrare niteretur, Ioannem VIII. fuiſſe fœminam, fortè tui ſimilis, hoc eſt, ἐπιθέτης, non autẽ Catholicus

tholicus erat. Grauior eſt accuſatio de corrupto S. Cypriano,

Cyprianus, inquis, *corruptus eſt quater in vno libro pro tuendo Papatu, probatur ex appendice.* Audiamus igitur, quid in appendice tua agas. Quatuor locos profers ex libro de Vnitate Eccleſiæ. Hos ope quorundam manuſcriptorum codicum fretus; ais à *Papiſtis pro tuendo primatu Papæ fuiſſe corruptos.* Exſcribemus locos ex Pariſienſi editione Iacobi Pamelij anno 1574. Primus eſt iſte: *Super illum vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Ita Pamelij editio: Tui codices in hunc modum. *Super vnum ædificauit Eccleſiam*: omiſſis cæteris. Paulò pòſt Pamelius: *Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cui tenueritis, tenebuntur.* Tui codices, *Si cuius remiſeritis, &c. remittentur ei, ſi cuius tenueritis, tenebuntur.* En crimen, en plagium Papiſtarum ad firmandum Pontificis primatum. *Cuius* mutarunt in *cui*, *eius* in *ei* dictionem, *illum*, adiecerunt ad vocem *vnum*, & inſuper illa verba: *& illi paſcendas mandat oues ſuas*, appoſuerunt. Quàm immanis corruptela, quia non eſt idem ſenſus: *Deus ædificat vel ædificauit ſuam Eccleſiam ſuper vnum (P*etrum de hoc enim ſermo eſt) & *Deus ædificauit Eccleſiam ſuper vnum* (nempe Petrum) Nec idem ſenſus eſt: *Si cui remiſeritis peccata*, &, *Si cuius remiſeritis peccata.* Nec idem: *remittentur illi*, &, *Remittentur ei.* Item, ſi verba illa: *& illi paſcendas mandat oues ſuas*, non adeſſent, ex ſolis illis, *Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam*: non ſatis colligeremus ex ſancto Cypriano, primatum ſancti Petri: quaſi eſſe illum, ſuper quem Eccleſia ædificata eſt, & eſſe illum, cui cura ouium Chriſti commiſſa eſt, non ſit vnum & idem, etſi à diuerſis metaphoris deſumptum? Quàm intolerandæ ſunt iſtæ deprauationes!

Deinde, dic Caluiniſta, nonne Grauius, Manutius, & Morellus verba iſta repererunt in codicibus manuſcriptis, verba inquam illa, *Et illi paſcendas mandat oues ſuas.* & quidem in omnibus, quos viderant, etiam in Anglicanis, viderant autem nec paucos, nec malæ notæ. Nonne hoc annotauit iamdudum Pamelius? vt & illam lectionem codicis Anglicani, qui habet, *ædificauit*, pro *ædificat*. Quid ergò tu de corrupto Cypriano pro primatu Pontificum metiris? cùm primatus in ipſo Cypriani loco, etiam omiſſo illo additamento firmiter conſiſtat, cumq; antiqua exemplaria, quæ doctiſſimi illi, fideq; digniſſimi viri conſuluerunt, ea verba repræſentent, quæ rectè addi, liquet itidem ex his proximè antecedentib. S. Cypriani verbis *Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas.* Sicut ergò Cyprianus verbis illis, *ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam*, alludit ad illa: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram* Matth.16. *ædificabo Eccleſiam meam*: quæ paulò antea citauerat, ita & Ioan,21. his: *& illi paſcendas mandat oues ſuas.* alludit ad hoc: *paſce oues meas*, quod iam iam S. Cyprianus adduxerat.

Quanta igitur huius Caluiniſtæ improbitas eſt, cùm ita paratragœdiat, quaſi Papiſtæ immane quoddam plagium in Cypriani libris admiſerint: cùm idem ſit ſenſus, ſiue adſint, ſiue abſint illa verba. Nec ſapiat, qui plus fidei huic Hæretico & Codicibus ei obſequentiſſimis habendum eſſe credat, quàm ſuprà nominatis clariſſimis viris, libros veteres cum Fide & Religione tractare ſolitis. Liquet ergò prima deprauatio. Videamus alteram

Secundus locus S. Cypriani, quem Caluiniſta pro Papatu corruptum criminatur, eſt iſte eodem libro & loco. *Vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit*

Hoc

Hoc erant vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus. Ita editio Pamelii. Quid Caluiniſta ex ſuis Codicibus? *Vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua au-ctoritate diſponit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus.* En alterum Plagii crimen: ſed crimen hoc, vt & prius antiquiſſimis codicibus defenditur, quibus vſus Manutius, aliiq; eruditi viri de Cypriano benè meriti: quod autem fide talium codicum nititur, id non eſt crimen falſi, ſed reparatio & inſtauratio veri, vtq; verbis nonnullis, codices, quos iſte profert, carerent; at alii, vel paris vel longæ melioris notæ non carent. Itaque codices opponimus codicibus. Mitto dicere, quod antea dictum, lubricæ fidei Hæreticos eſſe, cum aliquid huius generis affirmant. Conſtat enim omnibus, qua mente tractent veterum Patrum monumenta, præſertim illa, quæ Petri primatum firmare videntur. Manifeſtum exemplum adduximus capite ſuperiore ex Oecolampadio. Deinde idem prorſus eſt ſenſus Pamelianæ lectionis, & eius, quam iſte profert, vt conſideranti & conferenti planum erit.

Ad tertium locum accedamus, qui eſt iſte. *Hoc erãt vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & poteſtatis. Sed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna monſtretur. Et paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. Quam vnam Eccleſiam etiam, &c.* Hæreticus ex ſuis codicibus hanc lectionem producit. *Exordium ab vnitate proficiſcitur. Quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico, &c.* omiſſis videlicet, quæ de primatu S. Petri nimis clarè loquũtur; quia offendunt aures Hæreticas.

Sed quis non potius credendum exiſtimet Manutio ex antiquiſſimis codicibus (quorum vnus nongentorum

annorum erat) prædicta verba depromenti: quàm huic Hæretico, de cuius fide ſemper vacillet oportet aſſenſus, cùm ſit Caluinianus: Vt taceam, eadem verba à *Pamelio* in codice Cambronenſi optimæ notæ, vt & ab Hoſio Cardinale in alio vetuſto exemplari reperta eſſe. Nec tantum cauſſæ habuit Manutius, aut vllus Catholicus, vt contra Codicum fidem hæc verba Cypriano aſſueret; quantum habuit iſte Hæreticus, vt ea exſcinderet: quia catholicis ex ipſo quoque Cypriano clariſſima teſtimonia pro primatu Petri ſuppetunt: at Hæreticis vix locus vllus tam perſpicuè obnititur, quàm iſte. Quocirca non mirũ ſi vel in aliquibus exemplaribus non reperiri mentiantur, aut eradant, aut exſcindant. Hic enim mos eſt Sectariorum. Si autem verba illa verè non reperiũtur in codicibus illis Anglicanis, quos iſte fortaſſe limis oculis inſpexit, non propterea Cypriani non erunt, cùm in alijs, & quidem vetuſtiſſimis compareant, indeq; in publicum ſint eruta, à viris quibus mendacium longè eſt inuiſius, quàm Caluinianis.

Quartus & vltimus locus, quem Caluiniſta obijcit, eſt iſte. *Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Ecceſia ſe eſſe confidit?* Ita editio Pamelij. Quid hęreticus ex ſuis obedientiſſimis codicibus? *Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Sed quæ hoc loco fraus? An non Pamelius hanc lectionis diuerſitatem annotauit? An non lectorem monuit? Soletne, qui crimen falſi committere cogitat, lectorem de diuerſitate Scripturæ præmonere? Annon quiuis falſarius ſuam pro authentica ſcriptura obtrudit, etiam ſine ratione, etiam ſine præſidio antiquorum Codicum? Quæ mens longè à Pamelio, alijsq; Catholicis. An non Pamelius indicauit, vnde hanc lectionem hauſerit? An non

vidiſti Cambronenſem codicem? Cur tuos rancidos caudices, qui fortè vix ſæculũ ferunt, anteponeremus exemplarib. ſinceris, & à nulla Caluiniana manu tactis? *P*udeat te Caluiniſta Thraſonicæ tuæ impudentiæ, qui ita Papiſtis inſultas, quaſi nullum vetus Cypriani exemplar viderint, lectionesq; varias à te notatas, nemo mortalium vnquam notauerit, cùm tamen Pamelius & alij, qui Cypriano emaculando operam dederunt, omnes annotent, omnes, inquam, alicuius momenti: Nam futiles illas, cùm *ei* pro *illi*, *cui* pro *cuius*, ponitur, quis tandem æſtimet, cùm in omni librorum genere nihil ſit vſitatius, quàm vt hæc talia permutentur.

Nec illud prætereibo, me in Bauarica Bibliotheca incidiſſe in membranaceum manu exaratum, optimæ notæ exemplar Cypriani. Inſpexi locos, quos Caluiniſta accuſat, cum editionibus Catholicorum contuli: Deprehendi codicem illum perantiquum, ſententia quidẽ, ſi non verbis aut ordine verborum, cum Pameliana editione conſentire. Id vt videas, lector, en ipſa Codicis verba:

Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, *quia tu es Petrus, &c.* Paulò pòſt. *Et idẽ poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super vnum ædificat Eccleſiam, & illi paſcendas oues mandat. Et quamuis Apoſtolis omnibus parem tribuat poteſtatem, vnam tamen Cathedram conſtituit, & vnitatis originem orationis ſuæ authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtiq; & cæteri quod Petrus; ſed primatus Petro datur, vt vna Eccleſia & cathedra vna monſtretur, & paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur, hanc & Pauli vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit, qui cathedram Petri, ſuper quam fundata Eccleſia eſt, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? ſuper vnũ ædificauit Eccleſiam. Et quamuis Apoſtolis omnib. poſt reſurrectionẽ ſuã parẽ poteſtatẽ tribuat & dicat: Sicut miſit me pater,*

& ego

& ego mitto vos: Accipite Spiritum Sanctum; ſi cuius remiſeritis peccata, remittentur illis: ſi cuius tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apoſtoli quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi, & honoris & pietatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia Chriſti vna monſtretur; quam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum, &c. Hæc ex Bauarico Codice.

Nunc quid corruptelæ ex Chryſoſtomo nobis obiicias, audiamus. *In Chryſoſtomo,* inquis, *in Opere imperfecto, in quibuſdam editionibus, deleta ſunt verba, niſi tantummodo per ſcripturas, in expoſitione 24. cap. Matthæi.* Sed meminiſſe inprimis debebas, Caluiniſta, librum illum, *Imperfecti Operis,* non eſſe Chryſoſtomi, vt agnouit quoq; Eraſmus, publicè id teſtatus; Eſt enim hominis Ariani, quod non vno loco liquet. Secundo, cur non nominaſti editiones, in quibus verba illa ſunt omiſſa? cur generali editionum nomine contentus es, cum toties opus illud ſit culum & recuſum? nam in editionibus, quas nos vidimus, inueniuntur verba quæ tu exſecta conquereris. Tertio, cur non cogitaſti verba illa, ſi qua in editione prætcrita ſunt; ideo prætcrita eſſe, quia in aliquibus codicibus non ſunt reperta: vel, quia impietatem Arianam olent; vt certè olet totus iſte locus, qui tibi has querelas exciuit. Eſt enim in Homilia 49. in Matthæum; totus Arianus & profanus. An verò falſarium agit, qui Arii fermentum ex libro aliquo tollit, cum & ius ciuile & Canones iubeant & mandent, vt omnia Arii monumenta funditus aboleantur.

Eraſmus præfat. in opus imperfect.

Auctori Operis imperfecti addit Caluiniſta Cyrillum, quaſi à Papiſtis corruptum. *In Cyrillo,* inquit, *res manifeſta eſt ex verbis:*

In textu deleatur hoc: deleatur illud; Sed tu, ſi mendax

non

non es, oſtende vllum Indicem expurgatorium, qui aliquid, quod ad ipſum & genuinum Cyrilli contextum pertineat, oblitterare præcipiat. Gloſſemata ab Hæreticis Cyrillo aſſuta, ſcholia, malè feriatorum annotamenta & interpretamenta expungenda ſunt, & inducenda. Hæc mens Indicum, non illa quam tu ex tua mente fingis. Nihil enim ſpongia dignum in Cyrillo, quod quidem ſit Cyrilli: Verùm miſſo ineptiente iſto Caluiniſta, ad Iunium oratio noſtra regrediatur.

CAPVT IIX.

Quibus indiciis librorum corruptelæ deprehendantur, eorumq́; partim examen, partim refutatio.

IVnius hac de re ita differit, vt quid velit, ipſemet fortaſſè neſciuerit; tam perplexè & intricatè loquitur: Et quia ſcire non licet, quid dicat, coniiciamus quid dicat, primoq́; videamus, quibusnã inſtrumẽtis ipſe falſas librorum Epigraphas & corruptelas inueſtigari poſſe doceat; deinde quid verum ferat, ſubnectamus.

Primum, inquit, *eſt, lima iudicii à viris doctis & idoneis adhibita.* Non negamus, hanc rationem falſæ inſcriptionis, & corruptelæ indagandæ aptam eſſe, ſi lima intra limæ limites maneat, atterendiq́; prurigine non eò vſq; procedat, vt ipſamet alia ſani, & integri iudicii lima egeat. Quod ſanè multis, qui ſe limatiſſimo iudicio omnia expendere putabant, euenit, præſertim Eraſmo, qui dum omnia, vt ſic loquar, limat, in omnium limas non immeritò incurrit, quem Iunius ait plerunq; *in recenſendis & explorandis multorum ſcriptis limam habuiſſe bonam & affabrè factam.* Certè tàm affabrè factam, vt niſi alii limas ſuas interpoſuiſſent,

non pauci ex ſcriptoribus tam profanis, quàm Eccleſiaſticis, maxima operum ſuorum parte carerẽt, Auguſtinus ꝓſertim, quem Criticus iſte ita limauit, vt ferè ſemiſſem lucubrationum Auguſtinianarum detriuerit. Apage Iuni cũ his tã limatis Cenſoribus: Liceat Martialis verſus παρῳδεῖν.

Neſcis heu neſcis Criticæ faſtidia limæ.
Crede mihi nimium turba ſapit Critica.
Maiores nusquam ronchi, iuueneſq; ſeneſq;,
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

Quod non eò dicimus, quaſi Criſi nihil tribuamus; tribuimus, & quidem multum; ſed Criſi modeſtæ, conſideratæ, circumſpectæ; non arroganti, præcipiti, temerariæ, qualis pleraque omnis, quæ nunc veterum monumenta tractat. Danda eſt Criſi licentia; ſed *ſumpta pudenter*. Audacibus, & quiduis pronunciare ſolitis, occinendum eſt illud Epigrammatarij.

Naſutus ſis vſq; licet, ſis deniq; naſus;

ſæpius tamen grauiſſimè & turpiſſimè impinges, niſi frænum naſo tuo iniicias.

Verum enimuero ne ipſe quidem Iunius valdè firmum præſidium in Critica collocat. Quocirca ait; *hoc iudicium à contentioſis hominibus controuerti poſſe.* Imò etiam à pacis amantibus: quia iidem ſimul etiam veritatem amant; cui nihil magis eſt inimicum & aduerſum, quàm effrenis iſta iudicandi libido, qua impulſi, & libros, librorumq; non modicas partes obelis confodiunt, aſteriſcis notant, nouisq; nouorum auctorum nominibus exornant.

Alterum indicium, & quidem, iudicio Iunii certius, eſt, *aliorum exemplarium, eorundemque veterum comparatio.* Fatemur, hanc non eſſe incommodam rationem inquirendi, quæ cuiusq; Auctoris ſint propria, quæ aliena. quæ aduen-

uentitia, quæ dominata, quo in genere docti quidam, vt Pamelius, Manutius, Morellus, Feuardentius, Theologi Louanienſes, Marianus Victorius, & alii, noſtrâ memoriâ fidelem operam nauarunt. Alii verò, vt Iunius & ſimiles, mala fide exemplarium nomina iactauerunt, quæ non habebant, & eorum quæ habebant fidem corruperunt arbitratu ſuo. Teſtis Iunius ſuo in Tertulliano, quem, quo candore emendandum & illuſtrandũ ſuſceperit, oſtẽdi iam in animaduerſionibus ad notas Iunianas, vt de Curopalata nihil dicam, quem non peruertit modò, ſed & propè dixerim, funditus euertit.

Atq; hinc tertium natum eſt indicium, ait Iunius. Quod nam illud? Audiat verba, qui volet; intelligat, qui poteſt. *Nam cum ſtuduerunt iſti exemplaria vetera corrumpere, id eis perſæpe vſu venit, iuſto Dei iudicio, vt manum iteratò, tertiò, & quartò, adeoq; amplius coacti fuerint adhibere, ad refingenda ea, quæ inſtituerant. Itaq; ne tum quidem ſatis ſibi factum putauerunt, cum res iam prælo typographico permiſſa eſt, ſed poſt illud etiam tempus, quo cœperat feruere opus, & iuſta folia impreſſa erant, ea recognouerunt denuò, & typographis iuſſerunt, vt iis abiectis, nouas plagulas curarent, & redindegrarent opus damno ſuo. Reluctantibus typographis, & ſumptui ſuo parci rogantibus, folia interſecta ſunt, alia ex ſemiſſe, ex quadrante alia, & ſemiſſales vel quadrantales plagulæ tantum ipſis imperatæ. Hinc igitur tertium indicium, quod folia typographica interſecta ſunt, & diuiſa proſtant in eodem exemplari venalia, cum ratio hæc commoda videretur, qua Domini cenſores ſuas nugas mendaciaque pro rebus ſeriis & veris venderent, & miſeri typographi minus ſentirent incommodi.* Hæc Iunius; ex quo ſi quæras, vt à theſi ad hypotheſin deſcendat, nominatimque deſignet aliquem ex Catholicis, qui cum non ſua, ſed aliena lucubratione in lucem edenda, priuato nomine ad

prædictum modum egerit, auctorisq; verba expunxerit, aut deprauarit, ſubſtitutis in eorum locum peregrinis, magis nimirũ mutus erit quàm piſcis, niſi Iobum Gaſtium, Eraſmum, ſeipſum, aliosque de eadem tribu nominare velit, quos cùm in veterum Patrũ ſcriptis verſantur, Quintilium illum Horatianum imitari non iniuria dixeris.

Horat. epiſt. ad Piſones.

Quintilio ſi quid recitares, Corrige, ſodes,
Hoc, aiebat, & hoc. melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtrà, delere iubebat.

Etſi benè Quintilius, quod iſti peruersè. Quia ille in edendis hanc correctionem adhibebat, Auctore non inuito; iſti in editis iamque iuris publici factis, (tametſi interdum temporis diuturnitate iterum propè ſepultis) auctoribusq; ipſis reluctantibus. Quare non tam corrigunt, quàm corrumpunt, nec tam emaculant quàm contaminant.

Lepidum autem, quòd Iunius ſua ſuorumque crimina transfert ad Orthodoxos, & quod quiſq; iuris ſibi meritò ſumit in propria, id à noſtris mentitur vſurpari in aliena. In proprij ingenij partu locum habet illud:

Horat. lib. 2. epiſt. 2.

Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti,
Audebit quæcúnque parum ſplendoris habebunt
Verba mouere loco, quamuis inuita recedent.

Horat. ad Piſon.

incomptis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget.
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit.
Fiet Ariſtarchus.

In proprijs, inquam, hæc & plura talia non modò licita ſunt, ſed & laudanda, at in alienis, nulla cenſura ab Eccleſia notatis, omnis illa cenſura priuati cenſoris illicita eſt, & vituperanda, quæ auctori non ſua ſupponit, ſua adimit

mit, ſiue bona ſint, ſiue mala: ſiue clara, ſiue obſcura. *Sæpe ſtylum vertas*, monet vates Venuſinus: ſed in tuis, non in alienis, in quibus ſtylum nunquam vertere fas, niſi, vt aut Auctori reſtituas ſua, aut exturbes ſuppoſititia. Nec excuſabere, ſi dicas: Ille, *ſi foret hoc noſtrum fato dilatus in æuum, detereret ſibi multa, recideret omne, quod vltra perfectum traheretur.* Nam vt ita ſit, tibi tamen, qui priuatus es cenſor, non ideo poteſtas conceſſa eſt, vt quidquam in alieno opere, nullo ſtigmate ab Eccleſia inuſto, immutes. Ergò in veterum Patrum monumentis verſantem manus continentes & abſtinentes habere oportet, vt nihil eo loco moueat, quo ab Auctore primitus collocatum eſt. Quod ſi tam religioſè aut præſtitiſſent, aut præſtarent Hæretici, quàm Catholici, minus querelarũ de huiuſmodi fraudibus & impoſturis exſtitiſſet. *Horat. lib. 1. ſatyr. 10.*

Ne tamen Prædicantes hæc in calumniam trahant, apertè profiteor, me loqui de priuatis editoribus. Nam Eccleſiæ Præſules, Academiæ Catholicæ, & alij, quibus in nauicula Petri Speculatorum munus obtigit, iure ſibi à ſummo nauarcho conceſſo, omittere aut delere poſſunt ſi quid, re benè expenſa, fidei & moribus potius obfuturum quàm profuturtm videatur. Item, quòd dico, cuiuis fas eſſe mutare ſua, id ad Hæreticos transferendum non eſt, qui ſcripta ſua etiam prima, & temerè effuſa, iactant, alijſque proponunt, tanquam ſacris litteris, ipſiq; veritati prorſus conſentanea, immotoq; verbo DEI inconcuſsè ſubnixa. Nam iſti, ſi quid poſtea mutent, & prioribus contraria ſubſtituant, clarè teſtãtur, ſe mentitos, aut ſaltem deceptos eſſe, cùm priora illa, tanquam ex verbi diuini intimis, vt ſic loquar, viſceribus eruta, alijs obtruſerunt & dilaudarunt. Quòd ſi prima vice mentiti, aut, vt mitiùs dicam, decepti ſunt, cauſſæ nihil ſuppetit, cur altera vice,

poſt inſtitutam operis mutationem, eoſdem mentiri aut decipi poſſe non credam. Sed de his fuſius infra, vbi plures rationes adferemus, cur ferendum non ſit, vt iſti, qui ſe reparatores Euangelii iactant, ſua toties mutent.

At vide, mi lector, quàm Iunius iſte ſit criticus *naſutus*, quàm *totus deniq; naſus*, ita vt ei obtigiſſe exiſtimem, quod Poeta Veronenſis deſideraturum aiebat Fabullum, ſi olfaceret vnguentum quoddam; videlicet vt totus, quantus quantus verteretur in naſum. Nam niſi totus naſus eſſet, quomodo tam ſagaciter odorari potuiſſet fallaciam & technam, qua libri iam olim & deprauati ſunt, & etiamnum deprauantur. Ecce acumen:

Multis in libris magna apparet foliorum inæqualitas; nam quaternionibus iuncti ſunt terniones; ternionibus, biniones ſeu duerniones, binionibus, vniones; vnionibus, ſemiſſes. Signum ergò certum eſt & euidens, aliquid mala fide omiſſum ab editoribus: quorum importunitate typographi coacti, non rarò recudere debuere, quæ ipſi refinxerant, vt cum integra folia denuò typis deſcribere nollent; ſemiſſales ex ſemiſſe; & quadrantales ex quadrante; plagulæ tantum ipſis imperatæ ſunt. En artificium, cuius ſi non pudet Iunium, frontem exuit. Quid enim vanius, quam inde colligere aliquid præteritum eſſe ab Editore quod non ſemper par numerus *Bogiorum*, vt Germani, ſeu, vt ipſe vocat, *plagularum* coniugetur, ita vt aliquando opus ternionibus cœptum biniones ſeu vniones admixtos habeat, quod adeò nullius impoſturæ argumentum eſt, vt multi typographi ad calcem librorum diligenter annotare ſoleant; quæ folia ſint duplicia, aut triplicia, quæ ſimplicia, quòd qui editioni præſunt, nunquam permitterent, ſi hac in re fraus lateret. Quis enim ad impoſturæ latibula

bula digitum intendit? Et totum hoc in manu Typographorum eſt ſitum; vt aut duplicent, aut triplicent, aut quadruplicent chartas arbitratu & commodo ſuo, prout fert materia.

Sed ne, quæ dicit Iuni⁹, temerè dicere videatur. *Exemplum*, inquit, *eſto, in libro Græco, quē ante annos aliquot Franciſcus Turrianus edidit, inſcripto* διαταγαὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, *&c. cuius hominis audaciam in deformandis veterum ſcriptis & auctoritatibus ſpecioſo antiquæ membranæ vnius aut alterius obducto nomine, vident homines iudicio præditi, videbit poſteritas atq; mirabitur. Nam quotusquiſque eſt, qui hoc argumento indicioq; non animaduertat vanitatem hominis, qui vel eo ipſo iam luit pœnas leuitatis & infidelitatis ſuæ, quòd illi diſſecti libri, & ſegmentata folia palam clamitant, rem non vnius Auctoris, neq; operis continentis eſſe.* Quis verò ſanæ mentis non miretur vanitatem Iunij, qui vtrum hæc ſobrius ſcripſerit, meritiſſimò dubitari poteſt. Edidit Franciſcus Turrianus conſtitutiones Apoſtolorum conſcriptas à Clemente Romano Græcè cum græco proœmio, eoq; valde prolixo, ſcholijsq; apologeticis, edidit inquam, Venetijs anno 1563. in quarto, vt vocant. Conſtat totus liber duobus Alphabetis, & præterea ex tertio, ſolo alpha triplicato. Proœmium Turriani quinque primis Alphabeti elementis ſignatur: Solent enim Typographi, vſitato artis ſuæ more, chartas notare litteris, memoriæ cauſſa, ne qua confuſio ex chartis non ſignatis exſiſtat. Omnes litteræ, quibus charta ſignatur, continent quatuor folia, ſeu vt nos Germani nominamus vnum *Bogium*, præter E proœmij, quod medium complectitur. Et hoc ipſū ſub finē libri annotauit his Italicis verbis ipſemet Typographus: *Tutti ſono duerni, eccetto E, quale mezzo.* Cui *duernus* eſt, quod nobis *Bogius*,

Quæ

Quæ cùm ita ſint, vt profectò eſſe competiet, quiſquis Turriani libros inſpicere voluerit, mirari ſubit, qua mente & fronte Caluiniſta iſte Turriani librum pro exemplo tertij huius ſui indicij adducat. Vbi enim vllum folium in hoc Turriani, vel potius Clementis libro, interſectum eſt, aut diuiſum? vbi illa tua *ſegmentata* folia? vbi plagulæ *quadrantales* ex *quadrante*, & *ſemiſſales* ex *ſemiſſe*? vbi diuiſio illa & inæqualitas foliorum? vbi illa indicia à te iactata, quæ Turrianum *vanitatis*, *leuitatis* & *infidelitatis* arguunt, palamque clamitant, *Rem non eſſe vnius auctoris, neq; operis continentis?* Nihil horum apparet, ſed indicia impudentiæ tuæ, quocunque oculos conuerto, apparent; quotque ſyllabas lego, tot detritæ frontis tuæ teſtimonia noto. Si calumniari lubebat, cur id non facis tectiùs aut cautiùs? Nam quiſquis Turriani librum vel ſolùm inſpiciendi gratia aperit, is ſtatim fraudem tuam deprehendit, cùm nihil eorum, quæ tu dicis, in eo reperiatur: & vt maximè folia inæqualia reperirentur, an propterea argumẽtum fraudis, aut plagij à Turriano commiſſi inde ſumeretur? Quaſi verò inæqualitas illa ſit ab editoribus, non à Typographis, qui, prout fert materies, aut occaſio, folia diuidunt, vt ſuprà dictum. Nec vnam duntaxat aut alteram membranam Turrianus habuit, cùm Clementem Græcè edidit, ſed tria valdè antiqua exemplaria; Vnum ex Calabria, alterum ex Sicilia, tertium ex Creta, vt ipſemet in ſuo prooemio tam Græco, quàm Latino teſtatur: nam poſtea Clementem in Latinum quoque tranſlatum, vulgauit. Sed noui cur in Clemente Turriani videantur tibi *diſſecti libri*, & *folia ſegmentata*, quia ſi ſtent illæ διαταγαὶ ſeu *Conſtitutiones*, omninò neceſſe eſt, vt Caluiniana Synagoga peſſum eat, eòque vnde prodijt, ruat. Sed ſtant ſtabuntq;

ſtabuntq;, quia à Turriano immotis columnis ex totius antiquitatis memoria petitis, ſuffultæ ſunt.

Capvt IX.

Refelluntur calumniæ & conuicia Iunii in Pontifices, Concilia, Academias, Collegia. Digreſſio interpoſita contra Hunnianam vaniloquentiam.

HActenus, vtcunq; parcè ſparſit Iunius conuicia & mendacia. Nunc αὐτῷ τῷ θυλάκῳ iacere ingreditur, ipſoſq; Pontifices, & celeberrimas Vniuerſitates inceſſit, quaſi omnia *antiquitatis veneranda ſcripta commaculent, vexentq; ſanctorum Patrum manes, & priſcæ illius Eccleſiæ dogmata, monumenta, exempla non dubitent cenſoriâ virgula ferire, & patres orthodoxos rigidis notarum telis configere.* Sed hæc vana eſſe Caluiniſtæ huius commenta, quis non videt? Cuius enim orthodoxi Patris libros aut prohibuit, aut decurtauit, aut expurgauit, aut notis confixit Eccleſia? Extat decretum Gelaſij de libris. In eo opera Tertulliani, & Origenis quædam cenſura notantur: duos iſtos etſi doctiſſimos & antiquiſſimos, nemo in orthodoxis Patribus numerat, niſi ille, cui Montanus orthodoxus eſt, & Origeniſtæ, Catholici. Eadem cenſura notauit Gelaſius aliorum itidem opuſcula quædam, vt Caſſiani, Clementis Alexandrini, &c. quod continerent errores nonnullos, vel Pelagianis, vel aliis Hæreticis affines: Nullum dogma Eccleſiæ priſcæ, nullum monumentum aut interdictum, aut exſtinctum eſt, vt iſte calumniatur. Et nonne hodie totus Tertullianus elegantiſſimè excuſus, & cõmentariis illuſtratus paſſim legitur & teritur; vt & Caſſianus, Clemens, Origenes, Euſebius, ſimiles? Eſtné ali-

quid expunctum aut reciſum? Nam quòd Gelaſius ſuo æuo vetuit, aut ſub cenſuram miſit, ſuas cauſſas, easq; probabiles habuit. Et quòd hoc tempore paſſim permittuntur, id itidem iure fit, vt libro primo dictum. Etſi ſalutare eſt adiicere antidotum, vt quidem ad Tertullianum adiecit Pamelius, ad Caſſianum Cuyckius, Sorbona, vt ait Iunius, ad Lactantium; in quo nævi quidam digni nota, vt fas non eſſe bellum gerere; maleſactores occidere, & ſimilia non Eccleſiæ Catholicæ dogmata, ſed priuatorum errata. Huiuſmodi animaduerſiones ab eadem Sorbona in ſancti Auguſtini opera editas; ego nunquam vidi, idq; Iunio aſſerenti, cur non credam, non vna cauſſa ſuppetit. Nam ſanctus Auguſtinus ipſemet opera ſua accuratè recenſuit: nec tales in eo ſcopuli, quales in Lactantio, Caſſiano, & id genus aliis.

Sed qua fronte tu Pontificios de Auguſtino deprauato accuſas, cum Pontificii toties iam ſanctum Auguſtinum elegantiſſimis typis expreſſum in lucem dederint, collatum cum tot antiquis manuſcriptis exemplaribus, ſummo ſtudio & ſumptu maximo? deeſtne quidpiam in editione Louanienſium, quod ſit Auguſtini? Detraxeruntne, aut induxerunt, aut expunxerunt aliquid, vt corruptelæ meritò inſimulari queant? Reſponde, oro, Caluiniſta, aut mendacibus tuis labiis ſilentium indicito. Nec vllum ex veterum Scriptorum numero (Bertramum excipio) ſuo in Indice notauit Concilium Tridentinum, vt tu hic fabularis. In promptu eſt Index; videatur, legatur, & hæc Iunii figmenta euaneſcent.

An non Index librorum vetitorum Clementis IIX. diſertis verbis hoc præcipit? *In libris Catholicorum veterum nihil mutare fas ſit, niſi vbi aut fraude Hæreticorum aut typographi incuria, manifeſtus error irrepſerit. Si quid autem maioris*

maioris momenti & animaduerſione dignum occurrerit, liceat in nouis editionibus, vel ad margines, vel in ſcholiis annotare, ea inprimis adhibita diligentia, an ex doctrina, locisq; collatis, eiuſdem Auctoris ſententia difficilior illuſtrari, ac mens eius planius explicari poſſit.

Hæc Index Clementis octaui, quæ Iunij calumnias, vt ſol nebulas, diſpellunt; nec minus aliorum Prædicantium criminationes diſiiciunt, qui perpetuò vociferantur; *Patres à nobis corrigi & detruncari.* Fallitis Sycophātæ. Indices expurgatorii non facti ſunt in eum vſum, vt quid in Patribus inducatur, ſed vt eluantur, quæ malè ſani homines Patrum monumentis aſſuerunt. aut oſtendite in Indice Belgico, locum, vbi præſcribatur, quænam Auguſtini in ipſo Auguſtino ſint oblitteranda. Non enim me fugit, quid præcipiat de ſcholiis & gloſſematis quibus Auguſtinum contaminarunt Eraſmus & cæteri de genere eodem prauæ mentis ſcholiaſtæ & gloſſographi. De Bertramo, quem obiiciunt, poſtea reſponſum dabimus.

Mendacium, quo Iunius Concilium Conſtantienſe onerat, fortè ſatius fuerit tacitum præteruolare, quam refutare, tangendum tamen eſt. Ait Caluiniſta. *Concilium Cōſtantienſe diſertis verbis pronunciare, id à ſe pluribus de cauſſis grauioribusq; tolli, quod Chriſtus de vſu vini in ſacra cœna certis de cauſis præceperat.* At Conciliū hoc non dicit, vt mentiūtur Prædicantes; hæc enim eſt Concilii oratio. *Decernit & definit, quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraq; ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit, & ſeruat, &c.* *Concilium Conſt. Seſſ. 13.* Quæ verba longè aliud ſignificant, quàm quòd Sectarii comminiſcuntur.

Non enim *præcipiendi* verbo vtitur Synodus: ſed *inſtituendi*; dicit enim: *E*x Eccleſiæ conſuetudine Euchariſtiam ſub panis ſpecie tantum accipi poſſe, licet Chriſtus Sacramentum hoc poſt cœnam inſtituerit; & ſub vtraq; ſpecie adminiſtrarit. Aliud eſt, ô Prædicantes, *inſtituere* & *adminiſtrare*; aliud, *præcipere*. Inſtituit & adminiſtrauit Chriſtus Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie: at non præcepit, vt à Laicis ſub vtraq; ſpecie ſumatur: Et ſi hoc præcepiſſet, nullo more aut præcepto contraria conſuetudo in Eccleſiam introducta eſſet, neq; vnquam Synodus Conſtantienſis eam, vt rationi conſentaneam, approbaſſet, & contra turbatorum temeritatem nouo decreto denuo renouaſſet & confirmaſſet.

*P*ergit Iunius. *Id ſibi arrogauerunt, noui iſti Patres, fratres, Socii, Collegiati* (*P*ontificii) *vt ſuo calculo adderent, detraherent, mutarent, ſufficerentq; ſua verba in alienis ſcriptis veteribus & nouis, quæcunq; aduerſari duxerũt ſuæ ſententiæ: ſua verò intulerunt alii interpretatione, alii ſubſtitutione*. De recentiorum ſcriptis, id non inficiamur. Ideò enim Indices iſti expurgatorii conficiuntur, vt deleantur ea, quæ ſatius eſt deeſſe, quàm ſupereſſe, & quia interdum vno aut altero verbulo immutato vel adiecto res trãſigi poteſt; ideo additio conceditur. At in veterum libris hoc non licet, id enim expreſsè Index vetat. Nec expedit, nec quiſquam hoc expetit, nec neceſſarium eſt. Et quoties Prædicantes contrarium dicunt, toties faciunt quod ſolent, hoc eſt, mentiuntur.

Cæterùm Prædicantes *P*alatini, pro eo, quo ſunt in ratiocinando ſtupore, capere nequeũt, quomodo ius faſque ſit, vt recentioris ſcriptoris liber adiectione aliqua ad ſaniorem & meliorem ſenſum trahatur. Quocirca in colloquio priuato Ratiſbonenſi produxerunt exultabũdi &

di & inſultabundi: confeſſionem quandam Antonij Poſſeuini, qui fatetur libris Italicis Ioannis Bodini de Republica, quædam adiecta eſſe ab ijs, qui librum emendatum cupiebant: quædam, inquam, *de vnius Eccleſiæ Romanæ vera & vnicæ Religione, eiusque poteſtate.* *Summum crimen hoc* reputant *Prædicantes.* Quid ita verò? An ſcelus eſt, ſi qui malè & hæreticè loquuntur, doceantur benè & orthodoxè loqui? aut ſi qui diſſimulent, quod dicendum erat, iubeantur id vel inuiti proferre, ne vafritie ſua alijs imponant? Quæ tamen facultas non cuiuis de triuio litteratori conceditur, ſed illis, qui eminentiorem locum in Eccleſia obtinent, Epiſcopis nimirum, Inquiſitoribus, Catholiciſq; Academijs. *Relat. de colloq. Ratisb. fol. 38.*

Reſponſum eſt in Colloquio Ratiſbonenſi, tantum abeſſe, vt hoc ſit crimen falſi, vt etiam cenſeri debeat *opus miſericordiæ.* Sed Prædicantes perſtant in crimine falſi, falſarij corpore, mente, ſtylo, quaſi verò crimen falſi tum committatur, quando ſuperior ex ſubditorum libris, in quos Ius & arbitrium habet, eximit prauè & hæreticè dicta, ſubſtituitq; ſana & Catholica. Si magiſtratus iure abolet libros pernicioſos, iure itidem libros emaculat & expurgat, ſi quos næuos aſperſos habeant, & iure ſupplet, ſi quid, quod dicendum erat, diſſimulent.

Quodnam enim maius eſt, libros penitus opprimere & exterminare, an caſtigare & ſupplere? Cur ipſi Lutherani hoc iure vtuntur, ſi non eſt ius, ſed iniuria? Cur non modò libros iam natos edictis ſuis profligant, verùm etiã ne naſcantur, perquam ſtudioſè cauent.

Nam vt alia exempla taceam, cùm ante aliquot annos Saxonibus periculum à Caluiniſmo immineret, ſuſpectos de Caluini doctrina non tantùm in carcerem compegerunt, ſed & vinculis ſolutos iureiurando adſtrinxerũt *Vide præfat. ad lect.*

Schluſſelb, libro de Theolog. Caluiniſt.

ne quidquam librorum conſcriberent aut vulgarent, niſi Superiorum conceſſu, vt aliquoties teſtatur Lutheranus Superintendens Schluſſelburgius, nosq́; in præfatione ad lectorem copioſiùs oſtendimus,

Hunn, in refut. præfat. Protocolli Badenſis.

Verumenimuerò, ne quis ſibi perſuadeat, ſolos Neoburgicos Prædicantes cum Iunio calumnijs & mendacijs in Indicem expurgatorium graſſari poſſe; ecce tibi, ex Saxonia aduolat Hunnius, & pro ſua exercitatione in cōuiciandi & mentiendi palæſtra tot mendacia & conuicia eructat, vt mirum ſit, non erubuiſſe chartam, cui tantas Pſeudologias & lœdorias illeuit. Audi, Chriſtiane lector, & os Spermologi huius non modò demirare, ſed & deteſtare. Ait: *Pontificios Doctores licitum arbitrari, quidquid cedere poteſt ad emolumentum Sedis Romanæ, ſiue illud ſit mendacium, ſiue crimen falſi, ſiue homicidium, ſiue veneficium, ſiue periurium, ſiue quod aliud ſcelus cuiuscunque nominis & immanitatis: dummodò proſit ſanctiſſimo Domino* P A P Æ, *& Regno eius: neq; iā inter illicitas artes reijci, ſed inter præclara facinora interq́ſacrificia Deo grata, & mera* κατορθώματα καὶ ἀνδραγαθήματα *connumerari.* An non in hac oratione tot propè continentur immania prorſus mendacia, quot verba? Annon frontē eum penitus exuiſſe oportet, qui tanto hiatu, tantaq; confidentia hæc, quorum falſitas luce Solis clariùs lucet, afferat, chartisq; commendet? An Lutheranos ſuos in truncos & ſtipites transformatos exiſtimat? niſi enim hac opinione imbutus eſſet: nunquam mendacia tam craſſo filo contexta eis obtruderet, niſi fortè non mentitur perſuadendi, ſed animi oblectandi & relaxandi gratia, vt ſolent illi, qui mendacium poſuerunt ſpem ſuam, *filii ſceleſti*, vt loquitur

Iſai. 57.

Iſaias, *ſemen mendax, filii auguratricis, ſemen adulteri,* (Lutheri) *& fornicariæ* (Borrhæ.) Non immoror commen-

tis

tis iſtis refellendis. Quidquid enim refutationis gratia adferrem, id mendacia iſta potius tegeret quàm retegeret, tam ſunt euidentia, dilucida, & patentia.

Adiungit Prædicans. *Huc ſpectant ipſorum Indices expurgatorii, quibus iſti nebulones etiam defunctorum libros falſare ſolent, audaciſſimè diſpungendo ea, quæ dogmatis Pontificiis ſuis animaduertunt eſſe contraria.* En ſpiritum manſuetudinis, & lenitatis, quo Prædicans iſte agitur. Doctores Pontificios, hoc eſt, Catholicæ Religionis oculos, quos paulò anteà atrociſſimis mendacijs onerarat, nunc *nebulonum* iniurioſiſſimo conuicio ferit. Sed nihil alienum à ſua profeſſione & inſtitutione facit. Pulchrè Eccleſiaſtes: *In via* Eccleſ. 10.
ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. Sic & nebulo in via ambulans, cùm teterrimus ſit, omnes alios pro nebulonibus habet, & vociferando traducit. *Cor ſapientis*, inquit idem Eccleſiaſtes, *in dextra eius*, ideò & dextra loquitur. *Cor ſtulti in ſiniſtra illius*, hinc nil niſi ſiniſtra, hoc eſt, maledicta crepat. *Initium verborum eius ſtultitia.* ait idē Salomon, quid enim aliud eſt maledicendi libido, quàm eximia quædam ſtultitia?

Crimen falſi, quod Orthodoxis falſarius intentat, negamus. Nam ſi quid aliorum in libris diſpungitur, id Eccleſiæ iuſſu diſpungitur; Eccleſiæ, inquam, illius, quæ non modò in libros Auctorum, ſed & in Auctores ipſos Ius & arbitrium habet: ac proinde cùm boni communis gratia aliquid oblitterat; in crimen falſi minimè incurrit, quia non falſat aliena, ſed ſcripta ſuorum expurgat, vt ſine detrimento legi queant, vel, ſi qui ſunt, qui ad Eccleſiam non pertineant, nec vt ſubditi fideles, nec vt ſubditi rebelles, eorum ſcripta emaculat, vt à ſuis abſq; periculo fidei & morum euoluantur.

Nec

Nec eſt, quod Hunnius libris ſuis ab Indice expurgatorio metuat. Iubeo ſecurum eſſe. Nullus liber illius aliter expurgabitur, quàm flammis. Holocauſtum fiant oportet huiuſmodi monumenta, in quibus præter hæreſes furioſamque criminandi rabiem nihil ineſt. Quòd ſi hæreſes, ſcommata, & alia religionis & morum offendicula ex libris exſcindere, crimen falſi eſt, oportet Caſſiodorũ quoque, ſanctum Hieronymum, & alios præſtantiſſimos Doctores crimen falſi commiſiſſe, qui, vt infra dicemus, ex nonnullis Scriptoribus expunxerunt, quidquid minus ſanum & integrum erat. *Quando talia eis obiiciuntur*, inquit Prædicans, *excuſant ea hoc lepido commento, quod ſit opus miſericordiæ aliorum libros corrigere*. Omninò opus miſericordiæ eſt, vt ſæpè iam dictum: Rectèq; id affirmauit P. Ioannes Hylin, quidquid tu contra clamitando delires.

Ergone, inquis, *falſare aliorum libros cenſeri debet opus miſericordiæ?* Non falſare, ſed corrigere. Non falſa intrudere, ſed falſa eximere. Aliud eſt falſare, aliud corrigere. Aliud falſator, aliud corrector. Quoties dicendum? An tu, tantus falſarius, necdũ noſti, quid ſit falſarius & falſare?

Mitto dicere, quòd dũ alios de crimine falſi falsò accuſas, falſarium te eſſe euidenter demonſtras, verba P. Ioan. Hylin fraudulenter falſòq; citando, referẽdo & truncãdo, quod ſcelus tibi cum Prædicantib. Neoburgicis cõmune eſſe video. Ego enim (inquit conſultus à me per litteras, *P.* Ioannes Hylin) non ita præcisè, ieiunè, & ſimpliciter dixi, opus eſſe miſericordiæ, alterius libros & ſcripta corrigere, ſed adieci & dicti rationem, & mentis explicationem, videlicet hunc in Eccleſia Catholica eſſe morem, vt omnes Scriptores Catholici pro animi ſui modeſtia & ſubmiſſione, ac in Eccleſiam ſummumq; Pontificem reuerentia, ſcripta ſua omnia ſubiiciant Eccleſiæ vel ſummo

Ponti-

Pontifici, vel expreſſè, vel tacitè, ita vt velint, ſi à recto veroq; vſpiam deflexiſſent, corrigi; ſiue viuant adhuc, ſiue poſt mortem. Quo poſito, quod eſt veriſſimum, & à nullo prædicantium negari poteſt, quis tam ſtupidus eſt, niſi ſit alter, vel ipſiſſimus Hailbrunner, aut Hunnius, qui nõ videat, Eccleſiam, aut ſummum Pontificem, dum filiorum ſuorum lucubrationes reuidet, & vbi opus eſt, corrigit, gratum ipſis auctoribus præſtare obſequium, & vtilẽ operam poſteritati, atq; adeò veriſſimè tunc exhibere filiis ſuis opus miſericordiæ, illud nimirum, quòd *errantes* ſeu *peccantes corrigere*, & *ignorantes docere* totus ſemper orbis Chriſtianus appellauit, idq; iuxta illud Eccl. 18. *Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum. Miſereatur excipiens doctrinam miſerationis*, &c. Et quid rogo, aliud voluit, & ſupplex à S. Bonifacio Romano Pontifice petiit D. Auguſtinus, quando ſcripta ſua lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 1. ipſi Pontifici *examinanda* & *emendanda* (ſic enim loquitur) Romam ex Africa trãſmiſit? & quod à S. Bonifacio viuus petiit, id à Clemente VIII. (ſi quid erroris expurgandum lateret) grato animo acciperet mortuus. Ex quibus liquet, me nihil riſu dignũ (niſi quod ſtulti omnia libenter rident) tunc, cum hoc dixi, dixiſſe. Quæ hic ideo notare volui, vt certius ſcias quid inter priuatos parietes, coram Sereniſſimis, & Illuſtriſſimis Principibus actum ſit, & quæ mea mens fuerit, quando illud reſponſum dedi. Hæc P. Hylin. I nunc Prædicãs, & viperea tua lingua *nebulones* intona, vt ex ipſo tono & ſono tuo genium tuum agnoſcamus. Sed de Hunnio aliiſq; Prædicantibus paulò poſt plura.

Nunc caput hoc pertexamus, adſcriptis prius Ariæ Montani verbis qui de ſcopo Indicis expurgatorii diſſerens, ait, *loca omnia, quæ cenſuram admittebant, magno iudicio,* *Aria Mon tan. præfa. in Indicem Expurgat.*

magnaq; æquitate ita repurgata, correctaq; eſſe, vt præter publici vſus commoditatem, quam ſtudioſi omnes, ex reſtituta ſibi multorũ librorum tutiore lectione percepturi ſunt, affirmare audeamus, multos eiuſmodi librorum auctores iam vita functos, atq; adeò veritatem melius in altero ſæculo edoctos, ſi ex mortuis exſtarent, magnam gratiam cenſoribus ipſis eſſe habituros; maximè cum illi viderent, plurima in libris ſuis argumenta, multaq; loca à Plagiariis per ſummam impudentiam contra ſententiam mentemq; ſuam addita: cuiuſmodi plura exempla, collatis nouis cum antiquioribus exẽplaribus, tum conſultores ipſi, tum etiam cenſores, vt in Carrionis chronico, & Polydori Virgilii de rerum inuentoribus libro & aliis multis, apertè deprehenderunt: ſperare etiam poſſimus, non minorem ab iis, qui adhuc in viuis agunt, habendam gratiam: quippe quibus ſuorum laborum vſus & gloria conſtabit: ſublata ea parte, quæ vel propter erroris imprudentiam, vel affectuum atque factionum, quibus indulgent, contentionem, lectoribus nullum vel commodum, vel vſum, vel pietatis exemplum: ipſiſmet autem nullum vel ingenii, vel eruditionis, vel iudicii decus aut præconium, nullum deniq; laudis genus adferre poterat, ſed magis plurimorum doctiſſimorum & pientiſſimorum animos & gratiam omninò abalienare. Hæc præclarè Arias Montanus. Nunc reuiſamus Iunium.

Tolerabilior, inquit Iunius, *ratio fuit, cùm apertè quid probarent, quid improbarent, oſtenderunt.* Annon hoc fecerũt cenſores iſti, contra quos agis? Certè non occultos, non abſtruſos, non in bibliothecarum angulis latitantes, ſed publici iuris, & per doctorum ora volitantes libros corrigere neceſſe erat, & quo pacto corrigendi eſſent, præſcribere: *E*t is vtiq; cuius libri emaculabantur, videre poterat, q̃d expungeretur, aut oblitteràretur. Apertè ergo indicabãt, quid im̃pbarent, quid p̃barẽt, tametſi ipſe Index, correctionis modum præſcribens, non verſaretur in omnium

nium manibus. Id enim minimè opus erat, cum munus caſtigandi non omnium fuerit;ſed quorundam duntaxat, quos Rex ad hoc officium deputauerat.

Redit Iunius cum crudelitate Pharaonis iubentis Hebræorum tenellos fœtus trucidari. At iam initio huius ſecundi libri reſponſum eſt, hæreticorum libros non eſſe fœtus Hebræorum, ſanctos, immaculatos, & innoxios; ſed genimina viperarum, & oua aſpidum, fœta peſtilentiſſimo veneno, cui ſine mora obuiam eundum ſit, ne latius ſerpat & diſſeminetur, non ſine præſenti plurimorum exitio.

Miſerabiliter lamentatur Iunius ſcripta *piorum & bonorum tam indignè tractari.* Sed lamenta iſta nihil aliud ſunt, quàm phaleræ ad imperitum popellum. Nullus Hæreticus pius eſt, nullus quà Hæreticus, bonus: nullus hæreticus liber bonus eſt, nullus pius: Nõ igitur pia & bona ſcripta, ſed impia & mala ab hoc Indice caſtigantur. Quod ſi quis orthodoxus Auctor exſtitit, qui aliquid pietati aut morum bonitati minus conueniẽs per incuriam, ignorãtiam aut ſiniſtrum affectum chartis ſuis intexuit, tum non damnato Auctore, reiicitur & expungitur ab indice erratum, aut non ſatis benè, commodè, modeſtè, & Chriſtianè dictum.

De Bertramo iam ſuo loco diximus. Sed hîc addenda ſunt nonnulla, tum vt Iunii, tum vt aliorum Prædicantium inſana vociferatio contundatur & confundatur. *lib. 1. cap. 8.*

CAPVT X.

Num antiqui Patres corrigantur, & quid Index Expurgatorius de Bertramo ſtatuerit.

CVm animaduerteret Iunius, ſe conuiciis in Indicem Expurgatorium iaciendis nimium proceſſiſſe, ipſaſque æquitatis leges ſupra modum tranſcendiſſe: ita vt vanitatis facilè à quouis redargui poſſet: hanc ſibi ipſemet obiectionem obiecit. *Quid hoc ad rem? dixerit quiſpiam Non enim hic corriguntur Patres, ſed tantum recentiores quidam, ſiue ipſi libros, ſuo iudicio ſcripſerint, ſiue notas, annotationes, Indices, &c. in Patres exarauerint.* Iuſta obiectio, cui amoliendæ Iunius par nunquam erit. Neq; enim Belgicus, aut quiuis alius Index, eo fine conſcriptus eſt, vt Patrum monumentis emaculandis corrigendisq; inſeruiat, quod ſuprà etiam teſtati ſumus: & res ſatis ex ipſo Indice liquet. Videamus tamen, quomodo Iunius prædictæ obiectioni ſatisfacere conetur. *Atqui viri boni*, inquit, *caſtigandis recentioribus caſtigatur plurimis in locis veritas doctrinæ atq; hiſtoriæ;* (Lutheranæ videlicet & Caluinianæ, quæ nihil aliud eſt, quàm falſitas) *Ne longè abeamus. Obſeruet Lector & expendat omnes locos, qui reprehenduntur in Commentariis Ludouici Viuis ad libros Auguſtini de ciuitate Dei: hi omnes ferè aut Monachorum inſcientiam, aut indignos Epiſcoporum mores, aut ſæuam in animas pias carnificinam deflent.*

Quid autem illis verius? Benè factum, quòd Iunius Viuem exempli loco produxit: Quidquid enim in Viue, vt & in aliis huius notæ Scriptoribus deleri iubetur, id ad aliquod ex illis capitibus reuocare & redigere licebit; quæ Index librorum prohibitorum à Clemente IIX. recognitus & publicatus obliterari mandat. In quibus ſi veritas doctrinæ & hiſtoriæ Lutheranæ & Caluinianæ conſiſtit, nouam

nouam prorſus terriſq; vſque ad hoc noſtrum æuum ignotam & planè extraordinariam veritatem & doctrinam eam eſſe oportet. Nam quæ correctione atque expurgatione indigent (hoc eſt, in quibus hæreticorum veritas & doctrina ſita eſt) hæc ferè ſunt, inquit citatus Index.

I. Propoſitiones hæreticæ, erroneæ, hæreſin ſapientes, ſcandaloſæ, piorum aurium offenſiuæ, temerariæ, & ſchiſmaticæ, ſeditioſæ, blaſphemæ.

II. Quæ contra Sacramentorum ritus, & cæremonias, contráq; receptum vſum, & conſuetudinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nouitatem aliquam inducunt.

III. Profanæ etiam nouitates vocum ab hæreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ.

IV. Verba dubia & ambigua, quæ legentium animos à recto Catholicoque ſenſu ad nefarias opiniones adducere poſſunt.

V. Verba ſacræ ſcripturæ non fideliter prolata, vel è prauis hæreticorum verſionibus deprompta: niſi fortè afferrentur ad eoſdem hæreticos impugnandos, & proprijs telis iugulandos, & conuincendos.

VI. Expungi etiam oportet verba ſcripturæ ſacræ, quæcunque ad profanum vſum impiè accommodantur, tum quæ ad ſenſum detorquentur abhorrentem à Catholicorum Patrum atq; doctorum vnanimi ſententia.

VII. Itemque epitheta honorifica & omnia in laudem hæreticorum, deleantur.

VIII. Adhæc, reijciuntur omnia, quæ ſuperſtitiones, ſortilegia ac diuinationes ſapiunt.

IX. Item, quæcunque fato, aut fallacibus ſignis, aut ethnicæ fortunæ humani arbitrij libertatem ſubiiciunt, obliterentur.

X. Ea quoque aboleantur, quæ paganiſmum redolent.

XI. Item, quæ famæ proximorum, & præſertim Eccleſiaſticorum & principum detrahunt, boniſq; moribus & Chriſtianæ diſciplinæ ſunt contraria, expungantur.

XII. Expurgandæ etiam ſunt propoſitiones, quæ ſunt contra libertatem, immunitatem & iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

XIII. Item, quæ ex Gentilium placitis, moribus, exemplis, tyrannicam Politiam fouent, & quam falsò vocant rationem Status ab Euangelica & Chriſtiana lege abhorrentem inducunt, deleantur.

XIV. Explodantur exempla, quæ Eccleſiaſticos ritus, religioſorum ordines, ſtatum, dignitatem, ac perſonas lædunt & violant,

XV. Facetiæ etiam, aut dicteria, in perniciem aut præiudicium famæ & exiſtimationis aliorum iactata, repudientur.

XVI. Denique laſciua, quæ bonos mores corrumpere poſſunt, deleantur, & ſi quæ obſcœnæ imagines, prædictis libris expurgandis impreſſæ aut depictæ exſtent, etiam in litteris grandiuſculis quas initio librorum vel capitum imprimi moris eſt, huius generis omnia penitus oblitterentur.

Ecce, qualia ſunt illa, quæ Iunius & alij Prædicantes ex recentiorum ſcriptis eximi & exſcindi moleſtiſſimè ferũt, vtpote in quibus veritas doctrinæ, hiſtoriæque Lutheranæ & Caluinianæ conſiſtat. En qualis veritas, qualis doctrina, qualis hiſtoria.

Relat. de couoq. priuat Ratub pag. 92. Porrò cùm hæc & ſimilia ſpongi aclui digna, in veris Biblijs non contineantur, non eſt cur Prædicantes metuant, ne Ieſuitæ Indicem expurgatorium *pro ipſis Biblijs* cudant. Nam Catholica Biblia nulla egent expurgatione. Biblia Lutherana & Caluiniana non expurgantur ſpongia & ſtylo, ſed flamma & rogo. Nec opus alio Indice.

Obijcit Iunius. *Non recentiores modò, verùm etiam veteres & orthodoxi vellicantur. Quid enim? Bertramus ille, nonne in veterum quoq; numero ab ipſis reponitur?* Sed mendaci Prædicantis accuſationi oppono decretum Indicis librorum damnatæ lectionis, cuius hæc ſunt verba. Repetam enim etſi iam ſuprà recitata. *In libris Catholicorum veterum nihil mutare fas ſit, niſi aut fraude hæreticorum, aut Typographi incuria manifeſtus error irrepſerit. Si quid autem maioris momenti & animaduerſione dignum occurrerit, liceat in nouis editionibus vel ad margines, vel in Scholiis annotare, ea imprimis adhibita diligentia, an ex doctrina locisq; collatis eiuſdem auctoris ſententia difficilior illuſtrari, ac mens eius planius explicari poſſet.* Hæc Index Clementis IIX. in cuius decretum Index Bel-

gicus nihil deliquit. Ait enim, retinendum eſſe Bertramũ & plęraque eius loca in bonam partem accipi & explicari: Ea autem, quæ à vero longius abſcedunt, ab impoſtoribus ſuperaddita eſſe, nec vanis, nec infirmis coniecturis demonſtrari poſſe; quæ proinde meritò damnentur ad ſpõgiam. Sed Hæretici tragicos clamores tollunt ob iſta Indicis de Bertramo verba. Rationes enim reddens, cur Bertramus ſimpliciter non ſit proſcribendus, hanc itidem adfert. *Cùm in Catholicis veteribus aliis, plurimos feramus errores & extenuemus, excuſemus excogitato commento, perſæpe negemus aut commodum iis ſenſum affingamus, dum opponuntur in diſputationibus, aut in conflictionibus cum aduerſariis; non videmus, cur non eandem æquitatem & diligentem recognitionem mereatur Bertramus: ne Hæretici ogganniant, nos antiquitatem pro ipſis facientem exurere & prohibere. itaque mirum non eſſe, pauca pro ipſis videri facere, nobis Catholicis tam irreuerenter antiquitatem vel in ſpeciẽ à nobis diſſentientem exſibilare ac perdere.* Sic ediderunt Hæretici, ſed fortè ſcriptum erat: exſibilantibus ac perdentibus.

Ad iſta exclamat Iunius: *Prô Dei atque hominum fidem, vbi ſanctitas, veritas, innocentia, ſi hæc ſancta, vera & innocentis Eccleſiæ fideliumue paſtorum eius verba haberi poſſunt.* Quæ verò te cura coquit Iuni, eoque adigit, vt adeò inſulsè vocifereris? Quid piaculi admiſit Index, cùm non contra, ſed pro Bertramo agens, eam illi gratiam fieri cupit, quæ fit alijs nonnullis ex antiquorum numero, vt Tertulliano & Origeni: hos enim loco omniũ nominare lubet, quorũ opera, licet non paucis erroribus adſperſa, tolerantur hoc tempore, & horridius dictu, non rarò, qua licet veritasque ſinit, bonam in partem explicantur. An non tu ipſe, tuiq; collegæ contenditis, vt Bertramus exſtet? En idem vult Index Belgicus. cur ergò in Indicem furitis?

Deinde, licet Index Belgicus Bertrami librum de corpore & ſanguine Chriſti proſcripſiſſet, vt quidem proſcribitur in Indice Clementis IIX. & antea etiam interdictus fuerat, vt ipſe Index expurgatorius meminit: nullo tamē ſcelere ſeſe obſtrinxiſſet: Nam quo iure olim Gelaſius vetuit opera Tertulliani, Origenis, & quorundam aliorū, quorum lectio fidelibus officiebat, eodem hac ætate vetat Eccleſia lectionem eorum, qui iam incautis lectoribus exitium creare poſſunt, ſiue libri illi ſint veterum, ſiue recentiorum Auctorum: quanquam Bertramus vetuſtiſſimus non eſt, quippe qui ſub Carolo Caluo vixerit & ſcripſerit. Et ſi hodiè, quæ Tertullianus litteris mandauit, tantum periculi parerent lectoribus, quantum ea, quæ Bertramus de Euchariſtiæ Sacramento ſcribit: vtique Eccleſia non permitteret, vt Tertullianus promiſcuè in omnium manibus verſaretur.

Fateris ergò, dixerit Iunius, *Patres à vobis prohiberi.* Reſpondeo, Vt vna hirundo, veteri verbo, Ver non facit, ita prohibitio vnius non efficit, vt verè affirmari poſſit, quòd hæretici clamant, Patres à nobis prohiberi & expurgari. Secundò dum prohibetur Bertramus; nego prohiberi Patrem: Nam Eccleſiæ pater ille dicitur, qui Eccleſiam ſalutari doctrina alit & paſcit, qui ſuper familiam Domini conſtitutus, dat ei *in tempore tritici menſuram.* Iam ergo ſi pro ſalutiferæ doctrinæ pabulo, & pro menſura tritici offerat & admetiatur lolium & zizania, & peruerſorum dogmatū lappas & tribulos; eatenus non pater eſt, ſed vitricus; non doctor, ſed ſeductor: & quod hinc ſequitur, quando prohibetur, nullus pater prohibetur. Tertiò, probabile eſt ab hæreticis, lucubrationem Bertrami fuiſſe corruptam, falſaq; manu deprauatam, vt hiſce in rebus non ſemel accidit, nec immeritò viri docti de Bertramo

mo id ſuſpicantur. Quod ſi ita eſt, iam non genuinus, ſed ſuppoſititius Bertramus cenſura legis Eccleſiaſticæ notatur & inuritur.

Quartò, ſit verus Bertramus, non ſubdititius, inſuetum tamen non eſt, vt veteres itidem damnentur errores & errones, ſi nocendo fiant noui, vt antea diximus. Exemplum habemus in Gelaſio Pontifice, qui Tertullianum & Origenem, & alios, etſi valde antiquos, lege lata ex orthodoxorum manibus & vſu excuſſit. Ius hoc ſemper & eſt, & fuit, & erit penes Eccleſiam, vt quæ gregi detrimentum adferunt, ſollicitè amoliatur. Et ſi integrum librum proſcribere fas eſt, fas etiam erit proſcribere partem libri, ſeu magnam, ſeu paruam; cum exſcindendo, delendo, oblitterando, vel ſimpliciter omittendo, idq; ob lectoris vtilitatem.

Fecit hoc iam olim magnus ille Caſſiodorus, cui nihil magis curæ cordique erat, quàm vt Monachis Bibliothecam ab omni labe puram, intactamque compararet, & poſt ſe quaſi teſtamento relinqueret. Quare non contentus Latinos Scriptores vndique conduxiſſe & collegiſſe; Græcos itidem non paucos in Latinam Linguam transferri curauit, ita tamen, vt ſi quid dogmatum ſinceritati aduerſari videretur, id Latinis auribus inferendum minimè arbitraretur. *In Epiſtolis*, inquit, *Canonicis, Clemens Alexandrinus Presbyter, qui & Stromateus vocatur, id eſt, in epiſtola ſancti Petri prima, ſancti Iohannis prima & ſecunda, & Iacobi, Attico ſermone declarauit. Vbi multa quidem ſublimiter, ſed aliqua incautè locutus eſt, quæ nos ita transferri fecimus in latinum, vt, excluſis quibuſdam offendiculis, purificata doctrina eius ſecurior poſſet hauriri.* Quaſi diceret Caſſiodorus cum Hieronymo: *Cùm hæc reieceritis, & quaſi cenſoria virgula ſeparaueritis à fide Eccleſiæ, tutò legam cætera, nec venena iam timebo, cùm antidotum prabibero.*

Caſſiod. lib. de diuinis lect.

Caſſiodor. lib. cit. c. 8.

S. Hieron. epiſt. 65.

Quomodo hoc Caſſiodori factum Prædicantibus arridet? Num & hic crimen falſi intonabunt?

Idem Caſſiodorus dicit, ſe in Commentarijs in Epiſtolas ſancti Pauli, qui adſcribebantur Gelaſio Pontifici, cùm eſſent *Pelagij* hæretici; reperiſſe *Pelagiani* erroris ſemina: *Et vt procul,* inquit, *fieret à vobis error hæreticus, primam epiſtolam ad Romanos, qua potui curioſitate, purgaui, reliquas in chartaceo codice conſcriptas vobis emendandas reliqui, quod facilè ſubiacebit, quando præcedenti exemplo audacior redditur ſequentis imitatio.* Ecce Caſſiodorus non modò ex commentario, alioquin vtili, peſtifera dicta expurgauit, ſed & alijs imperauit, vt exemplo ſuo Commentarios in cæteras Apoſtoli Epiſtolas ſimili diligentia ab hæreticis erroribus emacularent.

Commendat idem Caſſiodorus Monachis lectionem Lib. citat. cap. 39. Caſſiani, *Caßianum Presbyterum,* inquit, *ſedulò legite, & libenter audite, &c. qui tamen de libero arbitrio, à beato Proſpero iure culpatus eſt. Vnde monemus, vt in rebus talibus excedentem ſub cautela legere debeatis. Cuius dicta Victor Martyritanus* (ſeu, vt alij, Mattaritanus) *Epiſcopus Afer, ita Domino iuuante purgauit, & quæ minus erant, addidit, vt ei rerum iſtarum palma meritò conferatur.* En aliud exemplum macularum abſterſarum in alienis libris, profectum ab inſigni Epiſcopo, laudatúq; à ſummo viro Caſſiodoro, qui aliam quoque rationem inijt, ne libri næuis interſperſi labis aliquid lectoribus affricarent: loca periculoſa certis ſignis inſigniens, quorum admonitu à fraude lectores ſibi cauerent. *Tychonius Donatiſta,* inquit Caſſiodorus, agens de interpretibus Apocalypſeos, *in eodem volumine quædam non reſpuẽda ſubiunxit, quædam verò venenoſi dogmatis ſui fæculenta permiſcuit. Cui tantum in bonis dictis* χρησίμων, *in malis* ἀχρήστων, *quantũ tranſiens valui reperire (vt arbitror) competenter affixi.* Idem de Orig. *In operib.*

eiuſdem

eiuſdē Orig. quantū tranſiēs inuenire praualui, loca quæ cōtra regulas Patrū dicta ſunt, Alij legunt Achreſimi repudiatione, vel diſputatione. Appoſuit.n. vitādis ſignū ἀχρησίμου ſeu ἀχρήστου, vt in commentario quoque Tychonij ſe feciſſe memorat. *hæreſin diſputatione ſignaui, vt decipere non præualeat, qui tali ſenſu in prauis ſenſibus cauendus eſſe monſtratur.*

Ecce quanta vbiq; Caſſiodoro cura, ne libros non ſat puros ſine antidoto lector inueniat. Et quo iure appoſuit ſigna, quibus anguis in herba deliteſcens indicabatur, eodem potuiſſet praua illa penitus expungere, vel omittere, vt fecerat in commentarijs Pelagij & Clementis, & Victor Præſul African. in Caſſiano. Quod ſi hoc facere culpa eſſet, in eadem culpa hæreret Vercellenſis Euſebius, *qui*, vt inquit S. Hieronymus, *omnium Pſalmorum commentarios hæretici hominis vertit in noſtrum eloquium, licet hæretica prætermittens, optima quæq; trāſtulerit.* Et ipſe S. Hieronymus, quæ bona ſunt, ex Origene tranſtulit, mala vel amputauit vel correxit, vel tacuit. Rufinus de S. Hieronymo. *Cùm vltra ſeptuaginta libellos Origenis, quos Homiliticos appellauit, aliquantos etiam de tomis in Apoſtolum ſcriptis tranſtuliſſet in latinum, in quibus cùm aliqua offendicula inueniantur in Græco, ita elimauit omnia interpretando, atque purgauit, vt nihil in illis, quod à fide noſtra diſcrepet, latinus lector inueniat.* *S. Hieron. epiſt. 74.*

De Eugenio Antiſtite Toletano hæc Hildefonſus eiuſdem Sedis Epiſcopus. *Libellos quoque Dracontij de Creatione mundi conſcriptos, quos Antiquitas protulerat vitiatos, ea quæ inconuenientia reperit, ſubtrahendo, immutando, vel meliora coniiciendo, ita in pulchritudinis formam coegit: vt pulchriores de artificio corrigentis, quàm de manu proceſſiſſe videantur Auctoris.* *Hildef. de viris illuſt.*

Prætereo alia eiuſdem generis. Nunc ad Iunium.

Duas, inquit, *cauſas ſubeſſe video, cur à Patribus hic recenſendis abſtineant plurimum: vnam, quod iam diu à ſuis facultatibus Lutetiæ, Louanii, alibi, & à Tridentino ipſo Concilio fuerunt exſecti: Alteram, quòd ſi quid reprehenſione dignum putauerunt, id maluerunt recentioribus acceptum ferre, quàm ſuo facto committere, vt in ſanctos Patres fuiſſe dicantur iniurii.* At prima cauſſa nihil aliud eſt: quàm figmentum Iunii, Nulla enim Facultas Theologica vllum ex priſcorum Patrum numero exſecuit, vt iſte loquitur ſimul & mentitur: ſed ſi quid à Lectore cauendum videbatur, id à nonnullis ſeorſim annotatum eſt, addito ſigno vel admonitione, vt fecit olim Caſſiodorus in Origene & Tychonio: quod etiam faciendum monet Index Clementis IIX. qui diſertis verbis vetat, ne quid ex antiquorum ſcriptorum monumentis exſcindatur, niſi perſpicuè conſtet, ab Hæreticis intruſum eſſe. Et nonne Lactantius, quem iſte exſectum dicit à Sorbona, integer exſtat? Quod ſi Sorbona ad errores, qui Lactantio inſerti, ſiue ipſius Lactantij, ſiue impoſtorum culpa, antitodum adiecit, id nimirum egit, quòd tam inſignem Facultatem decebat. *Lactantius in libris ſuis, & maximè in Epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus ſancti omninò negat ſubſtantiam*, inquit S. Hieronymus: *& errore Iudaico dicit eum referri vel ad filium, & ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub eius nomine demonſtrari.* Scilicet nefas erit, ſi Iunium audimus; ad eiuſmodi errorem, quãdo in Lactantio occurrit, aut ad ſimiles notam appingere, lectoremque de præcipitio vitando commonefacere.

S.Hier. Epiſt. 65.

Altera cauſſa priore nihilo verior eſt, & melior, nam quæ in recentiorum ſcriptis damnantur, (quorum prolixum catalogum iam ſuprà recenſuimus) ea non exſtant in veterum Patrum libris: aut ſi aliqui næui adſperſi ſunt, eos aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura: ac proinde

inde tolerantur, ita tamen, vt nota adiiciatur, lectoriq; antipharmacũ præbeatur: quod factum in Lactantio, Tertulliano, Cypriano, & aliis, quorum errores vel ipſa temporis diuturnitate, iam adeò elanguerunt, vt nihil periculi ab illis immineat, priſcisq; meritò habetur honos, qui nouitiis iſtis negatur, cùm de induſtria, hoc tam malo, & ad errores quosq; propenſo æuo, mali ſint & improbi: idq; vnum omnibus libris ſuis contendant, vt vetuſtate exploſa, nouitas vbiq; regnet. neq; vlla dicta ex recentiorum ſcriptis extrudimus, ſi cum Patrum dictis conſonent, vt calumniatur Iunius, quia Patrum dicta, quâ Patrum, nõ ſunt extrudi digna. At ſi quis hoc tempore errorem veteris ſcriptoris, vt illum Lactantii, quem ſupra ex S. Hieronymo retulimus, ſuis ſcriptis intexeret, ſpongia vtiq; elueretur; qui tamen in Lactantio, ſolo aſteriſco aut obelo confoditur: quia, vt antea dictum, alia ratio eſt veterum qui interdum impegerunt, non ex malitia, ſed ex humana infirmitate, re necdum ad liquidum diſcuſſa, & alia iuniorum, qui quaſi fœdere cum erroribus inito, errores ex erroribus nectunt, omniaq; turbant & miſcent, &, vt gigantes olim cum cœlo, ita cum vero bellum implacabile gerunt.

At Iunius exiſtimat Hæretica dogmata, quæ aduerſarii iam tuentur, patrum doctrinæ concinere, ac proinde cum damnantur, damnari quoq; Patres. *Verbi gratia in Chryſoſtomi Indice Baſilienſi deleri iubetur iſtud: Eccleſia non ſuper hominem, ſed ſuper fidem ædificata: tom. 3. Illa autem ipſa ſunt verba Chryſoſtomi in ſermone de Pentecoſte, & ſæpius inculcata, itemq; illud, meritum nullum eſſe, niſi quod à Chriſto confertur (quod deleri iubent) iiſdem planè verbis expreſſit Chryſoſtomus Hom. 1. in dictum Ioannis: vos amici mei eſtis, &c.* Vetus verbum eſt: *ſæpè idem cum ab iiſdem dicitur, non eſſe idem.* Quod maximè va-

let in Hæreticos, qui interdum dicta Patrum vſurpant, vt eadem ſint, ſi verba ſpectes; at longè diuerſa, ſi ſenſum & mentem. Huius generis ſunt duo iſta exempla, quæ Iunius profert ex Chryſoſtomo, qui ſupra fidem Eccleſiam ædificatam dicit: Idem dicunt Hæretici; ſed alio ſenſu: nam ipſi volunt Eccleſiam fundatam, ſuper fidem abſolutè & per ſe conſideratã: at Chryſoſtomus & cum illo orthodoxi, ſuper fidẽ Petri; quod idem eſt ac Eccleſiam ædificatam eſſe ſuper Petrum: nam fides Petri duplici ratione fundamentum Eccleſiæ dicitur: Primò, quia ob meritum eius fidei conſecutus eſt Petrus, vt ſit fundamentũ Eccleſiæ. Secundò, quia Petrus in eo potiſſimum eſt fundamentum Eccleſiæ, quòd cum fides eius deficere non poſſit, ipſe omnes alios in fide confirmare & ſuſtentare debet: de quo plura Bellarminus. Sic ſub illo altero loquendi modo de *meritis*, tegunt *Hæretici* venenum ſuum, nempe nullum eſſe hominis meritum apud Deum: at orthodoxi eodem loquendi modo ſignificant, omnia hominum merita vim & efficacitatem ſuam obtinere à gratia & merito Chriſti, tanquam à bonorum omnium fonte. Et vt prior ſenſus impius planè eſt & Hæreticus; ita poſterior planè pius & orthodoxus.

Bellar. l. 1. de Pontif. cap. 10.

Protulit Iunius duo tantummodo exempla: ſed ait: *ſexcenta adferri poſſe*; me non improbante. Quemcunq; enim Indicem ab Hæreticis confectum aliquis inſpiciat, non vnum, ſed plura huius generis exempla vel nolenti in oculos incurrent. Paucula ex Indice in opera ſancti Athanaſij Græcolatina libabo. In eo, præter cætera, hæc de ſacra ſcriptura annotantur. 1. *Scriptura ſacra etiam plebi & magiſtratibus cognoſcenda.* 2. *Extra ſcripturas ſacras de Deo non loquendum.* 3. *Neque quidquam vlterius inquirendum.* 4. *Scrutari de Deo extra ſcripturas eſt prohibitum.* 5. *Extra*

ſcripturas quæ ſunt, nec loquenda, nec audienda. 6. Scriptura per ſcripturas interpretanda. 7. Scriptura ſacra ſufficit ad veritatis cognitionem adipiſcendam. 8. Sufficit & ad Hæreſes refellendas, expurgandasq́. 9. Scripturis ſacris immanentes verè liberi erunt. Hæc & id genus alia, ſi eo ſenſu accipiantur, quo ab Hæreticis accipiuntur, falſa prorſus & à S. Athanaſio alieniſſima ſunt. Et tamen iisdem verbis & ſententiis verus ſenſus ſubiici poteſt, & Athanaſij menti conformis, Sed à Catholico, non à Sectario, qui liuore mentis ſuæ omnia contaminat. Si quis ergo Index expurgatorius prædictas ſententias condemnet, is condemnat, non vt veram, ſed vt hæreticam ſententiam continent; nec vt ſunt Athanaſij, ſed vt auctoris Hæretici; neq; enim ex ſolis & nudis verbis, ſed ex ſententia verbis ſubiecta æſtimandũ eſt, num oratio hæc aut illa; ſit huius vel illius. Falſum igitur eſt, quod Iunius affirmat, *damnari in recentioribus antiquos Patres.* Nihil minus.

Damnantur errones. At Patres antiqui, errones non ſunt, nec tradunt ea dogmata, quæ à veſtris tanta animi obſtinatione, & tanta voluminum multitudine & verboſitate defenduntur. Quo fit, vt libri recentiorum aut prohibeantur, aut expurgentur; non autem libri veterum.

Ex quibus etiam conſequitur, vanam eſſe aut ſuſpicionem aut formidinem Prædicantium Palatinorũ, cum ſuſpicantur, aut formidant fore, *vt Ieſuitæ Indicem expurgatorium pro ipſis Patrum lucubrationibus euulgent.* Audite Prædicantes. Patres emaculatione nulla egent: & quod hinc eſt conſequens, nec Indice Expurgatorio opus habẽt. Et Pontificio decreto vetatur, ne quis quidquam in veterum libris immutet. An putatis Ieſuitas aliquid contra Pontificis ſanctionem commiſſuros? Sed iſti nihil penſi habent, quid dicant, dummodo dicant. Ve-

Præd. de Boſtcoll. Ratisb. fol. 92.

Verumenimuerò, ne præcones iſti temerè videantur ſuſpicari de Indice Expurgatorio, Patrum lucubrationibus expurgandis conficiendo; hanc ſuam ſuſpicionem duobus argumentis confirmant. Primum eſt. *Quia in vita Franciſci Borgiæ* (ſic citat Prædicans opuſculū P. Franciſci Borgiæ de ratione concionandi) *hoc præceptum concionatori præſcribitur. Sanctorum Patrum Scripta attentè legat, nec audacter, quæ ab illis dicta ſunt, proferat: Illi enim ſæpe, vt tempora tum ferebant, cùm ſcriberent, & quo fine ſcribebant, non errarunt, nonnulla dixerunt, quæ ſi in hoc ſæculum incidiſſent, non erāt dicturi.* Ex his verbis acutè colligunt Prædicantes *Ieſuitas meditari Indicem Expurgatorium in Scripta Patrum.* Sed eodem acumine concludere poſſent etiam ſanctum Auguſtinum & ſanctum Hieronymum de Indice Expurgatorio in Scripta Patrum conſcribendo conſilia agitaſſe; Quia ambo dicunt, Patres nonnulla ſcriptis mandaſſe, à quibus ſibi temperaſſent, ſi controuerſiæ, quæ poſtea exortæ ſunt, prius exſtitiſſent. Nam cùm Iulianus Pelagij ſectator, locū quendam ex Ioanne Chryſoſtomo protuliſſet, eumq; ſanctus Auguſtinus orthodoxè explicaſſet, ſubiungit. *At, inquies, cur non ipſe addidit, Propria? Cur putamus, niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur: tali quæſtione nullus pulſabatur: vobis nondū litigantibus, ſecurius loquebatur.* Sanctus Hieronymus Ruſinum alloquens. *Et quomodo, inquies, in libris eorum* (Veterū, Clementis, Dionyſij Alexandrini, & aliorum) *vitioſa nonnulla ſunt? Si me cauſſas vitiorum neſcire reſpondero, non ſtatim illos hæreticos iudicabo: fieri enim poteſt, vt vel ſimpliciter errauerint, vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint, vel certè, antequam in Alexandria, quaſi Dæmonium meridianum, Arius naſceretur, innocenter & minus cautè quædam locuti ſunt, & quæ non poſſunt peruerſorum hominum calum-*

Cap. 1.

S. Aug. lib. 1. contra Iulian c. 2.

S. Hier. lib. 2. contra Rufin. c. 4.

calumniam declinare. Hæc duo illi vt ſanctiſſimi, ita & doctiſſimi Patres Auguſtinus & Hieronymus, quorum diſſimilia non ſunt, quæ Borgia in illo ſuo opuſculo de Patribus monet. Nec tamen propterea aut illi, aut iſte de vllo Indice expurgatorio pro ſcriptis Patrum cogitarunt, vt nec Iacobus Ledeſma noſter pro Bibliis, quando ſcripſit, conſultum non eſſe, vt quibuſuis Biblia promiſcuè permittantur, cum multa dicta & exempla in ſcriptura cõtineantur, quæ imperitæ plebi ſcandalo eſſe poſſint: non quidem vitio ſuo; Sic enim intellexit Ledeſma; ſed vitio legentium. Hoc Ledeſmæ pronunciatum veritati perquam conſentaneum eſſe, vtinam tam clarè non intueremur. Quid enim mali non exſtitit, *poſtquam*, vt loquitur S. Hieronymus, *ſola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant: & poſtquam hanc garrula anus, delirus ſenex, Sophiſta verboſus, & vniuerſi præſumunt, lacerãt, docent, antequam diſcant.*

Ledeſm. lib. de diui nũ ſcript. quanus paſſim lingua non legendis. Vide Bella. lib. 2. de verbo Dei c. 15. & 16. S. Hieron. Epiſt. 103.

CAPVT XI.

Quomodo Prædicantes libros Lutheri, Confeſſionem Auguſtanam, eiusq; Apologiam demendo & addendo corruperint, inuerterint, & immutarint, & de mutua inter illos ſuper his falſariis deprauationibus digladiatione.

CVm S. Auguſtinus perfidiam Donatiſtarum maniſeſtiſſimis & euidentiſſimis probationibus funditus euertiſſet & proſtrauiſſet, hæc verba ſubiunxit. *Numquid iam in hac cauſſa ſe contra nos lingua cuiuſlibet pertinaciſſimi commoueret, ſi ſe moueri in hominis ore, ſub hominis fronte ſentiret.* Idem & ego iure optimo affirmare poſſe videor. Poſtquam enim primo & hoc altero libro tam multa, tamq; varia de iure & more prohibendi, abolendi,

S. Auguſt lib. 4. cont. Creſcon. cap. 41.

corrigendi & expurgandi libros noxios diſputata ſunt, nulla vllius Prædicantis lingua quidquam amplius contrà vociferaretur, ſi ſe in ore, & ſub fronte, verecundiæ domicilio moueri ſentiret. Sed quia Prædicantes linguas habent, quæ ſemper loquuntur, nec ſciunt tamen, quid & vbi loquantur, ideò & nos loqui cōpellunt, ne ſi taceamus, ſilentio veritatem prodere exiſtimemur. Demonſtrandum ergò eſt hoc capite id, quod titulus pollicetur, vt omnibus perſpicuum euadat, non Catholicos, ſed Prædicantes falſarios (nolim enim dicere cum Hunnio, *nebulones*) eſſe, qui ſcripta aliena, Lutheri videlicet & Luthericolarum, mutilant, detruncant, & ad arbitriū ſuum conformant ſine vllo iure, contra ſuam propriam doctrinam, & contra clamores ſuos, quibus Catholicos exagitant, idque non veritatis eruendæ & propagandæ, ſed turpitudinis ſuæ, ſuique parentis Lutheri velandæ gratia. Ne enim appareat, quàm abſurdos errores & impios eorum maiores in chartas euomuerint, ideò nunc ſpongijs, ſtylis, & obelis armati accurrunt, vt eluant, configant, confodiant digniores venia, ſi libros illos non falſarent, ſed penitus aut flammis aut vndis abolerent.

Nunc eiusmodi facinus perpetrāt, quod ne eorum quidem Symmyſtis, & in Euangelio Lutherano adiutoribus diſſimulandum videtur. Quis enim Prædicantib. ob corruptos Lutheri libros diem dicit? Nonne Prædicantes? Niſi fortè Ioannes Aurifaber, Nicolaus Amſtorffius, Georgius Rorarius, Chriſtoph. VValther, & alij Prædicātes, non fuerūt. Quid ergo Aurifaber? Adſcribam Germanicè, poſtea vertam: Es iſt wider dahin kommen/daß man helle Brillen auffſetzen/vnd ſich ſcharff vmbſehen müſte/wañ man D. Martini Luthers Lehre/vnd die Augſpurgiſch Confeßion vnd Apologia/item/die Schmalckaldiſchen Artickel/an allen Ortern

Aurifab. in præfat. Serm. conuiual.

Ortern in Teutſchen Land rein vnnd vnuerfälſcht finden ſolte/welches erſchröcklich iſt zuerfahren. *Eò, proh dolor, ventum eſt, vt lucidis admodùm ocularibus opus ſit, vtque in omnes partes aciem videndi vertere oporteat, ſi quis Lutheri doctrinam, Auguſtanam confeſſionem, Apologiam item Schmalcaldicos articulos, in omnibus locis Germaniæ puros, ſinceros, & non falſatos reperire ſtudeat. Quod dictu eſt horrendum.* Quis igitur doctrinam Lutheri tot tomis comprehenſam corrupit? quis falſauit? Certè non Papiſtæ, neque enim in hos culpam conferunt Lutherani Prædicantes. Quis ergò?

Dic tu Amſtorffi, quandoquidem Aurifaber nominatim nullum exprimit, etſi generatim & tacitè non niſi Synergos & in Iſlebica vinea *collaboratores* ſuos innuit. *Quãuis aliqui tomi Lutheri VVitebergæ impreſſi eſſent*, inquit Amſtorffius, *ſua tamen Celſitudini* (*P*rincipi Electori) *& multis noſtrũ editio illa varias cogitationes iniiciebat; Primò, quòd Polemici quidã libri prætermiſſi eſſent, quorum publicatio propter hiſtoriam Eccleſiæ Chriſti ſcitu fructuoſa & neceſſaria erat.* Vides integros libros omiſſos à VVitebergenſibus. Quo iure? *Amſtorff. præfat. in tom. Ienen Ger. 1560.*

Secundò, Iſt vil dings in denſelben tomis vmb Glimpffs willen außgethan/geſchwiegen/ vnd verändert worden/ *Multa in tomis illis* (VViteb.) *moderationis gratia expũcta ſunt, ſuppreſſa & mutata.* En omnes falſariorũ artes, *expunctionẽ, ſuppreſſionem, mutationem, & omiſſionem* non vnius aut alterius lineæ ſed integrorũ voluminũ. Nec pauca duntaxat omiſſa dicit Amſtorf. ſed *multa*. Notet falſarius Hun. iſtud *multa*; cuius teſtis, non quiuis de triuio, ſed Nic. Amſtor. ex primarijs Lutheri diſcipulis diſcipulus, & olim ante ſuã Apoſtaſiam Canonicus VViteberg. qui diſertè ſcribit inter alias cauſas nouã operũ Luth. editionẽ parandi & adornãdi, poſtremã non fuiſſe crimina falſi à VVitebergenſib. in tomis Luth. cõmiſſa. Huic adde Georgium Rorarium, qui palàm fatetur in editione VVitebergenſi anno 1548 non vnã vel al-

Luth. lib. quod verba illa, Hoc eſt corpus meum, firmiter adhuc ſubſiſtant. Tom 3. Ien. Ger. anno 1560. Georg. Rorar. in admonit. ad Lect. ſub finem lib. citat.

lineam, ſed totam quandam, eamq́; prolixam expoſtulationem Lutheri cum Bucero & Sacramentariis diſpunctā fuiſſe, *Sibiq́ & duobus aliis ſumma auctoritate viris conſtare, quorumnam ſuaſu & impulſu id acciderit; ſe tamē certas ob cauſſas prodere nolle, quaenam ſint perſonæ illæ, & vbi degant, niſi neceſſitas id efflagitet; hoc enim caſu ſe, quidquid norit, patefacturum.* Quid tibi videtur Hunni de iſtis Tomis falſatis & falſariis VVitebergenſibus? An ne ab animo tuo impetrare potes, quo minus *Nebulones* intones? An iudicio tuo *Nebulones* non erunt, qui ſe parenti tuo Luthero tam iniurioſos exhibēt? Conqueritur Lutherus eo ipſo, qui ab iſtis amputatus eſt loco; à Bucero Pſalterium Pomerani corruptum, & ſacramentario veneno infectum, ſuamq́; *Poſtillam* Eccleſiaſticam ab eodem ſimili artificio præfationibus, interlocutionibusq́; deprauatam fuiſſe, additq́; ſibi gratius futurum; *ſi quis potius ceruicem ſibi præcideret, quàm tali fraude & techna illuderet:* Ecce, Prædicantes, mauult Lutherus ferro perire, quàm libros ſuos falſari.

VValth. in Ind. operum Luth. VViteber. 1558.

Sed Prædicantes, præſertim VVitebergenſes, ad hāc Prophetæ ſui voluntatem & teſtificationem aures occludunt, ferrumq́; alacriter in Lutheri Tomos putādi gratia ſtringunt, neq́; enim de nihilo Flacciani tantos clamores contra hos Tomos ſuſtulerunt. Der Lugen Teuffel ſchreet zu/ inquit Chriſtophorus VValther, durch die Flaccianiſten tadtlet vnnd verachtet / ſchändet vnd läſtert ſolche Tomos/ auch die bey Leben Lutheri/ vnd mit ſonderlichem Rath vnnd Willen Lutheri gedruckt ſeyndt auffs aller gifftigſt. *Aduolat mendaciorum artifex Diabolus, & per Flaccianos traducit, aſpernatur, calumniatur & blaſphemat quàm virulentiſſimè iſtos tomos, etiam illos, qui, viuente & volente Luthero, prodierunt.* Sed Flaccianis, vtpote impoſturarum & artis falſariæ non ignaris, cauſſam fuiſſe oportet, cur in hos clamores proruperint:

perint: ſiue eam ſuppeditauerint Prædicantes, ſiue ipſe LVTHERVS, quadrata rotundis mutare doctus, nec pridie quid poſtridie crederet, gnarus, adeò verſatili & volubili ſpiritu agitabatur.

Idem VValtherus Amſtorffium & Rorarium his, vt ſic loquar, conuicijs irrorat; Erſtlich ſchreyet vnd ſpeyet diſer Lugengeiſt vilen frommen Leuten Ohren vnd Hertz voll/ man ändere darinn viel/ vnd laſſe viel Dings vmb Glimpffs willen auß/ nach Lutheri Todt/ wie dann auch Magiſter Rörer in den erſten Jheniſchen Tomen hat laſſen drucken/ darwider ich jhm/ vnd allen Trutz gebotten habe/ daß ſie es beweiſen köndten/ daß nach ſeinem Abſchide vonn Wittenberg/ etwas vmb Glimpffs willen ſey verändert oder außgethan. *Principio, replet mendax iſte Spiritus, multorum aures & pectora, multa mutari & prætermitti in tomis* (VVitebergenſibus) *poſt Lutheri mortem: quod & Magiſter Rorarius in primis tomis Ienenſibus publicè vulgari paſſus eſt. Quem tamen vt & alios audacter prouocaui, vt probaret poſt ſuum VVitebergà diſceſſum, aliquid moderationis cauſſa mutatum aut prætermiſſum eſſe.* Et tandem Lutherana impatientia victus Chriſtophorus vel potius Lutherophorus iſte nominat Amſtorffium, Rorarium, & omnes illos, qui tomos VVitebergenſes corruptos aiunt, *Capita Diabolica.* Teuffelsköpff.

Verumenimuerò tantas componere lites, non eſt noſtrum, & fortaſſe ne Palæmonis quidem. Interim tamen credibile non ſit Amſtorffium, ad tres Saxoniæ illuſtriſſimos Principes ſcribentem, tomumq; primum Ienenſem, ad illorum quaſi poſtes ſuſpendentem, mentitum eſſe, etſi alioquin quæ eſt natura *Prædicantium*, à mentiendo non admodùm abhorrebat, & Rorarius atrociſſimam iniuriam à VValthero, licet ſuppreſſo nomine, ſibi irrogari queritur. *Bone Deus*, inquit, *quî fieri poteſt, homines tam eſſe*

audaces & temerarios, vt ſine vlla neceßitate cauſſaq́; probabili, luce palam, aduerſus propriam conſcientiam loquantur in re tam graui, qua non corpus fortunasq́; ſed verbum Dei, animaeque ſalutem concernit. Vbi charitas Chriſtiana? Sub finem tamen teſtatur ſibi cum præfatione Amſtorffij ad Illuſtriſſimos Saxoniæ Principes nihil eſſe negotij, ita vt VValther ſtet aduerſus Rorarium & Amſtorffium, Rorarius contra VValcherum & Amſtorffium; In mentem venit illud Horatij;

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diuerſa palato.
Quid dem? Quid non dem? renuis tu, quod iubet alter.
Quod petis, id ſanè eſt inuiſum, acidumq́; duobus.

Ego tamen Amſtorffio libens aſſentior, quia & Rorarium & VValcherum adſtipulatores habet, neque enim eo impudentiæ proceſſit VValtherus, vt neget in tomis VVitebergenſibus anno 1548. omiſſa eſſe; quæ Rorarius omiſſa ſcribit, & ad quæ ſua in Epiſtola dedicatoria Amſtorffius lectori digitum inter cætera intendit; cumq́; hoc vterq́; fateatur, nihilominus ille Amſtorffium & Rorarium *Capita Diabolica* appellat, & Rorarius Amſtorffij præfationi multam ſalutem dicit. Quid cum iſtis agas?

Sed bonam cauſſam, me Iudice, habet Amſtorffius, non fruſtrà querelas de falſarijs VVitebergenſibus ad Principes detulit.

*P*orrò, quod in VVitebergenſibus culpant Ienenſes, id ipſi Ienenſes non alienū eſſe à ſe exiſtimaſſe vidétur, teſtis eſt expoſitio epiſt. 1. S. Pet. Quam expoſitionem Ienenſes ita mutarunt, vt potius nouæ, quã mutatæ nomen mereatur. Quiſquis enim vtriusque tomi explanatiōem inter ſe contendit, is aliam præfationem, aliam explicationem, alium contextum, aliam contextus diuiſionem reperit.

Tomo 1. VViteber. 1539. fol. 167. in parte poſteriore tomi 2. Ienen. fol. 318. an. 1558

Quid verò cauſæ, cur Ienenſes expoſitionem ſecundæ

epiſtolæ

epiſtolæ S. Petri, quæ integra in VVitebergenſibus tomis viſitur, cumque priore copulatur, omninò prætericrint? Quia verò Ienenſes profitentur, ſe ſecutos eſſe expoſitionem prioris epiſt. anno 1523. publicatã, ideò dubitatio exſiſtit, num tam fœda mutatio & corruptio VVitebergenſibus an Ienenſibus adſcribẽda & imputanda ſit. Et fortò neutris iniuriam feceris, ſiue ad hos, ſiue ad illos fraudem iſtam referas: ſunt enim omnes eiuſdem ſpeciei, & ipſimet ſe mutuò appellitant *impoſtores, falſarios, mendacesq́ Diabolos.* Nihil abs re agit, qui & his & illis aſſentitur, nam ſi Ienẽſes locos à VViteberg corruptos non corruperũt, at corruperunt alios; & ſi VVitebergenſes nõ deprauarunt locos deprauatos à Ienenſibus, at deprauarunt alios. Quo fit, vt cũ ſe inuicem falſariorum & corruptorum titulis cohoneſtãt, vtrosque ſuum cuiq; tribuere, arbitrari debeamus: ſicuti cùm fur furem, & latro latronem nominat.

Admodùm autem aueo ex Hunnio cognoſcere, quis nam ex aſſertione Articuli 36. aduerſus Bullam Leonis X. eraſerit & expunxerit hunc Lutheri articulum: *Nulli eſt in manu ſua quidpiam cogitare mali aut boni, ſed omnia (vt VViclephi articulus Conſtantiæ damnatus, rectè docet) de neceſſitate abſoluta eueniunt: quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa ſtant omnia lege.* Quæ nefaria & plusquam Stoica ſententia reperitur in omnibus exemplis primæ editionis eius libri, qui inſcribitur, *Aſſertio articulorum per Bullam Leonis damnatorum.* Quòd ſi Hunnius & ſocij frontem adeò attriuerũt & extriuerunt, vt more præceptoris ſui Herbrandi, id inficientur, in prõptu erũt plurima exemplaria, etiam apud ipſos Lutheranos, quibus perſpicuè redarguentur, falſitatisq; conuincẽtur, vt quidem & Herbrandus à Schererio conuictus fuit, cùm hoc impudentiſſimè aut negaſſet, aut ſe ſcire id à Luthero chartis mandatum eſſe diſſimulaſſet. *Vide Geor. Scher. apolog contra Herbran. p. 16. cap. 4.*

Quæro

Quæro igitur, quiſnam impium hoc dogma & placitum ex Lutheri opuſculis, quando in tomos relata ſunt, exemerit & exciderit? Pontificij profectò hoc non fecerunt, ipſis etiam Lutheraniſ teſtibus: Reſtat ergo, vt Prædicantes, & qui tomorum collectioni & editioni præfuerunt, piaculum hoc admiſerint. Cur Hunni ambabus buccis *nebulones* hic non ingeminas? Cur vos Palatini Prædicantes, cum ſolita veſtra cantilena non accurritis, nefas eſſe, quidquam ex defunctorum libris exſcindere, aliàs poſteritati conſtare non poſſe, quæ cuiuſuis fuerit ſententia? An non hic eadem ratio valet, ſi quid valet? An non ſi minus veſtra, noſtra tamen plurimum intereſt, noſſe Lutherum fuiſſe Stoicum, & fatalis neceſſitatis fatalem, vel potius capitalem aſſertorem?

Dicent fortè, ipſum Lutherum Paradoxum hoc ex intima Stoa depromptum ex lucubrationibus ſuis extermінaſſe. At alij dicunt: Prædicantes hoc feciſſe. Vtris fidē adhibebo? Deinde eſto ſuſtulerit Lutherus, an ideo à crimine falſi liber erit? Licet enī ſcriptori in ſuos libros ſit ius & poteſtas, attamen ei, qui ſe *Euangeliſtam* iactat, qui *Helias* alter ſalutatur, qui omnibus Eccleſiæ Dd. quotquot ab Apoſtolis ad hanc vſq; ætatē extiterūt, præfertur, qui omnia ſua ſenſa & dicta, ait eſſe ſenſa & dicta Chriſti, ei, inquā, qui talis eſt, integrum non eſt, ea, quæ ſemel litteris mandauit retractare & reſorbere, niſi ſemetipſum mēdacij & impoſturæ redarguere velit. Vbi vnquā auditū eſt ab vllo Propheta, Euangeliſta, aut Apoſtolo, quidquā deletū, inductū & expunctū fuiſſe, quod antea pro pura ſinceraq; veritate & doctrina auditorib. obtruſerit & venditarit, ſicut obtruſit & venditauit Lutherus articulos illos ſuos, & aſſertionē eorundē articulorū? Exiſtimatiſne Prædicantes, S. Paulū in epiſt. ſua ad Rom. quidquā, quod ad fidei dogmata pertinet,

tinet mutaturũ fuiſſe, licet his totis ſexdecim ſæculis nobiſcum in terra mortalem vitam exegiſſet?

Nec eſt, quod Prædicantes obiiciant, ſententiam illã de fatali neceſſitate, fuiſſe aliquid de Papiſtico fermento, quo Luth. necdum planè ad vnguem perfectus, & à ſuo illo ſpiritu ad amuſſim exaſciatus, infectus fuerit, quo velo Lutheri inconſtantiam iſti velare interdum conantur, nam dogma illud non didicit Lutherus in Schola Eccleſiæ, ſed VViclephi & Stoicorum. VViclephicum & Stoicum fermentũ eſt. Inde id Lutherus ſumpſit, eoq; ſub Euangelicæ veritatis prætextu plurimos corrupit, donec tandẽ mõſtri adeò pdigioſi tam Luth. quã prædicãtes puduit & piguit. *Vide Scherer. Apol. contra Herbrand. pa. 10. cap. 5.*

Illud inſup, Prædicantes dicite, quiſnam ex eodẽ aſſertionũ loco ſpongia ſua eluerit hoc Luth. eſtatũ: *Mala Deus in impiis operatur*. ex quo conſequitur, Deũ eſſe auctorẽ peccati. An negabitis cũ Herbrando hoc à Luth. ſcriptũ eſſe? At qui tot ſuperſunt exemplaria, inquit Georgius Scherer ad Herbrandum, in quibus hoc diſertè ſcriptũ & excuſum eſt, vt eorum multitudine & obrui & ſepeliri poſſis.

De mutatione & deprauatione confeſſionis Auguſtan. Apologiæ, & locor. commun. Philippi, mora mera fuerit, aliquid dicere, cùm plurimi libri harũ corruptionũ teſtes & indices in omnium manib. verſentur. Si obijciant, Auctorẽ ipſum mutaſſe, quæ videbantur mutanda. Auctorĩ autẽ in ſuos libros ius ppetuò conſtare, vt ſine crimine falſi addere & demere poſſit, prout fert corde voluntas. Ego verò hîc accuratiùs non diſquirã, an alij præter Philip. in Confeſſionem Auguſt. Apolog. & locos falſariam ſuã falcẽ intulerint. Hoc contendo, nec Philip. nec alijs fas fuiſſe quidquã immutare in cõfeſſione, poſtquam inuictiſſ. Imperatori tradita fuerat, niſi quòd ipſum etiam nefas ſit iam fas, & iniuria ius, & ſacrilegium religio. Vbi vnquam audi- *Vide motiua illuſt. Marcb. Iacobi à fol. 271. vſque 400.*

tum eſt, ab orthodoxis quidquã mutatum eſſe, in decretis fidei, vbi ea decreta cõmuni conſenſu facta & vulgata erãt? Quis vnquã vel ſyllabam ex Symbolo Nicæno detraxit? quis, inquam, ex orthodoxis & rectè ſentiẽtibus? Quis vnquam Symbolo Nicæno aliquid adiecit, quod prioribus aduerſaretur? Nemo ſanè. Quia hæreticorũ ꝓprium eſt in eadem confeſſione non perſiſtere, ſed perpetim vacillare & titubare, & confeſſionem ſemel publicatam & editam variare, interpolare, augere & imĩnuere, prout fert animi inconſtãtis impetus. Exempla manifeſta ſuppeditant nobis Ariani, cum ſuis tam varijs confeſſionibus, & in illis, tãquam in ſpeculo, Lutheranos noſtros agnoſcimus. Et hæc variatio nihil eſt aliud, quàm falſatio, quã & Deo & hominibus falſarij iſti illudere conantur, vt miſeram plebem in falſo detineant & confirment. Et quamuis, quæ ſubſtituũt, prioribus ex diametro repugnent, venditantur tamen æquè pro verbo Dei eoq; puriſſimo & ſinceriſſimo, ac priora quibus ſubſtituuntur.

*P*rimam editionem locorum communium & annotationum ſuper epiſt. ad Rom. non modò *P*hilippus tanquã fontes limpidiſſimos, ſaniſſimos, & ex intimis litterarũ ſacrarum penetralibus depromptos lectoribus commendauit & obtruſit, ſed & ipſe Lutherus laudibus ad ſidera, & propemodum ſuprà ſidera extulit: nominans locos illos, *inuictum libellum, non ſolum immortalitate, ſed Canone Eccleſiaſtico dignum*: & *non eſſe meliorem librum poſt Scripturam ſacram quàm Philippi locos communes, nec in omnibus Patrum Scriptis tantùm reperiri eruditionis Theologicæ, quantũ in locis hisce contineatur, & ſi omnia eorum ſcripta conflarentur, non tamen inde locos Philippi prodituros.* Et de annotationibus *P*hilippi idẽ Luth. *Quin volumus Paulo ſuam quoq; gloriam ſaluam, ne quando aliquis iactet Philippum eſſe Paulo ſuperiorem, ſufficit te proximum*

Luth. cont. Eraſm. de liber. arbit. Luther. in ſerm. conu. Herb. orat. funeb. in Philip. Luther. in epiſt. præf. annotat. Philippi in Epiſtol. ad Roman.

Paulo

Paulo eſſe. Ecce, mi lector, proximum à S. Paulo conſtituit Lutherus Philippum ob annotationes in epiſtolam ad Romanos, in quibus tamen, vt & in locis communibus, continebatur, *Deum peccati auctorem eſſe, Deum peccata nō modò permittere, ſed & in nobis operari, tamque propriè opus DEI eſſe adulterium Dauidis & proditionem Iudæ, quàm vocationem & conuerſionem S. Pauli. Item omnia neceſſitate abſoluta euenire*. Hæc & ſimilia in illis Philippi operibus continebantur, & tamen libellus ille, *Canone Eccleſiaſtico dignus eſt*: Si Lutherum audimus: *quo nihil poſt ſacras Scripturas præſtantius & diuinius, cui nihil ſimile proditurum eſt ex omnium Patrum libris, licet in vnum omnes conflentur*. Quod Luthero, ne ſemper diſſentiam, libenter concedo: nam licet quis in vnū conflaret omnia ſanctorū Patrum monumenta, nunquā inde prodiret immania illa, & planè Stoica paradoxa, *Omnia ex neceſſitate abſoluta euenire: Deum eſſe auctorem peccati*. Et id genus alia, quæ Philippus locis ſuis illeuit, & poſtea deleuit, redarguens Lutherum ipſo facto ſuo ob hoc iudicium omni iudicio diſſimile, vanitatis & mendacij. Anne enim Canone dignus liber ille, ex quo ea dogmata exterminare oportuit, quæ ipſemet Auctor propter nimiam impietatem diutius tolerare nec potuit, nec voluit, tametſi prius ea tanquā diuinitus accepta, imperito vulgo venditaſſet & deprædicaſſet? Sed hoc inuſitatum nec Philippo, nec Luthero fuit, *Subinde enim mutandi ſunt* (articuli fidei) inquit Philippus, *atq; ad occaſiones accommodandi*. Qui hoc ſcribere audet, is quiduis etiam facere audet. Fidei ergo Lutheranæ articuli erant, *Omnia ex neceſſitate abſoluta euenire. Deum peccata operari*, & huius farinæ alia, quamdiu Philippo & Luthero id viſum fuit. Mutata Phantaſia & opinione Stoica, neceſſe erat ipſos etiā articulos fidei mutare. Digni profectò tali fide articuli.

Vide Geor. Scher. apolog. contra Herbran. p. 26. cap. 7.

tom. 1. epiſt. Melancht. quas edid. Peucerus 1570. fol. 3.

Schluſſelb. lib.3.de Theo. Cal. art.1.

Finiam hoc caput,ſi prius de corrupta Auguſtana confeſſione, itemq; Apologia, teſtem, non quemuis ex circulo Prædicantium,ſed Superintendentem audiuerimus. Eſt is Conradus Schluſſelburgius, qui copioſè probans Corpus doctrinæ Philippi, (in quo præter alia comprehenduntur Confeſſio Auguſtana, Apologia,& Loci communes) non poſſe eſſe normam doctrinæ, & ſymbolum conſenſionis, hanc præter cæteras demonſtrationem adducit. *Norma doctrinæ, & ſymbolum conſenſionis debet inter ſe per omnia concorditer conſentire, & nec verbis nec ſenſu diſcrepare: Sed Corpus doctrinæ Philippi non conſentit ſibi per omnia concorditer, quod luce clarius liquet ex collatione Locorum communium, Auguſtanæ confeſſionis, & Apologiæ, nec ab vllo negari poteſt, ergò Corpus doctrinæ Philippi non poteſt eſſe norma doctrinæ, & ſymbolum conſenſionis; nec pro tali recipi aut admitti debet.*

Item. *Prohibitum eſt à Deo, & quidem ſeuerè, falſum teſtimonium dicere; ſed qui Corpori doctrinæ Philippi ſubſcribit, is cogitur dicere falſum teſtimonium; quia initio Corporis doctrinæ Philippi ſcribitur, ei inſertam eſſe Confeſſionem Auguſtanam, quæ ab Electoribus & Principibus noſtræ* (Lutheranæ) *religionis oblata ſit Carolo V. Imperatori Auguſtæ,* 1530. *ſed ex collatione exemplarium apparet minimè illam eſſe, ſed aliam multis locis mutatam confeſſionem.* Quis mutauit? ô Superintendens; Quis falſauit? ô Hunni. Quin tu, more tuo, *Nebulones* crepas. *Quare ne quis falſi teſtimonii ſe participem faciat,* inquit iſte Prędicans, *ſtudiosè cauere debet, ne Corpori doctrinæ ſubſcribat.*

Ipſa etiam Præfatio, & alii articuli acciſi & circumciſi ſunt, omiſſaq; magni momenti & ſignificantia verba, in eorumq; locum ſubſtituta leuiora & ambigua. Imò nullus inficiari poteſt, inquit idem Superintendens, *decimum articulum Auguſtanæ confeſſionis, adeo mutatum eſſe, vt Ioannes* Laſco, *Caluinus, Kleinvvitzius, & alii Sacramentarii, ſic mutatæ confeſſioni ſubſcripſerint,*

rint, palamq́ iactarint, Philippum non ſine cauſſa, ſed in gratiam Sacramentariorum decimum illum articulum adeò variaſſe & circumcidiſſe.

Definitionem Euangelii, quòd ſit concio pœnitentiæ, valdè vrſerunt & vſurparunt Antinomi, vt patet ex diſputationibus Lutheri contra Antinomos Tom. 1. Lat. Ien. in fine. & hæc definitio non ſemel reperitur in Corpore latino Doctrinæ *Philippi, & intruſa itidem eſt in Auguſtanam Confeſſionem* (quis nebulo intruſit Hunni?) *cum tamen antiqua exemplaria ne verbulum quidem de ea habeant. Sunt etiam ex quinto articulo Auguſtanæ Confeſſionis aliquot emphatica verba, vehementer contra Pelagianos pugnantia, poſtea omiſſa, in eorumq́ locum ambigua ſuffecta. In Apologia ſublatum eſt vocabulum, ſolùm, eo loco, vbi directè Pelagianis & Synergiſtis aduerſatur; & alibi intruſum, vbi videlicet Synergiam confirmat, cum tamen in authenticis exemplaribus deſit, Et in 15. articulo Authentici libri habent: Significationem dedimus, nos, concordiæ & charitatis ergo,* QVÆDAM *adiaphora cum aliis obſeruaturos. At in Corpore doctrinæ Philippi, prætermiſſa eſt vox* QVÆDAM, *procul dubio in fauorem & commodum Adiaphoriſtarum. Quin & Maioris factioni hodiernum doctrinæ Corpus egregiè ſeruit & fauet, verbis illis ſexto articulo in Latino exemplari ſuperadditis; vbi aſſeritur: Bona opera eſſe facienda, ſicut & Chriſtus inquit; ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Nec Auguſtanam tantum, ſed & Saxonicam Confeſſionem corruperunt iſti; *Nam in Germanica editione adiectum eſt hoc:* Daß der newe Gehorſam ſey ein Erhaltung deß Glaubens. *Nouam obedientiam eſſe conſeruationem fidei. Quod tamen non eſt in latino exemplari, Et hæc omnia notanda ſunt,* inquit idem Lutheranus Superintendens, *contra impudentes quoſdam Sciolos, qui Philippum, tanquam ſyncerum, fidelem, Deoq́ plenum Doctorem coram Eccleſia prædicant, cum fuerit*

rit Caluiniſta & Synergiſta. Hæc Schluſſelburgius, quibus præclarè Lutheranos falſarios depingit & repræſentat.

Ad extremum quæro, ſi, vt Prædicans iſte fuſè & benè oſtendit, Corpus doctrinæ Philippi non poteſt eſſe norma doctrinæ & ſymbolum conſenſionis, cur ergò hoc Corpus doctrinæ anno Domini M. D. LX. Lipſiæ excuſum eſt hoc titulo. *Corpus doctrinæ Chriſtianæ, quæ eſt Summa Catholici & orthodoxi dogmatis, complectens doctrinam puram & veram Euangelii IESV Chriſti, ſecundum diuina Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, fideli & pio ſtudio explicata à Reuerendo viro D. Philippo Melanchthone; nunc edita ad vſum Eccleſiæ ſanctæ publicum & priuatum, & ad teſtimonium conſtantiæ atq; conſenſus confitentis & profitentis veritatem æternam doctrinæ cœleſtis integram ac ſinceram, in Eccleſiis & ſcholis regionum Saxonicarum & Miſnicarum, ſubditarum ditioni Principis Electoris Saxoniæ, his totis annis triginta, ex quo Auguſtana Confeſſio oblata & edita eſt.* Aut titulus iſte mentitur, cum Corpus doctrinæ ſymbolum & teſtem conſenſionis nominat, & tanquam puræ, ſinceræ & cœleſtis doctrinæ promptuarium dilaudat; aut mentitur Schluſſelburgius, cum Corpus hoc impurum appellat, & ab omnibus fugiendum eſſe, docet. At Schluſſelburgii demonſtrationes euidentiores ſunt, quàm vt in dubium vocari queant, vt fatebitur quiſquis illas percurrerit. Vident igitur Prædicantes, quæ hinc ſequatur concluſio.

CAPVT XII.

Refelluntur ineptiæ, calumniæ & mendacia Ioannis Pappi Prædicantis Argentoratēſis, circa Indicem expurgatorium.

POſt Iunianam editionem recuſus eſt expurgatorius Index Argentorati anno Dn. M. DXCIX. Nouæ editioni nouam hederam appendit Pappus Prædicans, præfationem, inquam, nouam, *& collationem cenſuræ in Gloſſas Iuris Canonici à F. Thoma Manriquez, Sacri & Apoſtolici Palatii Magiſtro iuſſu Pii V. Pontificis anno 1572. editæ, cum iiſdem Gloſſis, à Sixto Fabri eiuſdem Palatii Apoſtolici Magiſtro, Gregorio XIII. Pontifice mādante, ann. 1580. recognitis & approbatis.* In hac ſua præfatione adfert Prædicās querelas contra Indicem Belgicum, alias cum Iunio communes, alias, proprias & peculiares. Ex communibus vna eſt, quòd Catholici ea damnent in Indicibus, quæ in ipſo Patrum contextu facere nolunt videri. *Quid enim?* inquit Prædicans, *In Indice Frobeniano in D. Auguſtini opera, delendū eſt iſtud: fides ſola iuſtificat Tom. 2. col. 815. hoc autē ſi delendū eſt, vt Index Expurgatorius vult atq; iubet, quē tandē locū ipſa D. Auguſtini verba, ad quæ Index Frobenian⁹ nos remittit, habebunt? Aut quæ cauſſa eſt, cur ea quoq; non deleantur, aut ſaltē de hæreſi non ſint ſuſpecta?* Atqui apud S. Auguſtinū Epiſt. 200. ad quā Index lectorem remittit, nō inuenitur hæc aſſertio: *ſola fides iuſtificat*, & vt maximè inueniretur: ſenſus tamen non eſſet, quem Lutheranus Index ſpiritu Lutherano indicat, nimirum ſolam & nudam fidem, tametſi informem, iuſtificare, ſed ſolam fidē formatā, quæ per charitatē operatur, iuſtificationem largiri. Quare iiſdem verbis Index & S. Auguſtinus idem non dicerent: id quod crebrius cōtingit; quia iiſdē verbis & hæreſis & ſana doctrina ſubiici poteſt. Falſū ergo eſt, quod ait Prædicans, *per Indicem Frobenianum ſancti*

Augu-

Auguſtini latus peti. Hæreſis petitur, non Auguſtinus, quia hæreſis eo loco Indicis recubat, non Auguſt. cuius hæc eſt oratio: *Non ſolùm autem illa opera legis, quæ ſunt in veteribus Sacramentis, & nunc reuelato Sacramento nouo non obſeruantur à Chriſtianis, &c. verùm etiam, quod in lege dictum eſt: non concupiſces, quod vtique Chriſtianus nullus ambigit eſſe dicendum, non iuſtificat hominem, niſi per fidem* I E S V C H R I S T I *& gratiam Dei, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

Obiicit *Prædicans. Eſſe idem omninò: non iuſtificat niſi per fidem Ieſu Chriſti, cum iſthoc. Sola fides iuſtificat.*

At quis hoc præter *Prædicantes* dicit? Homo non viuit, niſi per reſpirationem, ergò per ſolam reſpirationē. Homo non viuit niſi per potum, ergò per ſolum potúm. Domus non ſubſiſtit niſi per muros, ergo per ſolos muros. Non peruenitur ex media Germania in Britanniam, niſi per mare, ergò per ſolum mare: vt alia huius generis infinita prætercam, quæ prædicantium inſipientiam maniſeſtiſſimè redarguunt, nam vt exemplum quod propius ad noſtrum inſtitutum accedit, adferam, quis neget hanc enunciationem eſſe veram? Homo non ſaluatur niſi per Baptiſmum in re vel in voto. At quis rurſus tam fatuus ſit, qui inde hanc *Prædicantium* conſecutionem texere auſit? Ergò homo (& quidem adultus, de hoc enim loquimur) per ſolum Baptiſmum ſaluatur. Sed ſatis de hoc.

Nunc ad *Speculum oculare* Ioannis Reuchlini ſeu Capnionis, quod vetuit *Paulus* I V. & Index librorum prohibitorum *Pij* I V. ſeu Concilij Tridentini. Eſt autem *Speculum oculare* liber lingua Germanica ſcriptus contra Iohannem *Pfefferkorn*, olim Iudæum, poſtea ad fidem Chriſti traductum, quo libro totis viribus euincere conatur Reuchlinus, libros Thalmudicos Iudæorum non eſſe

abo-

abolendos & exurendos, allatis plurimis argumentis. Sed quia videbat Reuchlinus his ſuis argumẽtis alia nec pauca, nec infirma obiici poſſe; ideo in eo ipſo libro Germanicè alioquin ſcripto, quinquaginta duas obiectiones latinè proponit, propoſitasq́; diſſoluere & amoliri tentat. Huius libri vſum putabant Academici Duacenſes, quorum Iudicium Indici Belgico inſertum eſt, permitti poſſe has ob cauſſas. I. *Quod hic liber Sueuica lingua ſit ſcriptus, non Latina, & vix vſquam reperiatur, neq; vnquam ſit recudendus, catalogo Tridentino id definiente.* II. *Quod Petrus Galatinus libris de Thalmudicis arcanis eandem ſententiam tueatur, nempe Thalmudicos libros non eſſe exſtirpandos. Et tamen hoc Galatini opus, iuſſu Leonis X. Cardinalium, & Maximiliani Imperatoris conſcriptum eſt; & quidem conſilio defendendi ſententiam Reuchlini.* III. *Quod à Leone X. liber ille admiſſus ſit, & approbatus, vetitusq́; damnari.* IV. *Quòd Catalogus Tridentinus ſimpliciter ſecutus ſit fidem Catalogi Pauli IV. iuſſu confecti à Symmyſtis eorum, qui quondam ſpeculum oculare à ſe damnatum combuſſerant.* Hic clamores ingentes tollit Pappus, vociferans I. Conciliorum decreta à Pontificiis, *cum ipſis videtur commodum, ne pili quidem fieri.* II. *Cenſores Duacenſes de vtroq; Pontifice iudicium ſibi ſumere.* III. *Leonem X. à Paulo IV. & Concilio Tridentino manifeſti erroris damnari.* Reſpondeo, vtinam Conciliorum decreta & Pontificum Auctoritatem tanti faceret Pappus, quanti Pontificii & Academici Duacenſes: Pappus vtiq; non eſſet, aut ſi eſſet, puncto temporis Pappus eſſe deſineret. Itaq; mirum eſt, quo ore omnium Conciliorum Pontificumq́; cõtemptor, Pontificiis, quibus hæc omnia ſancta ſunt & religioſa, obiicere audeat Conciliorum Pontificumq; contemptum, niſi quòd iſti nihil non audere ſolent.

Ad ſecundam criminationem reſpondeo, aliud eſſe

ſententiam ſuam debita modeſtia, ſubmiſſione, animoq; maioribus parendi explicare, & aliud de ſententiis maiorũ ſuperciliosè & arroganter iudicare, ſuamq; perſuaſionem omnibus aliorum dictis & decretis anteferre: prius fecerunt Duacenſes (ſi tamen iſti ſinceré & candidè cenſuram Duacenſem in vulgus ediderunt; licet enim Iunius ſe, ne mutato quidem verbulo, Indicem Belgicum vulgaſſe affirmet; quia tamen id fide Caluiniana affirmat, non immerito nobis ſuſpectus eſſe poteſt) *Poſterius* faciunt Hæretici, & id genus alij cenſores cerebroſi, anima potius, quàm ſemel concepta ſententia migrare parati. Cæterùm ſupradicto animo & conſilio Academicos Duacenſes ſententiam ſuam de *Speculo oculari* Capnionis expoſuiſſe; inde liquidum fit, quia Catholicæ Eccleſiæ filii ſunt, quorum hæc vel præcipua nota, promptè & alacriter obtemperare, ſepoſito proprio iudicio, ſi intelligant, ſuperiores ſimpliciter aliquid velle, ſicut hoc tempore poſtquam Clementis IIX. Index eiuſdem *Speculi* prohibitionem renouat & confirmat, dubium nullum eſt, quin omnes orthodoxi libenter iudicium ſuum ad illius iudicium aggregent, pronoque aſſenſu in eam ſententiam concedant, quam Apoſtolicæ Sedi placere vident. Neque verò illicitum eſt, cum quid à legiſlatoribus proponitur, dicere ſuam ſententiam modeſtè, reuerenter, & mente iuſſa capeſſendi, ſi legiſlator ſua in voluntate perſiſtat, vt hic quidem perſiſtit; neq; enim leges feruntur abſq; omni ad ſubditos intuitu, præſertim ſi ſubditi illi non ſint ex imperitæ multitudinis fęce, ſed in excelſo dignitatis & eruditionis gradu collocati.

Ad tertiam Pappi calumniam hoc reſponſum do, rectè feciſſe Leonem concedendo, rectè itidem feciſſe Pau-

Paulum IV. & alios interdicendo; nam vt ipſe Paulus IV. in quodam diplomate ſuo dicit: *Apoſtolicæ Sedis prouidentia circumſpecta, nonnũquam ea, quæ conſultè ſtatuerat, ex ſaniore iudicio conſultius reuocat, prout ex rerum euentu conſpicit in Domino ſalubriter expedire. quia nonnunquam quod coniectura profuturum credidit*, inquit alius Pontifex, *ſubſequens experientia nociuum oſtendit: non debet reprehenſibile iudicari, ſi Canonum conditor Canones à ſe vel ſuis prædeceſſoribus editos vel aliqua in eiſdem contenta Canonibus reuocare, modificare vel ſuſpendere ſtudeat, ſi ea obeſſe potius viderit, quàm prodeſſe. Nam ad Conditorem Canonum non eſt dubium, pertinere, cum ſtatuta à ſe vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potius, quàm prodeſſe, ne obeſſe valeant prouidere.* Et quod Eccleſiaſticarum conſtitutionum conditoribus vſuuenit, id etiam illis, qui ciuiles leges ferunt, non raro cõtingit *ex variatione perſonarum, cauſſarum, temporum, & locorum*, vt rectè ait Gloſſa. Hinc tot leges olim rogatæ, poſtea ſunt abrogatæ, nec ſingulares tantum leges, ſed & integri Legum Codices? Vbi Codex Hermogenianus? Vbi Gregorianus? Vbi Theodoſianus? Vbi tot veterum Principum reſcripta & Iureconſultorum reſponſa? Quibus ſucceſſit Codex Iuſtinianeus, qui maiorem partem ſuſtulit, antiquauit, & auctoritate priuauit: quia alia tempora, alia exigebant decreta. Nam vt ſcitè ait Iuſtinianus: *Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotiis. Vnde conſequitur, vt nonnunquam à Iudicio diſcordes effectus, & quod credebat coniectura prodeſſe, experimento videatur inutile.* Neq; verò vnum eundemq; legiſlatorem ſua inducere, aut mutare piget, ſi quid magis è re communi videatur eſſe. *Non enim ſi his, quæ vel ipſi prius diximus, rectius aliquid excogitemus*, inquit Iuſtinian. *pudet nos in legẽ id coniicere, & per nos ipſos competentem prioribus correctionẽ adferre potius, quàm exſpectare, dũ*

Bull. 37. exſtat in Mag. Bull.

Ioann. 22. in Extrau. Quia nonnunquam.

Extrauag. ad Conditorem.

Gloſſ. capi ad Conditorem.

Nouell. 111

Nouell. 22.

ab aliis lex corrigatur. Quoties id, quod in Codice ſuo idem Imperator ſtatuerat in Nouellis vel mutauit, vel temperauit, vel planius explicauit? Quid quod hoc ipſum poſt primam Codicis editionem faciendum fuit? quam ita abrogauit, vt ei omnino vim & auctoritatem ademerit. *Repetita itaq; iuſsione nemini impoſterum concedimus, vel ex deciſionibus noſtris, vel ex aliis conſtitutionibus, quas anteà fecimus, vel ex prima Iuſtinianei Codicis editione, aliquid recitare: Sed quod in præſenti purgato & renouato Codice noſtro ſcriptum inueniatur, hoc tantummodo in omnibus rebus & iudiciis & obtineat, & recitetur.* C. de Iuſti. Cod. conf.

Hæc ideò attuli, vt oſtendam ſucceſſores leuitatis aut temeritatis nequaquam arguendos eſſe, cum anteceſſorum decreta reſcindunt, quia natura & conditio rerum id neceſſariò ſæpius efflagitat; cum nec iidem homines, nec iidem mores, perpetuò perſeuerent: ipſaq; temporis viciſſitudo, & longinquitas res mirificè variet, vt quod prius conducibile æſtimabatur, id poſtea vſus ipſe inutile demõſtret. Quocirca vt priores Imperatores imprudenter nõ fecerunt rogando, ſua quisq; ætate leges, quas ſubſecuto tempore Iuſtinianus prudenter mutauit; vtq; Iuſtinianus nihil propterea de maieſtate & auctoritate ſuorum maiorum detraxit: Ita etiam Leo iuſtè librum Capnionis legi, & liberè per doctorum manus volitare permiſit, quem tamen non minus iuſtè Paulus I V. & alii proſcripſerunt & interdixerunt, cum experientia ipſa edocti eſſent, libro illo Reuchlini Iudæos in ſua perfidia confirmari, & multos alios tanquam claſſico, excitari poſſe; vt impios Iudæorum libros euoluerẽt. neque ideo Paulus I V. Leonem X. *erroris manifeſti* damnauit; vt fingit Prædicans, niſi dicere velimus Iuſtinianum manifeſti erroris damnaſſe Theodoſium, totq; alios Imperatores, quorum decretis decreta contraria ſanxit, bono communi id poſtulante.

Vt

Vt autem tota huius Prædicantis fabula, quam de *oculari ſpeculo* Reuchlini agit, meliùs intelligatur, res paulò altiùs repetenda eſt. Anno Domini M. D. III. Chriſtianæ Religioni nomen dedit Iudæus quidam eruditus: Ioſeph prius, poſtea Ioannes dictus, cognomento, Pfefferkorn. Is cùm magno deſiderio teneretur gentis ſuæ ad Chriſti cultum traducendæ, ſalutiq; illius potiſſimùm obſtare crederet lectionem librorum Thalmudicorũ, Chriſtum, Chriſtiq; Sectatores horribilibus blaſphemijs afficientium & proſcindentium, ſollicitè circumſpicere cœpit, qua tandem ratione libri illi impij ex Iudæorum manibus excuterentur. Multa cogitanti occurrit, id effici poſſe per Imperatorem, qui tunc Maximilianus erat primus hoc nomine. Is pro ſua erga Chriſtianam pietatem reuerentia & affectione haud grauatè Pfefferkornio litteras Cæſareas impertijt, quibus poteſtatem fecit omnium Iudæorum in Prouincijs Romani Imperij degentium bibliothecas luſtrandi, & quidquid in Chriſtum & Chriſtianos quoquo modo iniurioſum eſſet, exurendi, idq; in præſentia Parochi & duorum ex Ordine Senatorio cuiusuis loci. Cùm Pfefferkornius ſpe bona plenus rem aggredi inciperet, variæ, vt fit in cœptis inſolitis, obiectæ ſunt difficultates, alijs Iudæorum cauſſam agentibus, Thalmudicosq; libros incendio dignos non eſſe clamitantibus, alijs aliud prætendẽtibus, quorum importunitas tantum effecit, vt Imperator iuberet libros ablatos Iudæis reſtitui. Poſtea tamen mutato conſilio Vrieli Archiepiſcopo Moguntino totum negotium commiſit, vt cum Academijs Colonienſi, Moguntina, Erfordienſi, & Heidelbergenſi, inſuper Iacobo Hochſtrato Hæreſeos apud Colonienſes Inquiſitore, Ioanne Reuchlino, & Victore de Corba, viris Hebraicæ linguæ admodùm callentibus, diſpiceret,

Exſtat de hoc libell. German. Pfefferkornii Auguſtæ Vind. excuſ. 1510

Datæ ſunt hæ litteræ, 1509.

Exſtat in ſpeculo oculari Reuchlin.

quid facto opus eſſet. Reuchlinus à *Præſule* Moguntino iuſſus ſententiam ſuam ſcripto expoſuit; Ea hæc erat. Iudæorum libros ſeptem claſſibus contineri: *Prima*, ſacram Scripturam. Secunda, Thalmud. Tertia, Cabalam. Quarta, Commentatores & Gloſſographos in Scripturam. Quinta, Sermones, Diſputationes & conciones. Sexta, libros Philoſophicos, & aliarum ſcientiarum. Septima, libros *Poëticos*, & illos, qui fabulas, apologos, ioca, fictaque exempla complectuntur.

¶ Hoc poſito reſpondit REVCHLINVS, libros primi generis abolendos non eſſe, in quo neminem, qui contradiceret, reperit. Item, nec Thalmud, nec Cabalam, nec quartæ, nec quintæ, nec ſextæ claſſis libros, imò nec ſeptimæ, niſi apertas blaſphemias in Chriſtum, eiusq; ſanctos continerent, quorum ait paucos exſtare, ſeque duos huius generis tantummodo vidiſſe, qui ab ipſis itidem Iudæis improbentur, & apocryphis deputentur. Cæterùm Thalmud, quem ſe nunquam legiſſe fatetur, flammis addicendum non eſſe, plurimis argumentis euincere conatus eſt; Sed (liceat vera dicere) pleriſque inanibus, & maioris ſtrepitus, quàm roboris: quod demonſtratu perquam facile foret, ſi id nunc ageremus. Illud certè, quod tāquam exploratum toti ſuo ædificio ſubſternit, in Thalmud nihil blaſphemiarum in CHRISTVM, & religionem Chriſtianam comprehendi, longiſſimè auium à vero abit; vt perſpicuè intelliget, cui animus fuerit percurrēdi Catalogum blaſphemiarum in Chriſtum, quē ex Thalmudico opere collectum proponit Sixtus Senenſis: vt taceam pernicioſos illos contra ipſam Moyſis & naturæ legem errores, quibus profanum illud opus paſſim ſcatet.

Sixtus Senenſ. lib. 2. biblioth.

Igitur

Igitur Reuchlinus cum hac ſua aſſertione Iudæis nimium fauente, multos eruditos aduerſus ſe concitauit, & inprimis ipſum Pfeffingerum, qui libello Germanicè edito, ſententiã Reuchlini refellit. Etſi & ipſe nimis in alterũ extremum deflexiſſe videtur, volens vt ſimpliciter omnes Iudæorum libri flammis abſumerentur, exceptis Biblijs, quæ ſententia rigidior quàm æquior, ſicuti illa Reuchlini laxior, quàm religioſior iure cenſeri poteſt. Vtcunque ſit, ſcriptum Pfeffingeri Reuchlino cauſſa fuit, vt Apologiam pararet, quàm *Speculum oculare*, Germanicè, Augenſpiegel, indigitauit, in qua ſententiam ſuam mordicus tenet & pertinaciter adſtruit. Præualuit tamen in Eccleſia ſententia PFEFFINGERI, quod ad Thalmudicos & Cabaliſticos libros attinet, vt diximus libro primo.

Et patet ex Indice CLEMENTIS octaui, qui propriam quoque Conſtitutionem edidit contra impia Scripta & libros Hebræorum, hoc eſt, contra Thalmudicos, Cabaliſticos, & huius farinæ alios.

Et quia REVCHLINVS in *Speculo oculari*, in *Arte mirifica*, & in ſua *Cabala* patronum horum voluminum agit, ideò patronus ſimul cum ſuis Clientibus merito ſtigmate inuſtus eſt, cùm aliàs, tum nouiſſimè ab Indice, auctoritate CLEMENTIS octaui aucto & publicato.

Verumenimuerò, miſſo iam REVCHLINO, ſummis non iniuria laudibus à cunctis Chriſtianæ Religioni addictis efferendus eſt pius ille MAXIMILIANI IMPERATORIS Ardor, quo incenſus, profanos Iudæorum libros incenſum & perditum iuit; licet hoc factum mentem LVTHERI non parùm excruciarit.

Malè

Luth. cont. Latomum, tom. 2. lat. VViteber.

Malè me habet, inquit Lutherus, *quòd Maximilianus, quo tempore Iudæorum libros vexabāt Sophiſtæ, non verterit conſilium eorum ſuper caput eorum.* Dolendum profectò, Lutherum Maximiliano nō fuiſſe à conſilijs, vt à ſe pariter & Iudæis cruciatum, à libris autem Iudæorum rogum auerteret, & in capita Scholaſticorum, quos Sophiſtas appellat, conuerteret, quod Luthero non parum voluptatis attuliſſet. Sed quia ſecus euenit, durandum exiſtimo, & fortiter crucem hanc ferendā, quia patientia fit leuius, quidquid corrigere eſt nefas. *Hoc erat multò ſaluberrimum conſilium*, inquit Lutherus, *& longè magis neceſſarium, quàm quod de Iudæorum libris iactabatur.* Prodit Lutherus beneuolentiam ſuam in Iudæos, quorum opera Thalmudica, tam impia & nefaria, ſalua cupit, vt pereant Scholaſticorum commentaria. Inconſtantiſſime hominum, an non eodem loco hæc tua verba viſuntur? *Libros erroneos exurendos eſſe, conſentio & probo.* Si conſentis & probas, cur ergo Imperatoris Maximiliani factum reprehendis? *Sed non eos*, inquis, *quos nondum probaueris, eſſe erroneos.* An Thalmudici & Cabaliſtici Iudæorum libri non ſunt erronei? An necdum vllius erroris ſunt conuicti? Reuertamur ad Pappum, qui ait, *Circa idem tempus, quo in concinnando hoc Indice Cenſores Belgici elaborarunt, Romæ etiam in repurgandis gloſſis Iuris Canonici eſt deſudatum. Sunt enim in veteribus etiam gloſſis, aliqua purioris doctrinæ veſtigia: quæ non modo memoria hominum litteratorum ſublata, ſed ex ipſis etiam libris eraſa, æternaq; obliuione ſepulta Antichriſtianarum ſuperſtitionum propugnatores cupiebant.* Si in gloſſis Iuris Canonici exſtant perfidiæ veſtræ veſtigia; cur ergò Lutherus veſtigia iſta cum corpore Iuris Canonici exuſſit? *Ego Martinus Lutherus*, ait Lutherus, *dictus Doctor Theologiæ, notifico in vniuerſum omnibus, mea voluntate, conſilio & opera, die Lunæ poſt natalem S. Nico-*

Luth. tom. 2. lat. VViteberg. cur Ius Canon. combuſſ.

S. Nicolai Anno Domini M.DXX. exuſtos eſſe Pontificis Romani libros, & nonnullorum eius diſcipulorum. Profectò veſtigiis tam, veſtro iudicio, conſpicuis parcendum erat. Secundò ſi talia veſtigia in Gloſſis Iuris Canonici; cur igitur Lutherus nihil intentatum reliquit, vt poſtquam incendio nihil effecerat, cuniculis conſiliorum & conuiciorum Ius Canonicum ex Academia VVitebergenſi extruderet? Cum enim Anno Dñi M. DXXI. Iuſtus Ionas Eccleſiæ VVitebergenſis *Præpoſitus* Decretales adhuc cogeretur interpretari in Academia VVitebergenſi, non obſtante prioris anni incendio, Lutherus ex ſua *Pathmo* hæc ad Ionam ſcripſit. *Ego Dominum oro, vt impartiat tibi Spiritum ſuum, quò Decretales Antichriſti peſtilentiſſimas, quibus docendis mandatus es, non alio ſtudio profitearis, quàm quo tibi dixi, &c. Ita, mi frater, facito, vt doceas dediſcenda eſſe, quæ doces, & ſciant fugienda eſſe ſicut mortifera, quæcunq; Papa & Papiſta ſtatuunt ac ſentiunt. Cum enim vi non poſſimus hoc publicum orbis malum abolere* (vim violentam ignis fruſtrà vſurpauerat iam Lutherus) *cogamurq; has ſacrilegas* (conuenienter ſibi loquitur Sacrilegus) *Babylonis prouincias adminiſtrare, hoc reliquum eſt, vt eas ſic adminiſtremus. &c.* Et ſi tam multa Lutheranæ fidei ſemina in Gloſſis *Pontificii* Iuris latent, minimè debebat Lutherus ſemina hæc præfocare; vel vt præfocarentur, adeò eniti; ſed potius pati, vt in lætam meſſem VVitebergæ adoleſcerent, Iona cultore, plantatore, rigatore.

Luth. Pref in lib cont. Latonum Tom. 2. lat VVit.

Tertiò ſi tot veſtigia veſtræ doctrinæ in Gloſſis Iuris Canonici apparent; cur ergò Lutherus inaudito conuitio dixit: *Canoniſtas eſſe Diaboliſtas, & meros Diabolos?* Item. *Canoniſtam nihil aliud eſſe, niſi aſinum; & Eccleſiæ peſtilentiam.* Item. *In toto Pontificio, & quidem maledicto iure* (ita furit maledictus) *nibil aliud reperiri, quàm crepitus aſininos, in quo ne minimum quidem punctulum, vnde diſci*

Luth. Ser. Conuiu. tit de Iuriſtis:

Zz *queat*

queat quid ſit fides, quid charitas, quid Sacramentum. Vbi ergò ſunt, ô Prædicans, tuæ illius purioris doctrinæ veſtigia, ſi in toto Iure ne punctum quidem *de fide, charitate & ſacramẽtis* exſtat? An fortè veſtigia doctrinæ veſtræ ſunt negatio fidei, charitatis & ſacramentorum?

Ad hæc, ſi illi ſunt *Antichriſtianarum ſuperſtitionum* propugnatores, qui nonnulla ex Gloſſis expuncta cupiebãt, oportet profectò Lutherum Antichriſtianarũ ſuperſtitionum egregiũ propugnatorem fuiſſe, quia non modò quædam ex Gloſſis eraſit; ſed Gloſſas vna cum integro Iuris Canonici textu combuſſit. Quis enim plura tollit? illéne, qui vitem putat, an qui vitem cum radicibus ipſis exſtirpat?

At videamus in ſpecie, quænam hæc ſint Lutheranę doctrinæ in Gloſſis veſtigia. *Diſt. 30. C. 3. Canones gl. verb. Atq; inter Apocrypha, Apocrypha, id eſt, ſine certo auctore, vt Sapientia Salomonis, Liber IESV filii Syrach, qui dicitur Eccleſiaſticus, & liber Iudith, & Tobiæ, & liber Macchabæorum, hi apocryphi dicuntur, & tamen leguntur, ſed fortè non generaliter.* Corrigatur primùm error ſeu Pappi, ſeu Typographi, Diſtinctionem 30. pro 16. citantis. Deinde ſi huiuſmodi errores gloſſographorum ſunt veſtigia Lutheranæ doctrinæ, tunc ſuadeo, vt relictis Gloſſographis conferant ſe ad Simonianos, Baſilidianos, Marcioniſtas, & Bogomilos, qui non modò ſuprànominatos libros apocryphis annumerant, ſed omnes ſimpliciter veteris teſtamenti libros repudiarunt, vt ex S. Irenæo, Epiphanio, & Euthymio notum eſt. Multò certè expreſſiora & impreſſiora veſtigia Lutheranæ doctrinæ, de libris Canonicis in his eluceſcũt, quàm in illo Iuris Canonici Gloſſographo, qui quidquid dixit, id aut incuriâ aut ignorantiâ, non pertinaciâ & malitiâ effudit. Quare veniam quoq; meretur, præſertim

Iren. l. 1. c. 20. 22. 29. Epiphan. Hær. 66. Euthym. p. 2. panopl. tit. 23. ca 1.

cum

cum ad modum loquendi S. Hieronymi reſpexerit; iſte autem potius ad Canonem Hebræorum, quàm ad Canonem Chriſtianorum in illa quidem ſacrorum librorum recenſione.

Alterum veſtigium Lutheranæ doctrinæ in Gloſſis Canonici Iuris eſt hoc ex Prædicantis ſententia, *De pœnitent. d 1. in princ. vtrum gl. verb. Eodem. Nec cordis contritione, nec oris confeſſione, peccata dimittuntur, ſed tantum gratia Dei.* At ſi quis reſpondeat Gloſſam loqui duntaxat de cauſſa formali, quæ peccata remittit, quo ſe cum ſuo veſtigio vertet Prædicans? Et quamuis in hunc ſenſum Gloſſator explicari queat, meritò tamen modus loquendi horridior & inſolentior cũ cæteris nonnullis cenſuram ſubiit, vt & iſte, quem Prædicans adducit *ex d. 3. de pœnit. Cap. ille Rex*, vbi Gloſſa, *verbo, deletur: In Baptiſmo deletur Originale, ne obſit, non vt non ſit.*

Quod tamen Lutheranæ doctrinæ veſtigium longè dilucidius eminet in Proclo veteri Hæretico apud S. Epiphanium, & in Maſſalianis apud Theodoretum, vt mirãdum ſit Lutheranum Prædicantem malle inſequi veſtigia obſcuri Gloſſographi, quàm Procli & Maſſalianorum tã veterum & celebrium nouatorum. *Hæ & conſimiles Gloſſæ*, inquit Prædicans, *deleri iuſſæ ſunt, in cenſura Pii V. Pontif. Max. iuſſu anno 1572. Romæ edita, eodemq; anno Coloniæ recuſa.* Ita eſt; ſimpliciter tamen interdictæ non fuerunt, ſed *donec noui Codices in publicum prodirent, in quorum marginibus (& notationibus) indicaretur, quid ſuo quoq; loco vitandum ſit:* quod poſtea Gregorii XIII. Pontif. Max. diligentia & auſpiciis præſtitum eſt. *In cuius Præfatione*, ait Prædicans, *eleuantur illæ Gloſſæ, partim quod auctores earum viri pii & Catholici fuerint, partim quòd liberius locuti ſint, quia nondum pleraq; à ſacris conciliis fuerant definita.* Meritò excuſantur Gloſſogra-

Epiphan. Hær. 64. Theod. l. 4 Hæret. fab.

phi, quia impegerunt interdum non ex improbitate & ex peruicacia cedere neſcia; ſed ex humani ingenii imbecillitate, iuſſis decretisque Eccleſiæ obtemperare parata. *Cur nos*, inquis, *Hæretici ſumus, qui Gloßis illis conſentanea docemus?* Ideò, quia quod Gloſſographi ſenſerunt & ſcripſerunt ſine affeuerandi pertinacia, id vos obſtinatiſſime quaſi ipſiſſima veritatis oracula, defenditis. Cur oro, Cyprianus cum ſuo illo de Hæreticis rebaptizandis errore Hæreticus non fuit; & ſectatores eiuſdem erroris in *H*æreticorum numerum relati ſunt, niſi quia ille errabat, vt Eccleſiæ filius: iſti, vt Eccleſiæ hoſtes? *Errauerunt in inuio*, ait Propheta, *& non in via.* Quod propriè ad Hæreticos ſpectat. Nam qui errant in Eccleſia, vt Cyprianus & noſtri Gloſſatores; illi errant in via, qui error tolerabilior & emendatu longè eſt facilior, quàm ille Hæreticorum *in inuio*; qui relicta Eccleſiæ via auii feruntur, quo pedes & auræ ferunt. *Et ô rerum mira conuerſio*, inquit Vincentius Lirinenſis, *auctores eiuſdem opinionis Catholici: conſectatores verò Hæretici iudicantur. Abſoluuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli, conſcriptores librorum filii regni erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium, & Epiſcoporum & Martyrum lumen, beatiſſimum Cyprianum cum cæteris collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto? Aut quis contra tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius auctoritate Concilii rebaptizare ſe iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum Diabolo? Quod quidem mihi diuinitus videtur promulgatum eſſe iudicium, propter eorum maximè fraudulentiam,* (nota hæc Pappe) *qui cum ſub alieno nomine hæreſin concinnare machinentur, captant plerumque veteris cuiuſpiam viri ſcripta inuolutius edita, quæ pro ipſa ſui obſcuritate, dogmati ſuo quaſi congruant: vt illud, neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli ſentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio*

Vincent. c.11. cont. Hæret.

dignam iudico, vel eo quod hæreſeos venenum propinare aliis non pertimeſcunt: vel eo etiam, quod ſancti cuiusq; viri memoriam, tanquam ſopitos iam cineres, profana manu ventilant, & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffament. Hæc eleganter Vincentius.

Sed cur diſſimulat *Prædicans*, quòd eadem in præfatione, eodem loco, Pontifex addit, videlicet, *multa ab impiis quoque ſcriptoribus tam extra in marginibus, quàm etiam intra adſperſa fuiſſe*, quæ expurgatione eguerint, vt proinde *multa*, quæ iſte iactat, *purioris doctrinæ veſtigia*, non à pijs illis & orthodoxis, ſed ab impijs & hæreticis gloſſatoribus profecta exiſtimari poſſint.

Obiicit *Prædicans*, *Cur non citius ſacra illa Concilia quæſtiones illas definiuerunt? Ne tanto temporis ſpatio errandi occaſionem ſua tarditate ac negligentia nobis relinquerent, vel errandi potius neceſſitatem adferrent.* Atqui, ſi tibi conſtare volebas, lætari te potius oportebat, ob hanc dilationem, quàm expoſtulare, aliàs fortaſſis nulla *purioris tuæ doctrinæ veſtigia* in illis gloſſis reperiſſes, quippe quos pede, vt ſic dicam, ſuo, auctores illi nunquã impreſſiſſent, ſi Conciliorum decreta in contrariũ citius condita fuiſſent. Deinde querelã, quã de tarditate Conciliorum texis, aduerſus quæuis Cõcilia dirigere potes. cur enim *non citius Concilia*, Nicænũ, Epheſinũ, Conſtãtinopolitanũ, Chalcedonẽſe, quęſtiones illas de filio Dei, de ſpiritu S. de Deipara Virgine, de duabus in Chriſto naturis, *definiuerunt? (ſiquidem hæc ſunt poteſtate prædita) nempe dormientibus Conciliis errare licet, iiſdẽ tandẽ aliquando euigilantibus, fidẽ derogare haud licet.* Si ergo vetera illa Cóncilia tarditatis & ſocordiæ accuſari nequeunt, cur eiuſdẽ accuſarẽtur recẽtiora? q̃a concilia Oecumenica congregari nõ ſolẽt, niſi *turbantib. æquora ventis*, h.e. tunc, cũ turbines & preſteres hæretici exſiſtunt, q̃ oĩa miſcent & confundunt.

Act. 15. Tali enim caſu & diſcrimine, Eccleſiæ prælules, Apoſtolorum exemplo, conueniunt *videre de verbo hoc*, & *conquiſitione magna facta*, id quod prius obſcurius creditum erat, nouis ſanctionibus clarius efficiunt, veritatemque aduerſus ſeditioſorum impoſturam, fucum & caliginem ſupra Eccleſiæ candelabrum collocant, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et hoc beneficium Hæretici & turbatores iſti vel inuiti in Eccleſiam Catholicam conferre coguntur. *S. Auguſt. in Pſal. 67.* *Quàm multi Scripturarum ſanctarum ſenſus*, inquit S. Auguſtinus, *de Chriſto Deo aſſerti ſunt contra Photinum, quàm multi de homine Chriſto contra Manichæum, quàm multi de Trinitate contra Sabellium, quàm multi de vnitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos, quàm multi de Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa & de malorum commixtione vſq; in finem ſeculi, quod bonis in Sacramentorum adminiſtratione non obſtat, aduerſus Donatiſtas & Luciferianos, aliosq; ſi qui ſunt, qui ſimili errore à veritate diſſentiunt, quàm multi contra cæteros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum eſt, & præſenti operi non neceſſarium. Quorum tamen ſenſuum probati Aſſertores aut prorſus laterent, aut non ita eminerent, vt eos eminere fecerunt ſuperborum contradictiones. Numquid enim perfectè tractatum eſt* *S. Auguſt. in Pſal. 54* *de Trinitate, antequam oblatrarent Ariani? Nunquid perfectè de pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Nouatiani? Sic non perfectè de baptiſmate tractatum eſt, antequam contradicerent foris poſiti Rebaptizatores, nec de ipſa vnitate Eccleſiæ enucleatè* *S. Auguſt. lib. 7. Confeſſ. c. 19.* *dicta erant, quæ dicta ſunt, niſi poſteaquam ſeparatio illa* (Donatiſtarum) *vrgere cœpit fratres infirmos.* Nimirum, *improbatio hæreticorum facit eminere, quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina*, inquit alibi S. Auguſtinus, alloquens Deum. An & hic Prædicans clamabit, quare non citius perfectè tractatum eſt *de Trinitate, de Pœnitentia, de Baptiſmate, de Eccleſia*? Sed mox à S. Auguſtino reſponſum accepiſſet,

eam eſſe rerum naturam & conditionem, vt tum omnes falſitatis nebulæ diſſipentur & diſijciantur, cùm adſunt, qui veritatem oppreſſam, falſitatemq́; ex profeſſo propagatam & amplificatam volunt, quales non fuerunt gloſſographi, qui errarunt, ſi quid errarunt, non refractoriè, non ſeditiosè, non ſtudio alios ab Eccleſiæ obſequio abſtrahẽdi & abalienandi, eo modo, quo Hæretici errant & hallucinantur, qui morbum ſuum ita amant, vt ne curari quidem ſeſe ſinant. Et iſti, etſi præter voluntatem ſuam, Eccleſiæ non parum emolumenti adferunt: *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia*, inquit S. Auguſtinus, *dum Hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab aduerſario mota quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio.* S. Auguſt. libr. 16. de ciuitat. 11.

Cæterùm ex his, quæ hactenus dicta, colligit Pappus dignum Prædicante corollarium: nempè: *Inter ipſos quoq; Pontificios Doctores, de quæſtionibus haud leuis momenti, controuerſias fuiſſe, etiãq; nunc eſſe.* Fuerunt, *ſed ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ*, vt verbis ſancti Auguſtini vtar, *ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtiana; donec plenario totius orbis Concilio* (quale Tridentinum) *quod ſaluberrimè ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*, vt alibi idem ſanctus Auguſtinus loquitur. *Et ſi auctoritas* Gloſſographi alicuius *ſequenda eſt*, *magis eam* nouerit Pappus *ſequendam eſſe in vnitate ſeruanda quam in Eccleſiæ conſuetudine* (& ſententia) *cõmutanda*: & ſuæ illius purioris doctrinæ veſtigia non quærat apud Gloſſographos, ſed apud antiquos hæreticos, Simonem Magũ, Marcionem, Eunomiũ, Iconomachos, Bogomilos & ſimiles, per quorum veſtigia Lutherani pleno gradu hac tempeſtate incedunt.

S. Auguſt. lib. 2. de baptiſmat. contra Donatiſt. c. 3.

S. Auguſt. lib. citat. cap. 7.

S. Auguſt. lib. 2. contra Donatiſt. de baptiſm. c. 4.

Ait Prædicans: Quædam in gloſſis eſſe *fœda*, quædam *apertè falſa*: in his numerat explicationem Gloſſatoris, ad cap. *Statuimus*, d. 4. vbi ille: *Statuimus, id eſt, abrogamus, vel ponitur ſtatuimus, pro conſulimus.* In fœdis ponit definitionem quandam allatã à Gloſſographo ad cap. *Vidua*, d. 34. Reſpondeo, *Vbi plura nitent in corpore, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parùm cauit natura*; Sunt etenim in omni genere rerũ *delicta, quibus ignouiſſe velimus.* Sed Hæretici imitantur auctorem ſuum Cham, *qui*, vt ait Vincentius Lirinenſis, *nuditatem venerandi Noe non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit. Vnde tantam læſæ pietatis meruit offenſam, vt etiam poſteri ipſius peccati ſui maledictis obligarentur: beatis illis fratribus longèque diſſimilibus, qui nuditatem ipſam reuerendi patris, neque ſuis temerare oculis, neq; alienis patere voluerunt, ſed auerſi, vt ſcribitur, texerunt eum, quod eſt erratum ſancti viri nec approbaſſe, nec prodidiſſe, atque idcirco beata in poſteros benedictione donati ſunt.*

Vincent. contra hæret. cap 11.

Deſcriptionem *meretricis*, ad capit. *Vidua*, quam Prædicans irridet, Prædicantibus corrigendam cõmittimus. Ipſi enim in Dialectica illa, quæ ſub fornice traditur, verſatiores ſunt, quàm gloſſographus ille, quem cachinnis excipiunt.

Sunt præterea, inquit Prædicans, *quæ in ipſo contextu Decreti ipſimet corrupta agnoſcunt, ſed tamen propter gloſſas ineptas & falſas.* (ſic loquitur ineptus & verus Prædicãs) *retinent. Exemplo vnus ſit diui Ambroſii locus, qui citatur de pœnitentia, d. 3. cap. poteſt fieri 52. Non habent Petri hæreditatem, qui Petri Sedem non habent, quam impia diuiſione diſcerpunt. Apud Ambroſium autem tomo primo, pagina 156. non ſedem, ſed fidem legimus.* Notatio Gregoriana ad hoc capitulum non dicit locum eſſe *corruptum*, vt fingit Prædicans: ſed tantummodo hæc verba ponit: *Apud beatum Ambroſium legitur Fidem*

quod ob gloſſam non eſt mutatum. Rectè. Quid enim ſi collector Canonum Gratianus ſuo in exemplari non reperit, dictionem illam, *Fidem*, ſed *Sedem?* Quid ſi, iure collectoris, vt aliàs ſæpius, quod in Ambroſio reperit, mutauit, & de induſtria nonnihil inflexit, vt ad inſtitutum accommodatius eſſet? Certè eo loco Ambroſij non malè legi *Sedem*, ſuadent omnes totius capitis ſexti, libr. 1. de pœnitent. circumſtantiæ. Sermo enim eſt de Nouatiano, qui ſi quis alius Petri hæreditatem, Petri ſedem non habuit, ſed in ipſa vrbe Roma impia diuiſione diſcerpſit, excitato pernicioſo Schiſmate, eo ipſo tempore, quo ab Ethnicis Chriſtiano gregi extrema quæque imminebant. Et eo ipſo loco exprobrat Nouatiano ſanctus Ambroſius, quòd Remiſſionem peccatorum inficiaretur, *cùm Petro dictum ſit: Tibi dabo claues regni cælorum, &c.*

Verum enimuerò ſiue *Fidem*, ſiue *Sedem* legamus, eodem res redit. Nam Fides Petri non eſt alia, quàm quæ ex Sede & Cathedra Petri ſonat. Itaque ſiue quis Sedem ſeu Cathedram Petri diſcerpat, Fidem Petri diſcerpit: ſiue Fidem Petri diſcerpat, Sedem Petri diſcerpit: quæ verè hæreditas Petri eſt, vt loquitur ſanctus Ambroſius. Quare per Fidem Petri, quæ diſcerpitur, aptiſſimè intelligitur *Sedes* Petri, ex qua Fides illa proficiſcitur.

Quæ Petri Fides ſit, inquit Prædicans, *tum duæ eius epiſtolæ, tum Actorum Apoſtolicorum liber luculenter teſtatur.* Nimis anguſtis finibus circumſcribis Fidem Petri, Prædicans. Niſi fallor enim ex Epiſtolis ſancti Pauli, quin & Iacobi, Ioannis, Iudæ, ex Apocalypſi, ex quatuor Euangeliſtis, & ex omnibus veteris Teſtamenti libris, quæ Petri fides ſit, manifeſtè conſtat: niſi fortè putat Prædicans, fidem Petri ad ſolas duas Epiſtolas Petri, & ad ali-

quot capita Actuum Apoſtolicorum alligatam eſſe. Imò quæ Fides Petri ſit, potiſſimùm ex ſede Petri nobis innoteſcit: ex quo fonte etiam hoc hauſimus, Petrum duas Epiſtolas ſcripſiſſe, aliosque libros Canonicos, quibus Petri fides traditur, verè Canonicos & à S. ſpiritu dictatos eſſe: & ab hac Fide Petri, Sedem Petri receſſiſſe, clamant quidem Prædicantes, ſed non probant, neque vnquam probabunt, niſi aduerſus Petri Sedem portas inferorum præualuiſſe demonſtrent, contra veraciſſimam Saluatoris noſtri promiſſionem.

Accuſat Prædicans Gregorianam Decreti editionem, *quòd loca quadam Patrum maluerit corrupta relinquere, quàm ex ipſis Patrum libris corrigere & reſtituere.*

Exemplum adducit de Conſecr. diſtinct. 2. capit. prima quidem, 44. ſ. donec, ex tractatu trigeſimo ſancti Auguſtini in Euangelium ſancti Iohannis vbi hæc citantur: *Donec ſæculum finiatur, ſurſum eſt DOMINVS: ſed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas DOMINVS. Corpus enim DOMINI, in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet: Veritas autem eius vbique diffuſa eſt.*

Quod Diui Auguſtini teſtimonium dupliciter eſt corruptum, inquit Prædicans, *Primùm enim illa verba*, donec ſæculum finiatur, *non ad iſtam, ſed ad proximè antecedentem periodum pertinent, eique per coniunctionem copulatiuam* ET *à Gratiano omiſſam; in omnibus; quæ nobis videre contigit, exemplaribus, annectuntur. Deinde non* OPORTET *apud diuum Auguſtinum, ſed* POTEST *legitur, inter quæ duo quantum interſit, nemini poteſt eſſe obſcurum.*

At quid opus monitore PAPPO, cùm hac de re iam antea lectorem admonuerint illi, qui iuſſu GREGORII deci-

decimi tertij Decreto repurgando operam nauarunt, qui fatentur caput illud *hinc inde collectum eſſe, verbis interdum tranſpoſitis, in ſummam redactis, mutatis.* Cur ergò correctores illi non mutarunt? Ideò, quia mutatione opus non erat, non vno enim loco Gratianus idem fecit, idque collectoris, & vt Gloſſatores vocant *Compilatoris* iure; nam ei, qui ex diuerſis ſanctorum Patrum & Conciliorum locis & libris, centonis inſtar, aliquid contexit, æqua poteſtas eſt, mutandi & tranſponendi quæpiam, vt ad propoſitum argumentum magis quadrent. Deinde, quis ſcit, an non GRATIANVS, & IVO, apud quem totum hoc caput eodem modo atque apud Gratianum habetur, ſuis in exemplaribus diſtinctionem ſeu interpunctionem & lectionem illam inuenerint, bonaque fide repræſentarint. Certè verba illa: *Donec ſæculum finiatur*, aptè, ne dicam aptiùs, omiſſa particula copulatrice, cum ſequentibus iunguntur. Et quis in manuſcriptis Codicibus tam peregrinus eſt, qui neſciat voculas multò magis diſtantes, quàm POTEST & OPORTET, ſibi mutuò ſubſtitui, & in eodem loco diuerſorum tamen codicum, ſæpius reperiri. Sed Pappus illud OPORTET ea forſan de cauſſa ferre nequit, quòd metuat, ne formoſæ illi Vbiquitati vulnus imponat: aut ne Caluiniſtæ hinc argumentum ducant ſtabiliendo errori ſuo de Chriſti in Euchariſtia præſentia.

Sed obſtant huic conatui ipſa Canonis verba, quæ ſunt: *Corpus enim DOMINI in quo reſurrexit, vno loco eſſe oportet*, hoc eſt, vt exponit gloſſa, *in illa forma & repræſentatione, in qua humanis & corporeis ſenſibus ſubiici non valet, licet enim vbique ſit, etiam in Altari quolibet in vera forma, quam de Virgine ſumpſit, non tamen ſubiicitur corporeis ſenſibus.*

Poſt calumnias & conuicia, quæ iecit *Prædicans* tanquam hiſtrio ex plauſtro, incipit iactare mendacia, quorum vnum, *Scripta Patrum à Pontificiis ſurſum deorſum pro libitu verti.* alterum, *eandem audaciam in ipſas ſacras litteras graſſari.* Prius commentum euaneſcit ex omnibus illis, quæ toto hoc libro ſecundo diſputauimus. Alterius impudentiam quis pro dignitate, non dicam refutare, ſed vel ſatis admirari queat? Túne Prædicans, ſacræ Scripturæ corruptæ mentionem facere audes, poſtquam parens tuus LVTHERVS innumeris locis, interpretatione ſua ſacra Biblia vitiauit & deprauauit, vt à doctiſſimis viris non ſemel luculentiſſimè probatum eſt? Túne Biblia à nobis corrumpi aſſerere audes, poſtquam ipſi *Prædicantes* falſa & falſata Lutheri Biblia denuò nouis falſi criminibus falſarunt, de quo non nemo ex *Prædicantium* numero conqueritur. Sed videamus cuiuſmodi exemplum graſſantis in ſacras litteras audaciæ producat. *An non pudendum eſt*, inquit, *ineptiſſimam illam, verborum DOMINI, Lucæ decimoſeptimo, Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, contorſionem de pœnit. diſtinct. 1. cap. Quem pœnitet* 88. *non eſſe ſublatam? Præcepit Dominus mundandis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali præſentia confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit enim, ora monſtrate. Et, Omnes, non vnus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moſe ſtatutum, ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis.* At verò cùm caput prædictum à Gratiano contextum ſit ex libro, *de vera & falſa pœnitentia*, qui, vt ex S. Auguſtini officina non prodierit, parentem tamen, ſatis antiquum & eruditum Auctorem, ipſa ſua conſtitutione, &, vt ita dicam, complexione demonſtrat, cauſſæ nihil erat, cur Decreti reparatores veteri Scriptori verba ſua adimerent, etiam contra Gratiani mentem.

Sed ſunt *inepta*, imò *ineptiſſima*; ſi non ineptit ſuperlatiuus *Prædicans*. At quis alius cenſor hac cenſura verba illa notat, præter eum, qui peſſimis modis odit, quidquid de confeſſione Sacerdotibus facienda producitur; qui ita comparatus eſt, vt penitus deletum, exſtinctumq́; cupiat, quidquid pro confeſſione apud Sacerdotes inſtituenda in veterum monumentis inuenitur. Certè probatio, quàm ex miſſione omnium illorum leproſorum ad ſacerdotes pro neceſſitate confeſſionis, vt vocant, *oralis*, Auctor ille ſumit, infirma non eſt, ſed eas vires habet, quibus argumenta ex figuris & allegoriis ducta prædita eſſe ſolent. Nec attulit auctor verba illa: *Dixit enim, ora monſtrate, & omnes*; quaſi ab ipſo Domino diſertè & expreſſè prolata: Sed vt prolata ſaltem virtute & tacitè: hoc ipſo enim quod Chriſtus dixit: *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*: dixit etiam implicitè ſaltem & virtute; *Ora monſtrate*; quia ſiſtere ſe alicui præſentem, neceſſariò includit exhibitionem vultus & oris. Et hoc ipſo quod omnibus mandauit, vt Sacerdotes adirent; *omnes* dixit: Ex quibus manifeſtum euadit, quiſnam ſit nullius pretii, *Prædicans*né cum ſuis calumniis, an auctor libri *de vera & falſa pænitentia*, & Gratianus cum prædictis illis verbis.

Concludit *Prædicans* præfationem ſuam cum commemoratione operæ à ſe præſtitæ in gratiam Typographi Indicem Belgicum recudere cogitantis. *Breuem hanc*, inquit, *Cenſuræ Romanæ in gloſſas Iuris Canonici cum editione Gregoriana earundem collationem inſtituendam putaui*. Si benè & ſincere adornaſti, non eſt cur tibi ſuccenſeamus: ſi fraudulenter & fallaciter, vides ipſe, quam mercedem merearis; bono certè fine & conſilio non adornaſti, quidquid ſit de ipſa re, quia editionem Gregorianam traducere voluiſti, tanquam repugnantem Cenſuræ Pii V. cum ipſe-

met *P*ius V. Cenſuram ſuam obtinere & valere non voluerit, niſi vſq; ad nouam Iuris Canonici editionem, quæ Gloſſatum errata & duriuſculè interdum dicta aut obliterarer, aut addito antidoto molliret, neue Lectoribus errandi occaſio obiiceretur, præcaueret.

Ait *P*rædicans, *reperiri etiam in editione Gregoriana, quæ contra aduerſarios Pontificios vtiliter poſſint obſeruari.* Mirum *P*rædicantes iſtos tam oculatos eſſe, vt paſſim in Iure Canonico *doctrinæ ſuæ purioris*, ſcilicet, veſtigia & monumenta inueniant; Lutherum autem tam fuiſſe cœcum, vt nihil de Fide, nihil de Charitate, nihil de Sacramentis videre potuerit; vel potius tam oculatum, vt nihil viderit, præter id, quod honeſto calamo exprimi non poteſt; & in his Lutheri ſordibus, quæ in libris Lutheri, non in Tomis *P*ontificii Iuris exſtant; purior illa Prædicantium doctrina velut in ſpeculo, perquam lucidè eluceſcit.

Vide Lutheri Thaliam ſeu Ser. Epul. tit. de lurſu,

CAPVT XIII.

Diligentiæ Hereticorum, libros ſuos vbiq; diſſeminanti opponendam eſſe diligentiam eoſdem pernicioſos libros exſtirpandi & exterminandi.

NOn latet impoſtores, vix vllam erroris diſſeminandi, & quoquo verſus diffundendi rationem expeditiorem & faciliorem eſſe, quàm libros: Quocirca in id vnum ſemper incumbunt, vt omnia libris repleant, præſertim ſcholas, artiumq; liberalium gymnaſia, quibus iuuentus à teneris ad cultum ingenii & morũ informatur. *P*robè enim cognitum habent, deprauato reipublicæ & Eccleſiæ ſeminario, adoleſcentia nimirum, neceſſariò quoq; deprauatum, iiſdemq; erroribus implicatum iri ipſam Rempublicam.

Hanc

Hanc eandem viam inierunt olim Ethnici, qui cum cernerent Chriſtianos ne tormentis quidem à Chriſti religione abduci poſſe, ad libros confugerunt, vt quod ſuppliciis peragere nequibant, libris effectum darent. Inter quos extremo loco ponendus non eſt veteratorius ille liber, qui Acta Pilati inſcribebatur, de quo iſta Euſebius. *Pilati & Seruatoris noſtri rerum geſtarum tanquã commentarios quoſdam, omni blaſphemia & conuicio contra Chriſtum refertos cõfinxerunt: quos de ſententia Imperatoris* (Maximini) *in totum regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt, perq; litteras iubent, vt in quibusq; locis, agris & ciuitatibus hi palàm omnibus exponerentur, & Ludimagiſtri pro aliis diſciplinis pueros in hiſce ſedulò exercerent, hoſq; illis memoriæ mandandos traderent.* Hæc Euſebius. *Euſeb. lib. 9 ſ. A.*

Non aliter egerunt Hæretici, hæreſeos ſuæ amplificandæ gratia, prẹſertim Lutherani & Caluiniani, qui integras prouincias hac librorũ peſte exitio dederunt, nulli labori, nulliq; ſumptui parcentes. Quin & iiſdem machinis inuictam ab Hæreſi Italiam & Hiſpaniam non ſemel tentarunt, libris peſtilentibus in Italicum & Hiſpanicum ſermonem tranſlatis, & in regna illa illatis, non ſine ſummo animarum diſcrimine: Vſi ad id opera & miniſterio Apoſtatarum Italicorum aut Hiſpanienſium; inter quos excelluit Iulianus Ferdinandus, quẽ à corporis paruitate *Paruum* appellabant, qui meritas poſtea perfidiæ ſuẹ pœnas perſoluit. Hic, vt refertur in libro, cuius titulus; Sanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ artes aliquot detectæ, &c. ab Hæreticis in Germania edito; *duo ingentia dolia librorum* (Auctor vocat ſacrorum; fortè ea notione, qua illud: auri ſacra fames) *Hiſpanica lingua in Hiſpaniam transuexit; propaganda in patria Euangelica* (Lutheranæ & Caluinianæ) *lucis* (caliginis) *cupidine accenſus: à qua re haud minus fuiſſet verendum.*

dum: quàm ſi ſcorpionum aut venenatorum omniſ generis plauſtra inuexiſſet. (videtur Hæreticus veritatem loqui inſtar Caiphæ; videlicet ignorans) *obſeruantibus ac obturantibus diligẽtiſſimè* (nulla nimia eſt diligentia huic peſti arcendæ) *ſuperſtitioſis atq; hypocritis hominibus meatus omnes, ne lux* (caligo) *ad eos vſpiam penetrare poſſit. Cæterùm perduxit Deus* (imò Diabolus, Hæreticorum parens & inſtitutor) *incolume, ſacrum illud* (deteſtabile) *onus, & quod magis mirandum adeò fuerit* (quis adeò miretur, qui Dæmonis artes & aſtus nouit?) *vt facilius bouem oculatiſſimo Argo abduxiſſes, vel vigilantibus vndiq; Inquiſitoriis miniſtris, intra ipſa Hiſpalenſis vrbis mœnia fuit introductum.*

En ſpecimen diligentiæ & vigilantiæ hæreticæ, cui, ſimili, ſi non maiore, diligentia & vigilantia occurrendũ eſt: neq; huc pertinet illud Domini: *finite vtraq;*, id eſt, volumina orthodoxa & hæretica, *creſcere*: Quiuis potius exiſtimet iam ſibi dictum eſſe: *colligite Zizania*, (hæreticorum volumina) *& alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Inſanient quidem Zizaniorum ſatores & fautores, cum hoc incendium viderint: ſed non tam inſanientium, quàm aliorum, ne pariter inſaniant, habenda eſt ratio. habebitur autem vel maximè, ſi perniciosi libri in cineres vertantur, vt factum olim, noſtroq; tempore, & nuper adeò pulſis Hæreticorum magiſtris ex Stiria & Carinthia. Multa millia voluminum, multorum millium florenorum combuſſerunt Iulianei iſti (Mordt vnd Feldt Teufel) Diaboli, vociferatur Prædicans quidam ex mendaciis totus conſutus: in quibus continebatur *theſaurus ſalutis noſtræ* (Lutheranæ ſcilicet) *quæ ipſe ſanctus Spiritus dictauerat, vetus & nouum teſtamentũ, Prophetas, Apoſtolos & Euangeliſtas.* Corrige: quæ ſpiritus & genius Lutheri, Zvvinglii, Caluini, Oecolampadii dictauerat VVittebergæ in Saxonia, Tiguri in Hel-

Dan. Cram. in Schol. ad litteras Reuerendiſſ. Epiſcopi Seconienſis

uetia,

uetia, Geneuæ in Sabaudia, Baſileæ in Rauracis, Prophetas, Apoſtolos & Euangeliſtas Saxonicos, Heluericos, Sabaudicos, Rauracos, non illos Spiritus ſancti numine afflatos, ſed ex Hæreſiarcharum capitibus prognatos. Neq; enim Iſaias, Hieremias, &c. aut Matthæus aut Marcus Lutheri, Caluini, &c. verus ille Iſaias, Hieremias, Matth. aut Marcus eſt: ſed ſpurij quidam, & ſuppoſititij à ſeductoribus illis fraudulenter & veteratoriè deprauati, & pro legitimis ſuppoſiti. Quocirca quando comburuntur, non comburuntur germani illi & genuini Prophetæ, ſed vmbræ quædam & laruæ pulchro Prophetarum nomine velatæ. Neq; dubito, ipſos Prophetas & Euangeliſtas, ſi nobiſcum in terris viuerent primos futuros, qui verſiones Lutheri, & id genus aliorum in ignẽ conijcerent, negantes ſcripta illa ſua eſſe. *Nullam rem magis timet Diabolus,* inquit iſte Prædicans, *quàm Biblia & libros.* Lutherana certè Biblia non magis timet Diabolus, quàm ſeipſum, aut ſocios pœnæ alios Diabolos, aut quàm ſermones epulares & tomos Lutheri, in quibus Cacodæmon habitat, quorum maximam partem Luthero, tanquam amanuenſi fideliſſimo dictauit.

Sed audi rem miram. Prædicantes nulla facere poſſunt miracula, & tamen libri Prædicantium faciunt miracula, ſi vera narrat veraciſſimus iſte præco. Ait, *libros illos ad tertium vſque diem reſtitiſſe, nec potuiſſe comburi, & carnificem ingentes moleſtias ſuſcipere debuiſſe, comparatis nouis inſtrumentis, iiſque ferreis, vt libri illi tandem à flammis abſumerentur,* quod adeo verum eſt, vt tota Stiria & Carinthia nouerit eſſe falſum: Vulcanus profectò tam edentulus non eſt, vt eſcæ ſibi tam exoptatæ & appoſitæ dentes inijcere & infigere reformidet. Accedit, quod ſi Deus libros illos triduò in pyra conſeruaſſet, probabile fit, conſeruaturum fuiſſe

diutius, ita vt nec quarto, nec quinto, nec vllo alio die flāma libros illos læderet; aut certè pluuia de cœlo miſſa rogum exſtinxiſſet, vt contigit olim in Africa, cùm Fundanus Epiſcopus Scripturas diuinas Ethnicis prodidiſſet, *Quas cùm magiſtratus ſacrilegus igni apponeret, ſubitò imber cœlo ſereno diffunditur, ignis Scripturis ſanctis admotus exſtinguitur, grandines adhibentur, omniſq; ipſa regio proſcripturis Dominicis, elementis furentibus deuaſtabatur,* vt ſcribitur in Actis Martyrum Africanorum. Nihil ſimile proditum legimus de hæreticorum libris, quorum tot millia omni ætate, vſque ad hanc noſtram ad rogum vocata ſunt. Nimirum Sidrach, Miſach, & Abdenago illæſi in flammis durant, non libri hæretici. Daniel ſecurus inter medios leones ſedet. At Danielis accuſatores in lacum leonum cum filijs & vxoribus iniecti abſumpti ſunt, omnibus eorum oſſibus comminutis, antequã peruenirent *ad pauimentum laci*. Par alacritas & promptitudo ignis eſt, in libros hæreticos, Danielis, hoc eſt, orthodoxi & rectè ſentientis populi accuſatores.

Apud Surium tom. 1. die 11. Februar.

Daniel. 6.

Cùm Iſraelitæ, abſente Moyſe, vitulum aureum feciſſent, factumq; diuinis honoribus affeciſſent, *Iratus* Moyſes *valdè, arripienſq; vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam.* Quàm expeditè famulo Dei Moyſi flamma operam ſuam nauauit & locauit perdendo ſimulacro, tam properè & incunctanter ſeruit illis, qui libros hæreticos volunt potius eſſe pulueres, quàm codices. Nam & libri iſti *vituli*; ſunt aurũ, & auream ſpeciem præ ſe ferunt, ſed vituli ſunt ſine ratione, ſine mente. Clamant quidem & boant, ſed abſque intellectu, absque doctrina, absque conſideratione vlla. Et vt vitulus ille aureus non modicam populi partem in præceps egit, & adeò dementauit, vt conſonis vocibus vociferarentur: *Iſti ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Sic & libri hæretici, non modò imperitum vulgus, ſed & multos

Exod. 32. Deuter. 9.

prudentia alioquin & eruditione conſpicuos ita excæcat, vt elata voce, conuerſo ad biblia & tomos Lutheri vultu, clament, *Verbum Domini, verbum Domini*, cùm tam ſit verbum Domini, quàm vitulus ille fuit DEVS. Procul ergò à finibus noſtris vituli illi aurei, hoc eſt, libri hæreticorum, pollicitatione verbi Dei, & veritatis deaurati, qui te, niſi caues, in idololatriam, hoc eſt, in hæreſin, Idololatriæ ſororem præcipitem dabunt: cuius hæreſeos idem finis eſt, qui idololatriæ. Quis ille? *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Hos nimirùm fructus protulit in populo Deus ille aureus, ſed vitulinus. Eoſdē fructus progenerant noſtri iſti vituli, hæretici inquam libri. Iam enim poſtquam *omnia verbū Dei, verbum Dei*, crepant, maximè regnat illud: *edamus & bibamus* (& ludamus) *breuis eſt hic fructus homullis*, quem nunquam *reuocare licebit.*

Cùm D. Auguſtinus in maxima carnis & ſpiritus lucta verſaretur, nec ſciret, quo ſe verteret, vox ad aures eius accidit: *tolle, lege: tolle, lege*, tu quiſquis ſalutem tuā amas, hanc vocem auribus tuis hanc admonitionem accinere cogita: *Tolle, vre, tolle, vre.* Quilibet liber hæreticus ſimilis eſt *mulieri illi ornatu meretricio*, (apponā enim picturam eius, prout à ſapientiſſimo Salomone deſcribitur) *præparatæ ad decipiendas animas, garrulæ & vagæ,* (quid enim loquacius & inconſtantius libris hæreticis?) *quietis impatienti, nec valenti in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidianti. Quæ apprehenſum deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro ſalute deuoui hodie, reddidi vota mea: idcircò egreſſa ſum in occurſum tuum deſiderans te videre, & reperi:* (Verbum DOMINI manet in æternum. Lucerna pedibus meis verbum tuum DOMINE. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper melori meo.) *Intexui funibus* (ſacræ Scripturæ) *lectulū meū.*

ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto (ex intimo Bibliorum codice, non ex humanis traditionibus) *Aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo* Nihil niſi Biblia videbis. *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus*, (lectione verbi Dei) donec nobis illuceſcat dies (lux Euangelica) *Irretiuit eum*, inquit ſapiens, *multis ſermonibus* (quia nihil familiarius eſt hæreticis libris, quàm multiloquentia, & germana eius inaniloquentia) *& blanditiis labiorum protraxit illum*. (Quid enim blandius, quàm *ſola fides iuſtificat?* Quid dulcius & blandius iſta voce Lutheri, quinti Euangeliſtæ: ſufficit, quod agnouimus per diuitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccata mundi, ab hoc non auellet nos peccatum: etiamſi millies millies vno die fornicemur aut occidamus) *Statim ſequitur*, inquit Salomon, *quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta cor eius: velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur. Nunc ergò*, lector, quiſquis es, audi me, & attende verbis oris mei. *Ne abſtrahatur in viis* hæreſeos inuitantis te ad ſuorum librorum lectionem, *mens tua, neque decipiaris ſemitis eius, multos enim vulneratos deiecit, & fortiſſimi quique interfecti ſunt ab ea: via inferi domus eius, penetrantes interiora mortis.*

Tom. 1. epiſt. 238.

Laus Deo Virginiq; Matri.

INDEX
IN LIBROS DE IVRE ET MORE PROHIBENDI LIBROS MALOS.

A

ACademia Oxonienſis VVicle-phi libros exurit. 84
Academia Pragenſis damnat libros VVclephi. 83.246
Academiam Pragenſem rexerunt Teutones. 84
Academiæ variæ Lutheri libros exurunt. 98
Academiæ Ingolſtadienſis I C ti Luthero ob Ius Canonicum exuſtum quod poſuerint monumẽtum. 161.
Adelberti hæretici libri igni adducuntur. 77
Adoleſcentibus Poetæ laſciui aliiq́; eius generis Scriptores non permittendi. 177.& ſeqq.
Ægyptiacæ ranæ ſunt Hæretici. 255.
Æthiopica Heliodori prohibentur. 179.
Aëtii Epiſtolas damnat Synodus Conſtantinopolitana prima. 41
Africani præcipuè ſacros libros tradere recuſarunt. 27
Agapetus Pontif. 66
Libellos anathematis vi extortos comburit. 79
Albigenſium libri combuſti. 79
Alexandrina Synodus omnes libr. Origenis interdixit. 70
Alchoranorum 5000. comburenda congregat Franc. Ximenius. 80.
Alphonſi à Caſtro ſententia circa hæreticorum libros non probatur. 205
S. Ambroſii libri num & à quo ſint corrupti. 65. eius vita auctor 270
Ambſtorphii querela de Prædicantibus. 339.341 ſeq.
Anabaptiſtæ libros Monaſterii exurunt. 315.

Anaſtaſius I. Ponti. libros Origenis damnat & quos 61.64.

Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus. 67.69

Anaſtaſius Presbyter Iſaurus ob librum hæreticum lectum, Hæreticus cenſetur. 73

Andreas de Broda autor exurendorum librorũ VViclephi. 245

Andreas Pſeudomonachos libros depræuat. 278.287

Angli cuiuſdam Caluiniani impudentia refutatur. 297. & ſeqq.

Animi index eſt ſermo. 182 183

Annales Cremutii Cordi cremati. 21.

Antiochus Epiphanes Iudæorum libros malè exurit. 25

Antonii Iuliani Rhetoris verecundia. 185

S. Antonii litteras conſpuens, &c. diuinitus punitur. 100

Apocryphi libri. 273

Apollinaris libri proſcripti ab Impp. 41

Apollinaris libri à S. Ephram cõglutinantur. 42

Apollinariſtarum mutua concertatio. 241

Apologia pro Origene Euſebii Cæſarienſis falsò Pamphilo mart. fuit aſcripta. 65.

Apoſtoli libros prauos prohibent. 30.31.

Apoſtolica prohibitio de libris Gẽtilibus non legendis, cur modò non liget. 33

Apoſtoli libros Hæreticorum prohibent. 38

Apoſtolorum nomine libri Apocryphi editi ab Hæreticis qui & quales. 273. & ſeqq.

Arcadius & Honorius Impp. libros Origenis damnant. 63

Archilochi libros interdicunt Lacedæmonii. 175

Archimandritæ Conſtãtinopolitani, &c. petunt damnari libros Seueri. 66

Argumenta quibus ſe libros Hæreticos, &c. legentes tueri ſolẽt ſoluuntur. 216. & ſeqq.

Arias Montanus quibus Indicem aſcribat. 2. *eius de Indice Expurgatorio iudicium.* 321.322

Arii libros igni addixit Conſtant. Magnus. 38. *quos.* 239

Ariani dicti ſunt Porphyriani. 50 *cur?* 237.

Arianus S. Antonii litteras cõſpuens & conculcans, diuinitus punitur. 100

Ariani Nicænam Synodum exurunt, &c. 313

Aria-

Arianus cuidam lectionem librorũ turpium exprobrat. 178

Arianorum impoſtura & fraus. 276.

Ariſtotelis nomine inſcripta Metaphyſica exuſta Pariſiis. 245

Ariſtoteles cur non damnetur cum tamen Luther damnetur. 250

Athanaſii votum de ſcriptis Apollinaris. 242. *ei falsò aſſcriptus liber Bullingeri.* 280. *ex operibus eius græcolatinis quæ, & quo ſenſu damnentur.* 335

Athenienſes Protagoræ libros exuſſerunt. 19

Atilii Duumuiri ob libros ſacros proditos pœna. 17

Auctor inſtituti ſui rationem reddit. 1

Auctores Indicis expurgatorii. 2

Auctoris ſententia de Origenis libris, num olim fuerint prohibiti 63

Auctores Indicis Ieſuitas eſſe Prædicantes volunt. 3.9

Auctores laſciui non permittendi. 177. & ſeqq.

Auctoribus veris cur libri aliquãdo non fuerint aſſcripti. 263 264. 266. & ſeqq.

Auctor operis de operibus Cardinalibus cur non præfixerit nomen. 267. & 268.

Auctor vitæ S. Ambroſii. 270

Auctor operis imperfecti. 304

Auctores qui pertractarint argumentũ de libris corrigendis, &c. Præfat. fin. 6

S. Auguſtini de Gentilium librorum lectione iudicium. 235.

S. Auguſtini corruptor. 298

Auguſtus Imp. Ouidii libros de Amore proſcripſit. 176. *de hoc facto in eum Epiphonema Gerſonis.* 179

Aurifabri querela de Prædicantibus. 338

B

BAccha quæ & vnde dicta. 72

Balſamon. 73

Baſileæ Dauidis Georgii cadauer cum libris, &c. exuritur. 1

Baſilius Imp. librum contra Pont. ſcriptum Romam comburendũ mittit. 74. *ipſe Conſtantinopoli Photii libros exurit.* 76.

Baronii opinio quamobrem Ariani fuerint appellati Porphyriani. 237. *à calumnia Theodoretum vindicat.* 276. *redarguit Ruffinum.* 283

Beneficii natura & conditio. 16

Bertramus an, & quomodo damnatus in Indice. 326. 327. *quo tempo-*

tempore vixerit. 328. ab hæreticis deprauatus. 328
Bezæ pium votum. 316
Biblia à Iudæis qua lingua ex Nouel. Iuſtinian legi debeant. 69
Bohemiæ clades ex libris VViclephi. 84
Bonifacius II. conſtitutionem à ſe conſcriptam contra Canones exurit. 79
Bucceri liber falsò adſcriptus Ioanni Roffenſi. 283
Bucer Lutheri libros deprauat. 340.
Bulgarorum ζήτημα de libris Saracenorum. 76
Bullam Pontificis quo honore Luther exceperit. 16
Bulla Martini V. de libris VViclephi & Huſſ. 87
Bulla Leonis X. de libris & ſcriptis Lutheri. 90.91
Bulla Cœnæ Domini quoad libros hæreticos explicatur. 207.209 241
Bullingeri liber falsò adſcriptus S. Athanaſio. 280.
Bullinger cenſet libros malos exurendos. Præfat. med.

C

Cabaliſtici libri damnati. 82
Cabades vide Quadus.
Calligraphi ſunt librarii. 67
Calcographi maximè Lutheranam perfidiam promouerunt. 96
Caluiniani cuiuſdam Angli impudentia refutatur. 297. & ſeqq.
Caluini de ſupprimendis & abolendis Serueti Scriptis ſollicitudo. Præfat. poſt med.
Caluiniſtæ num ſint Iſraelitæ. 253. & ſeq.
Caluiniſtarũ cum Lutheranis pugna. Præfat. volunt aboleri libros Lutheranorum. ibid.
Catechiſmum Lutheri & Brentii proſcribunt. ibid.
Caluiniſtæ à Saxoniæ Electore quo modo excepti. Præfat. in eos Saxonum odium. 317
Caluiniſtarum libros iure damnari probat Schluſſelburgius Præf. media.
Calumniarum quarundam Iunii refutatio 253.313. & ſeqq.
Canones quorundam librorum lectionem prohibent. 31
Canon Concil. Carthaginenſ. explicatur. 33.37
Canon 9. Concil. Nicæni. 71
Canon Trullanus 72
Cantiones Lutherani aliiq; Hæretici vulgari lingua cur fingant. 88.89.109.

Can-

Cantilenæ famam lædentes ab Imp. prohibitæ. 109
Carolus Magnus Imp. ſcripta hæretica comburi iubet. 77
Carolus V. Imp. Lutheri libros flãmis addixit, 92. 97. *Famoſos libellos, cantilenas, &c. prohibet.* 106. *& ſeqq.*
Carthaginenſis Concilii Canon explicatur. 33. 37
Caſſianus emaculatur. 330
Caſſiodori de libr. Origen. ſententia, 65. *de ſæcularibus ſcientiis quid ſenſerit,* 233. *eius circa corrigendos libros ſtudium,* 329 *Epiſtolas S. Pauli emaculauit.* 330.
Catalogi librorum peſtilẽtium varij editi. 101
Chilpericus Francorum Rex. 59
Chilpericus rex libros deſcriptionũ comburit. 79
Chimiæ libros exurit Diocletianus 24.
Chriſtiani prauos libros benè exurunt. 26
Chriſtiani libros Ethnicorum cur legant. 33
Chriſtiani Gazenſes libros magicos comburunt. 58
Chriſtianorũ libros ſuis Iudæi peruersè prohibent. 25
Chriſtiani prohibentur ethnicos legere à Iuliano. 33
S. Chryſoſtomus num & quomodo deprauatus. 304. *non eſt auctor operis imperfecti, ibid. eius dictum explicatur.* 334
Chriſtophori VValther querela in Prædicantes. 340. 341
Ciceronis libri de natura Deorum, vt cremarentur Ethnici poſtularunt. 24
Ciceronis de Poetis iudicium. 202
Clemens VIII. Thalmud vetuit. 82.
Cochlæus, vide Ioannes Cochlæus.
Commentum, Academiarum ritu quid ſignificet. 8
Concilium Nicænum Formulas hæreticas fruſtatim comminuit 40.
Concilium Epheſinum Maſſalianorum libros anathematizat. 54.
Concilium Romanum libros Adelberti igni addicit. 77
Concilii Toletani tertii libellus hæreticus damnatur. 77
Concilium Conſtantienſe damnat libros VViclephi, 83. *Item damnat libros Huſſ.* 85. *Item igni addicit libros Iacobelli.* 88
Concilium Tridentinum Indicem

 librorum

librorum prohibitorum conficit 302.

Concil. Conſtantienſe à calumnia Iunii defenditur. 315

Cononitæ heretici, Philoponi ſcripta prohibent. 241

Conſtans Heraclii nepos Manichæos cum libris comburit. 46

Conſtantienſe Concilium damnat libros VViclephi, 85. item Huſſii. 85. Iacobelli, 88. à calumnia Iunii defenditur. 315

Conſtantinopolitana prima Synodus Epiſtolas Aetii damnat. 43

Conſtantinopolitani Archimandritæ petunt damnari libros Seueri. 66

Conſtantinus Magnus Arii libros addixit igni. 38. Alios itidem hæreticos grauiſſimo edicto proſcripſit. 40

Conſtantinus Magnus Porphyrii libros prohibuit, 48

Conſtantini Magni factum inſigne 106. 107.

Conſtantini Pſeudopapæ acta comburuntur. 79

Conſtantinus Magnus cur Arianos dixerit Porphyrianos. 237

Crameri Pomerani Prædicantis mendacium. 5

Cremutii Cordi anales cremati. 23

Criſis Eraſmi. ibid. 305

Criſis vbi, quando, & in quibus locum habeat. 306. & ſeq.

Criticorum hæreticorum mos. 262

Critici S. Auguſtini. 264

S. Cyrillus num corruptus. 304

S. Cyprianus libros ſuos magicos comburit. 57

S. Cyprianus num & quomodo corruptus. 299. & ſeqq.

Cyriacum Abbatem ob libros Neſtoris B. Virgo dedignatur. 55

D

David Georgius biẽnio & amplius à morte cum libris, &c. Baſileæ exuritur. 163. cum ſeqq.

Deſiderius Galliarum Epiſcopus, Grammaticam docens, iure à Gregorio Magno reprehenditur. 37

Diocletianus Chriſtianorũ libros ſcelerate cõburi edicit. 24. 227. Chimicæ libros exurit. 24. Manichæos cũ libris proſcribit. 47

Dionyſius Alexan. hæreticos euoluit. 216. qua ratione ad hoc faciendum fuerit commotus. 218

Dolus quid ſit. 253

Donatiſtæ qua occaſione exorti. 30

Donatiſtæ falsò Menſurio crimen proditionis ſacrorũ librorũ affingunt. 29. Eccle-

E

Ecclefia ius habet in libros alienos. 13.319
Ecclefiæ Patres qui ſint. 328
Edicta Principum quibus aſſcribenda. 4
Edictum Caroli V. de libris Lutheri. 92
Edictum Caroli V. de libris hæreticorum explicatur. 106
Edicta Cantacuzeni ab inuidis exuruntur. 227
Elector Saxoniæ Caluiniſtas in vincula coniicit. Præfat.
Emſeri librum Luther quomodo tractauerit. 16
Epheſinum Concil. Maſſalianorũ libros anathematizat. 54
Epheſii Magicis dediti, libros exurunt, eorum exuſtorum preciũ. Præfat.
S. Ephrami factum cum libris Apollinaris. 42
Epiphanes libros ſacros cur exuſſerit. 227
Epiphanius Epiſcopus Salaminæ Cypri libros Origenis damnat. 60.
Epitheta hæreſeos & hæreticorum 168
Eraſmi criſis. 264.305
Eraſmi libri damnantur à Luthero. Præfat. poſt med. eoſdem Luther quo honore fuerit dignatus. ibid.
Errores iuris Canonici. 322. & ſeqq
Errores iuris ciuilis. 353. & ſeqq.
Ethnici libri à Chriſtianis cur legantur. 33
Ethnici vt Cic. lib. de natur. Deor. cremarentur poſtularunt. 24
Ethnicorum libros legere Sacerdotibus licitum. 32
Ethnicorum ſcriptorum lectione Chriſtianis Iulianus Apoſtata interdicit. 33
Eunomii libri à Theodoſio cremãtur. 41. in exilium cur eiectus. 41.
Eutychetis libri proſcripti ab Imperatoribus. 41
Eutyches vnde hæreſin hauſit. 69
Eutychianorum fraus. 276
Eutychii Conſtantinopol. Patriarchæ liber de reſurrectione à Tiberio rogo addicitur. 71
Euſebii Cæſarienſis apologia pro Origene falsò Pamphilo mart. aſſcripta. 65
Excõmunicationẽ Indicis librorũ prohibitorũ & Bullæ cœnæ Domini qui incurrant. 212
Expurgatorius index, vid index.
Ezechias rex libros magicos exurit. 55.

F.

FAbella de Eckio & Lutheri libris. 98
Fabricii Veientonis libri exuſti, ipſe Italia pulſus. 22
Famoſi libelli à variis Imperatoribus probibiti. 104 105
Felix Epiſcopus Thibarenſis capite plexus ob non proditos ſacros libros. 28
Felici Manichæo libri adempti. 46.
Ferdinandus, Rex Romanorum, Lutheri libros proſcribit. 97
Franciſcus Borgia à calumnia defenditur. 336
Franciſcus Iunius, vide Iunius.
Franciſcus Turrianus à calumnia Iunii defenditur. 311. & ſeq.
Franciſcus Ximenius Archiepiſcopus Toletanus Mahometanos libros abolere ſtudet. 80
Fraudes hæreticorum in ſanctos Patres, Prælatos, Epiſcopos, &c. 275. & ſeqq.
Fredegundis regina libros deſcriptionum comburit. 79
Fregoſius Cardinalis calumniam patitur. 280

G.

GAſtius, vide, Iobus Gaſtius.
Gazenſes libros magicos cum Idolis comburunt. 58
Gelaſius Pontifex Manichæorum libros exurit, 45. probibet libros Origenis, 65. librorum prohibitorum Indicem facit. 70
Georgius Dauid, vide Dauid Georgius. 363
Georgius Rorarius, vide Rorarius.
Geſnerus Martialem emaculauit quoque à ſordibus. 203
Græci Patres corrumpunt. 288
Gregorius Magnus iure Pontificibus lectionem Gentilium vetat, 37 Deſiderium Galliarum Epiſcopum meritò reprehendit, 37. Eutychii librum de reſurrectione comburit, 71. Anaſtaſio libri hæretici lectionem interdicit. 73
Gregorii Magni libri num fuerint exuſti, 225. & ſequentibus. ei Spiritus ſanctus ſub columbæ figura cur appingi ſoleat, 226. à calumnia eum vindicat Platina 229. de eo quæ referant quidam. 228
Gregorius Nazianzenus libro de fide nomẽ ſuum cur non adſcripſerit. 269
Gregorius IX. Thalmudicos libros igni adiudicat. 81

H.

HÆreſis carciomati ſimilis 371

Hæreſis

Hæreſis Lutherana quorum potiſſimùm opera creuerit. 96
Hæreſim ſuam Manes vnde hauſerit. 23
Hæreſim ſuam Seuerus vnde hauſerit. 69
Hæreſis & hæreticorum epitheta. 168.
Hæreſis cum veneno comparatio. 169. *eiuſdem cum peſte.* 170
Hæreticæ ſinceritatis exemplum. 9.
Hæretici emptores ſuorum librorum decipiunt. 13
Hæretica miſericordiæ opera. 16
Hæretici libri & noxii, cur benè prohibeantur. 26. 168
Hæreticorum Formulas Nicanũ concilium fruſtatim comminuit 40. *Item Theodoſius Imperator.* ibid.
Hæreticos grauiſſimo edicto proſcripſit Conſtantinus Magnus. 40.
Hæreticorum libros Recharedus rex cremauit, 40. *in hæreticos libros odium Saluii Epiſcopi.* 59.
Hæreticorum libros Apoſtoli prohibent. 38
Hæretici libri ex qua officina prodeant. 46
Hæreticorum libros exurere priſci moris. 46
Hæreticorum libros domi retinens magnum ſibi creat malum. 54
Hæretici in libris Orthodoxorum & ſacris proſcribendis & exurendis quos imitentur. 110. 111
Hæretici ipſi damnant Lutheri factum in exuſtione Iuris Canonici. 148
Hæreticorum libri quomodo tractandi. 163
Hæreticorum fœtorem naribus percepit S. Pachomius. 171
Hæreticus iudicabatur qui ſeruaret vel legeret librum hæreticũ. 73. 215.
Hæreticorum librorum exemplaria cuſtodiebantur tuto loco. 77
Hæreſis Huſſitarum à putrido piſce ſumit exordium. 84
Hæreticorum mos & genius. 88 89. 220.
Hæreticorum libri etſi reſipuerint prohibiti. 172
Hæreticum librum legens febri affligitur. 173
Hæreticorũ libros legentes ab Excõmunicatione, qui excuſentur qui non. 209
Hæreticus liber quis cenſeatur. 210
Hæreticos libros tenere quis dicatur.

tur.213. inprimere quis. ibidem. defendere quis. ibid.
Hæreticos libros legendi quibus ſit facultas. 219
Hæretici cum Diabolo comparatio 223. 248.
Hæreticorum noſtræ ætatis cum Tertullian. cōparatio. 223. 224
Hæreticos libros legentium argumenta, quibus ſe tueri conātur, diſſoluuntur. 216. & ſeqq.
Hæretici ſola inuidia & odio ducti bonos libros exurunt, &c. 227.
Hæretici ſunt ranæ Ægyptiacæ. 255.
Hæreticorum criticorum mos. 262
Hæreticorum proprium libros non bona fide tractare. 272 & ſeqq.
Hæretici quos libros falsò aliis affinxêre. 273. & ſeqq.
Hæreticorum in S. Hieronymum fraus. 276
Hæreticorum noſtræ ætatis fraudes. 209. & ſeqq.
Hæretici Patrum orthodoxorum libros corrumpunt. 281. & ſeqq.
Hæretici libros mala fide transferunt. 295
Hæreticorum librorum elogia. 323
Hæretici Bertramum deprauarunt. 328
Hæretici inuicem aliorum Hæreticorum libros damnant, proſcribunt, &c. Præfat. tota. eorundem de ſe inuicem querela. ibid.
Hæreticorum libros iure damnari probat Schluſſelburgius, Præfat. media.
Heidelbergenſes Catechiſmum Lutheri & Brentii cum aliis eorū libris proſcribunt. Præf.
Heilbrunneri contradictio & impudentia. 6
Heilbrūner quàm fidus interpres. 8.
Heilbrunnerorum inſigne mendacium & impoſtura. 10
Heilbrunner calumniatur P. Hylin. 15
Heliodori æthiopica prohibentur 189.
Heraclæ in hæreticos ſeueritas. 219
S. Hieronymi iudiciū de doctrina & libris Origenis. 61. 63. 244. eius ſententia explicatur. 65. Lætæ Canticorum lectionem interdicit, 179. libros hæreticos cur euoluerit. 216 quos libros legēdos Lætæ præſcripſerit. 221. eius de lectione librorū Gentilium diſputatio. 234. à calūnia Ruffini innoxius defenditur. 244.

libros Origenis quoſdā cur verterit. 245. Redarguit Ruſtinū 283.

Hieron. Pragenſis libri ſeuerè prohibentur à Martino V. 87 vulgari lingua cantiones in quem finem compoſuerit. 89

Honori⁹ Imp. Orig libros dānat. 6

Hunnius concionator, calūniator, ſpermologus, 318. & ſeqq. eius in P. Hylin calumnia. 320. ad cū ζήτημα. 343

Huß hæreſin vnde hauſerit. 84

Huſſitarum Secta in Bohemia quando exorta. 84

Huß libri dānantur Conſtantiæ, 85 ſeuerè prohibentur à Martino V. 87

Huß ad ſupplicium pergens ridet libros ſuos comburi. 89

I

Iacobelli libri Conſtantiæ igni addicuntur. 88

Iames Thomas Anglus, vide Thomas Iames.

Ianus Caluiniſta improbior Petronio. 187

Ianus, Martialis impuri patronus. 196. & ſeqq.

Iconoclaſtarum in corrumpendis libris Orthodoxorum ſtudium. 287.

Ienenſes deprauant Lutherum. 342.

Ieſuitæ indicem expurgatorium nō fecerunt. 2.5

Ieſuitæ à Prædicantium calumniis defenduntur. 3.9

Ignatius Conſtantinopolitan. Patriarcha Photii libros comburit. 76

Illicita docens, legenda tradens, diſcens, &c punitur. 42

Illyrici querimonia ob VValdenſium libros amiſſos. 89

Imperatores Arcadius & Honorius. 61. 105

Imperator Conſtantinus Magnus 38. 40. 48. 104. 106. 203. 237.

Impp. Diocletianus & Maximianus. 24. 47

Imp. Iulianus. 33. 229

Imper. Conſtans, Heraclii nepos. 46.

Impp. Theodoſius & Valentinianus. 41. 45. 47. 49. 50. 105. 203.

Imp. Valens. 56. 112

Imp. Martianus. 41. 203. Præfat.

Imp. Iuſtinianus. 66. 69. 203

Imp. Tiberius. 71
Imp. Baſilius. 74
Imp. Carolus Magnus. 77
Imp. Carolus V. 92.97.106.109
Imp. Auguſtus. 104.176
Imp. Conſtantius Conſtantini F. 304.
Imperatores Valentinianus & Valens. 104
Imp. Leo Iſauricus. 111
Imperat. Ioannes Contacuzenus. 227.
Imp. Leo. 235
Indicis expurgatorii authores. 2
Index quo anno captus. 7
Index vbi & quando impreſſus. 10.
Indicis conſcribendi veræ cauſſæ. 13.
Indicis conſcripti finis & vſus. 14.
Index errantes corrigit. 15
Indicis autores Ieſuitas eſſe Prædicantes volunt. 3.9.
Indices librorum vetitorum Vergerius exagitat. 102
Indices librorum prohibitorum confecti à Concilio Tridentino & à pluribus ſubſequentibus Pontificibus. 302
Index Tridentinus recentiores Poetas meritò proſcripſit. 189
Indicis librorum prohibitorum regulæ explicantur. 207. *& ſequentib.*
Index expurgatorius quæ corrigat & expungat, fusè. 325.
Index an & quomodo damnarit Bertramum. 326.327.
Ingolſtadienſis Academiæ Iuridica facultas Luthero quale poſuerit monumentum. 163
Innocentius quartus Thalmudicos libros igni adiudicat. 83
Inſtructio pro confitentibus à Luthero edita. 150
Inuidia quantum malũ, eiusq. exempla. 225. *& ſeqq.*
Ioannes Aurifaber, vide Aurifaber.
Ioannes Cochlæus teſtatur Lutheranos ſuæ perfidiæ incrementum Calcographis debere. 96
Ioannes Conſtantinopolit. Epiſcopus Anaſtaſium vt hæreticũ condemnat ob hæreticum librũ lectum. 73
Ioan. Gerſon: Epiphonema in Auguſtum. 179
Ioan Hylin à calumnia Heilbrũneri defenditur, 15. *item à calumnia Hunnii.* 320
Ioan. Huß, vide Huß.
Ioan. Rockyzana, vid. Rockyzãa Ioan.

Ioan. Ruchard volumina ipſo inſpectante Moguntia combuſta. 78.

Ioannes vigeſimus tertius damnat libros VViclephi. 247

Iobus Gaſtius Lutheranus inſignis librorum falſarius. 288

Ioan. Chryſoſtomi periculum, dum Magici libri conquiruntur cremandi, 56. *libros Origenis defendit.* 63

Iſidorus hæreticorum librorum lectione Monachis interdixit. 233

Iſraelitæ veri qui ſint. 253. *& ſeq.*

Iudæi ſuis Chriſtianorum libros peruersè interdicunt. 25

Iudæi Biblia qua lingua legere debeant Nouella Iuſtiniani Imperatoris. 69

Iudæis lege Viſigothorum certi libri prohibentur. 79

Iudaici libri qui permittantur. 82 223.

Iudæi non cuiuis ætati indiſcriminatim ſacras ſcripturas permittebant. 180

Iulianus Apoſtata Ethnicorum ſcriptorum lectione Chriſtianis interdicit, 33. *cur id fecerit.* 229. 232.

Iulius III. Thalmudic. libros igni adiudicat, 83, *omnes omnino hæreticorum libros quacunque ratione interdicit.* 207

Iulio Pontif. Roman. ab hæreticis falsò aſſictæ epiſtolæ. 277

Iunius contra indicem expurgatorium ſcripſit. 1

Iuniũ Heilbrunneri deprauant. 10

Iunii querela de indice. 33. 36

Iunius plus inſciens quàm ſciens boni fecit. 37. 256

Iunius Prædicans quatuor vxores ſe teſte duxit. 224

Iunii calumniarum quarundam refutatio. 253

Iunius num ſit verus Iſraelita. 254.

Iunii tripudium eiusq; cauſa. 256

Iunius duplex genus falſariorum SS. Patrum adducit. 260

Iunii doctrina quã clara, 305. *eius doctrina de indiciis quib. librorũ corruptela deprehendantur, examinatur.* 303. *& ſeq.*

Iunii calumnia in Turrianũ. 311. *& ſeq.*

Iunii calumniæ & conuicia varia refelluntur. 313. *& ſeqq.*

Patronum agit Viuis. 324

Iunius vanè & inſulsè damnatum ab indice Bertramũ deflet. 327

Iunii aliæ calumniæ in Academias Catholicas. 332

Iuſtius verumloquitur. 334
Iuriſconſultorum Ingolſtadienſiū monumentum quod Luthero ob Ius canonicū exuſtū poſuêre 163
Ius Canonicum exuritur VVittenbergæ à Luthero. 99.122
Ius Canonicum cur exuſtum. 122. *& ſeqq.*
Iuris canonici errores diſcutiuntur. 122. *& ſeqq.*
Iuris ciuilis errores diſcutiuntur. 151. *& ſeqq.*
Ius Canonicum etiamnum VVitebergæ publicè legitur. 163
Iuſtinianus Imperator proſcripſit libros Seueri. 66
Iuſtini Martyris de libris Sibyllinis iudicium. 23
Iuuentuti Poetarum obſcænorum & aliorum mollium ſcriptorum lectio non permittenda. 177. *& ſeqq.*
Iuuentuti iudicio Quintil. qui poetæ prælegendi. 185.

L

Labieni libri exuſti. 21
Lacedemonii Archilochi libros vrbe pellunt. 175
Lactantii error. 332
Lauatheri Zuingliani de Lutheranis querelæ. *Præfat.*
Leonis Iſaurici impietas & crudelitas. 111
Leo Magnus Manichæorū libros exurit. 44. *Priſcillianiſtarū libros proſcripſit.* 70
Leontius de libris Theodori quid ſenſerit. 242. *vindicat à calumnia hæreticorum Iulium Pontif. & alios Patres.* 277
Leo 9. *Pontif.* 71
Leo 10. *Lutheri libros proſcripſit,* 90. *igni addixit.* 91.248
Leunclaii fraudes. 295
Librarii iidem qui Calligraphi. 67
Lex Conſtantini Magni in hæreticos. 40
Lex Diocletiani in Manichæos 47
Lex Impp. Theodoſii & Valentiniani in Manichæos. 45
Lex Theodoſii contra Neſtorium manca legitur. 49. *ea explicatur.* 50
Lex Iuſtiniani Imp. in libros Seueri. 66
Lex Iuſtiniani qua lingua Iudæi Biblia legere debeant. 69
Lex Caroli magni in libros & ſcripta hæretica. 77
Lex VViſigothorū de libris Iudæis interdictis. 79
Lex Auguſti & aliorum Impp. in libellos famoſos. 104
Lex Græcorum in libros ſceleſtorum auctorum. 222

Libri

Libri Protagoræ ab Athenienſibus exuſti. 19
Libros Romani cremant. 19
de libris Sibyllinis ſumma cura Romanis. 20
Libri Labieni ſeu Rabieni exuſti. 21.
Libri Fabricii Veientonis vſtulati 22.
Libri 4. Scythiani quantum orbi malum innexerint. 22
Lib Cic. de natur. Deor. ad ignem ab Ethnicis petiti. 24
Libri hæretici & noxii cur benè exurantur, &c. 26. 69. 168
Libros noxios exurendos ex Actis Apoſt. conſtat. 30
Libri mali quantum noceant. 30.
Libros Eunomii Theodoſius Imp. cremari iubet. 41
Libros Eutychetis & Apollinaris proſcripſerunt Valentinianus, & Marcianus Imperatores. 41.
Libri Manichæi proſcribuntur & exuruntur. 44. 45
Libri hæretici ex qua officina prodeant. 46
Libros hæreticorum exurere priſci moris. 46
Libri Porphyrii & Neſtorii ab Impp. rogo adiudicati. 47
Libri Theodori Neſtorianorum ſtudio cladem Eccleſiæ attulerunt. 53
Libri Maſſalianorum à Concilio Epheſ. anathematizati. 54
Libros de geniis, Salom. aſſcriptos Ezechias exurit. 55
Libri magici à Valente Imp. exuſti. 56
Libri Mathematici iudiciarii adiudicantur flammis ab Impp. 57.
Libros hæreticorum domi retinens magnum ſibi creat damnum. 54.
Libri magici à Gazenſibus comburuntur. 58
Libros Arii igni addixit Conſtant. Magnus. 38. *quos.* 239
Libros ſuos magicos Cyprian. martyr exurit. 57
Libros Chimicæ exurit Diocletian. 24.
In libros alienos ius habet Eccleſia. 13
Libri Felici Manichæo adempti. 46.
Libri magici dũ conquiruntur, Io. Chryſoſt adit periculum. 56
Libris Chriſtianorum Iudæi ſuis peruerſè interdicunt. 25
Libri Sibyllini. 23. 20

Librum ſuſpectæ fidei Marcellus Ancyranus Epiſcopus iubetur exurere. 59
Libros ſacros ad ignem inquirentes eluduntur à Menſurio Epiſcopo. 29
Libros prauos corrigere miſericordiæ opus. 15.320
Libri Origenis qui, & quot, & à quibus damnati. 60.63.64.65
Libros Porphyrii prohibuit Conſtant. Magn. 48
Libros hæreticorum Recharedus rex cremauit. 40
Libros Ethnicorum legere Sacerdotibus licitum. 32. *in libros hæreticorum odium Saluii Epiſcopi.* 59
Libros Manichæorũ exurit Symmachus. 45
Libri Apollinaris hæretici à ſancto Ephræm conglutinantur. 42.
Libros prauos Apoſtoli prohibent. 38.
Libros hæreticorum Apoſtoli prohibent. 38
De libris malis iudicium Vlpiani ICti. 22
De libris malis iudicium Pauli ICti. 23.
Libros Manichæorum cum ipſis comburit Rex Perſarum. 45.
Libros Neſtorii deteſtatur D. Virgo. 55
Libros iudiciarios & ſuperſtitioſos ſeuerè interdicit Sixtus V. 58
Librorum ſuorum emptores Prædicantes decipiunt. 13
Ob libros ſacros euulgatos M. Attilius punitur. 17
Libri Seueri à Iuſtiniano Imp proſcribuntur. 66
Ex librorum Manichæorum lectione Seuerus fit hæreticus. 69.
Libri Priſcillianiſtarum proſcripti. 70
Liber Eutychii Patriarchæ rogo addicitur. 71
Libri Monothelitarũ rogo addicti à Synodo ſexta. 71
Liber itineraria Apoſtolorum damnatur à Synodo ſeptima. 71.
Librum hæreticum ſeruans vel legens, iudicabatur & ipſe hæreticus. 73 215
Libri mali lectionem reprehendit Theodorus Studita. 73
Liber Photii Romæ & Conſtantinopoli exuritur. 74
Libri apocryphi quidã prohibẽtur 76

Libri Saracenorum iubentur comburi. 76
Libri Adelberti hæretici igni addicuntur. 77
Librorum hæreticorum exemplaria quædam cuſtodiebantur. 77.
Libri Ioan. Ruchard Moguntiæ combuſti. 79
Libri Albigenſium combuſti. 79
Libelli anathematis vi extorti comburuntur. 79
Libros Mahometanos Franciſcus Ximenius abolere ſtudet. 80
Libri Thalmudici exuſti. 81
Liber Magazor ſolùm hebræa lingua conceſſus. 82
Libri Iudaici qui tolerentur. 82
Libri VViclephi damnantur, 83. *exuruntur*, 84. *libri eius Bohemiæ cladem inferunt.* *ibid.*
Libri Huß damnantur in Concil. Conſtantienſi. 85
Libri Huß, VViclephi, & Hieronymi ſeuerè prohibẽtur à Martino V. 87
Libri Iacobelli Conſtantiæ igni addicuntur. 88
Libri Lutheri igni addicuntur à Leone X. 91. *in eius libros tenentes pœnæ ſtatutæ.* 91. 92
Libros Lutheri Carol. V. flammis addixit. 92. 97. *eoſdem proſcribit Ferdinandus Rex, &c.* 97.
Libri Lutheri paßim exuruntur. 98.
Librorum peſtilentium Catalogi varii editi. 101
Libelli famoſi à variis Impp. prohibiti. 104
Libros ſacræ doctrinæ exurendos &c. hæretici à quibus didicerint. 111. *& ſeqq.*
Libros ſacros Anabaptiſtæ exurũt 115.
Libri hæreticorum quomodo indagandi, conquirendi, abolendi. 163.
Libros hæreticos legentis à DEO puniti inſigne exemplum. 173
Libri laſciui & impuri prohibentur. 174. *& ſeqq.*
Libri profani Iſraelitarum exemplo quomodo tractandi. 188
Libros prohibitos qui ſpargunt quibus pœnis ſubiaceant. 203
Libros mala fide tractare, hæreticorum proprium, 272. *& ſeqq.*
Libri Apocryphi. 273
Libri à hæreticis editi, aliis falſò adſcripti. *ibid & ſeqq.*
Libros orthodoxorum Patrũ corrumpunt hæretici. 281. *& ſeqq.*

Libros mala fide transferunt hæretici. 295
Libros corrumpendi modi hæreticis vſitati. 272.290
Librorum corruptelæ quibus indiciis deprehẽdantur. 305.*& ſeqq*
Librorum hæreticorum encomia aliquot inſignia. 323
Libri à Patribus emaculantur. 330.331.
Libros ſuos hæretici inuicem damnãt, proſcribunt, &c. præf. tota
Libros hæreticorum iure prohiberi, probatur rationibus Schluſſelburgii. Præfat.
Libri Eraſmi damnantur à Luthero. Præfat. poſt med. quo honore eius libri ab eodem fuerint excepti. ibid.
Libros hæreticos legentes ab excõmunicatione qui excuſentur, qui non. 209
Liber hæreticus quis dicendus ſit. 270.
Libros hæretic. tenere quis dicatur 233. *imprimere quis. ibid. defendere quis. ibid.*
Libros prohibitos legere, quibus ſecluſo iure humano, ſit permiſſum. 234.239
Libros prohibitos legendi facultatem dare quis poſſit. 235
Libros hæreticos alioſq; malos nullo modo permittendos eſſe, vt legantur. 217.*& ſeqq.* 220
Libri Iudaici, qui permittantur, qui non. 223
Libri Turcici qui permittantur, ibidem.
Libri antiquorum hæreticorũ qui, & cur permittantur. ibid.
Libros hæreticos, &c. legentium argumenta quibus ſe defendere ſatagunt, ſoluuntur. 236.*& ſequent.*
Libri ſacri & boni à hæreticis, &c. ob odium & inuidiam ſolam exuruntur. 227
Libros hæreticorum ipſi hæretici vetant. 241.*præf.*
Libri hæreticorum ſunt ranæ Ægyptiacæ. 255
Libri cur nonnunquam veris auctoribus non fuerint adſcripti. 263 264.266.*& ſeqq.*
Libri S. Ambroſii num & à quo ſint corrupti. 265
Luther Emſeri librum ignominia notat. 16
Luther Bullam Pontif. quo honore exceperit. 16.248
Lutheran. mos & cõſuetud. 88.89
Lutheri libri proſcribũtur à Pont. 90.*in eius libros retinentes ſtatuta pœnæ.* 91.92.

Lutheri libros flammis addixit Imp. 92.97
Lutherana ſecta quorum opera &c. creuerit. 96
Lutheri libri paſſim exuruntur. 98.
Luther idipſum teſtatur. 98
Luthero vxorem ducere, paradiſus eſt. 99
Luther Ius Canonicum exurit. 99 113. 122.
Lutheri fabula de Eckio & ſuis libris. 98
Lutheri pium, ſed ſimulatum deſiderium. 116
Lutherani medici iuſta querela 117
Lutheri rationes, cur Ius Canonicũ exuſſerit. 122
Lutheri factum ipſi hæretici damnant. 148
Lutheri inſtructorium pro Confitentibus. 150
Lutheri de Martiale aliiſq́; laſciuis poetis iudicium. 202
Lutheri nulla comparatio cum Origene. 249. & ſeq.
Luther cur damnetur & non Ariſtoteles. 250
Lutheri in Ariſtotelem calumnia. 250.
Lutherus acutus Philoſophus. 251.
Lutheri in pathmo ſua, cura. 252.
Luther Bibliorum Corruptor. 288.
Lutheranus Ioh. Gaſtius inſignis falſarius. ibid.
Lutheranorum cum Caluiniſtis pugna. Præfat. eorum libri à Caluiniſtis proſcribuntur. ibidem.
Lutheri Catechiſmus à Caluiniſtis proſcribitur. ibid.
Lutherani interdicunt Zuinglianorum libros. ibid.
Lutheranorum libros iure damnari probatur rationibus Schluſſelburgii. præf. media.
Luther damnat libros Eraſmi, &c præfat poſt med.
Luther à ſuis Prædicantibus mutilatur, detruncatur. &c. 338. & ſeqq.
Luther expoſtulat cum Bucero de ſuis libris corruptis. 340
Luther fatalis neceſſitatis aſſertor. 343. & ſequent. *ſuiipſius falſarius.* ibid.

Maga-

M

Magazor hæbraica lingua editus tantùm permiſſus. 82

Magici libri à Gazenſibus comburuntur. 58

Magicos ſuos libros Cyprianus Martyr exurit. 57

Magici libri dum conquiruntur, Ioan. Chryſoſtomus periculum adit. 56

Magicos libros exurit Ezechias rex. 55

Magicos libros exurit Valens Imperator. 56

Mahometanos libros abolendi ſtudium Franciſci Ximenii. 80

Manes hæreſim ſuam vnde hauſerit. 23

Manichæos cum libris proſcribunt Diocletianus & Maximianus 47.

Manichæi libri interdicuntur & proſcribuntur. 44. *in Manichæos ſeueriſſima lex Imperatorum Theodoſii & Valentiniani.* 45

Manichæorum libri exuruntur. 44. 45. 46.

Manichæos cum libris comburit rex Perſarum. 45

Ex Manichæorum & Marcioniſtarum librorum lectione Seuerus fit hæreticus. 69

B. Maria Virgo Neſtorii libros deteſtatur. 55

Marcellus Ancyranus Epiſcopus librum ſuſpectæ fidei iuſſus eſt exurere. 59

Marcioniſtarum librorum lectione Seuerus fit hæreticus. 69

Martialis cauſſa agitur. 190. *& ſeqq.*

Martialis interpretes aliquot è noſtra Societate. 190. *& ſeq.*

Martialem purgatum & exſectũ, qui & ob quas cauſſas querantur & doleant. 190

Martialem non purgatum legere, quibus ſit licitum. 193

Martialem purgatum edidit Geſnerus, 201. *de Martiale, aliiſq; laſciuis Poetis Lutheri iudiciũ.* 202.

M. Attilii Duumuiri pœna. 17

Martinus Bucerus, vide, Bucerus.

Martinus Luther. vide Luther.

Martini V. Bulla de libris VViclephi, Huß, Hieronymi. 87

Maſſalianorum libri à Concilio Epheſino anathematizati. 54

Mathematici iudiciari libri flammis ab Imperatoribus adiudicantur. 57

Matthæus Rader. benè Mart. perpurgauit. 197.

Metro-

Menſurius Epiſcopus Carthaginē-ſis, ſacros libros comburendos inquirentes, aſtu eludit. 29

Metroclis factum. 188

Monothelitarum libri rogo addicti à Synodo ſexta. 71

Miſericordiæ opus libros prauos corrigere, &c. 15. 320.

N

NEſtorii ſectatores Simoniani vocandi. 50

Neſtorii libros B. Virgo deteſtatur. 55

Neſtorii libri ab Impp. rogo adiudicati. 47

Neſtorianorum ſtudio Theodori libri Eccleſiæ cladem attulerūt 53.

Neſtoriani ſcripta Patrum corrumpunt. 288

Nicænum Concilium Hæreticorū formulas fruſtatim comminuit 40.

NicæniConcil. canon de ſacris imaginibus. 71

Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, libros Apocryphos quoſdam prohibet. 76

Nicolaus primus libros Saracenorum comburi iubet. 76. *eius cura circa opus Dionyſii Areopagitæ.* 77

Nicolaus Amſtorffius, vide, Amſtorffius.

Notarii dicuntur Tachygraphi, ſeu Oxygraphi. 67.

O

OChini conciones affictæ Thomæ Iuſtinopolitano. 283

Odium quantum malum, eiuſq́, exempla. 225. & *ſeqq.*

Oecolampadii fraus. 296

Operis imperfecti auctor. 304

Origenis libri qui, quot, & à quibus damnati. 60. 61. 64. 65. *à quibus defenſi.* 63. *cur non ab omnibus damnati.* 64. *pro Origene Apologia eſt Euſebii Cæſarienſis.* 65

Origenis libros quos & cur verterit S. Hieron. 245

Origeni non comparandus Luther 249.

Origenes ſua ab hæreticis corrupta conqueritur. 285

Ouidii libros de Amore Auguſtus Imperator proſcripſit. is idem à laſciuorum Poetarum lectione abſtinendum ſuadet. 176.

Oxonienſis Academia VViclephi libros exurit. 84
Oxygraphi qui. 67

P

PAchomius Abbas libr. Origen. damnat, 61. 64. 171. *hæreticos ex fœtore agnouit.* 171
Pœna ſtatuta in retinentes libros Lutheri. 91. 92.
Pœna eorum qui libros prohibitos ſpargunt, &c. 203
Pœna in legentes libros hæreticos ſtatuta quouſque ſe extendant, quiq; in eas cadant. 209. 210
Pœna Typographorum librorum hæreticorum. 214
Pamphilo martyri apologia pro Orig falsò aſſcripta. 65
Papa, vide, Pontifex.
Paradiſus eſt Luthero vxorem ducere, &c. 99
Pariſiis Ariſtoteli falsò aſſcripta Metaphyſica exuſta. 245
Paſchaſius Corbeienſis corruptus multipliciter à Gaſtio Lutherano 289. *malè tractatus à Caluiniſtis.* 291
Patres quas calumnias paſſi ſint ab hæreticis. 76. *& ſeqq*
Patres Eccleſiæ qui ſint. 328. *à nobis ipſorum libri num proſcribantur.* *ibid.*
Patribus orthodoxis hæretici falsò libros affingere conſueuerunt. 275 *& ſeqq. eorum libros corrumpunt.* 281. *& ſeqq.*
Patres ipſi aliorum libros ab erroribus purgant. 330. 331
Pauli Icti. de libris malis iudiciũ. 23.
D. Paulus Apoſt. in profanis ſcriptoribus vt Epimenide, Arato, Eurip. verſatus & iis vſus. 35
S. Paulus cur epiſt. ad Hebr. nomen non præfixerit. 269
Paulus IV. Thalmudicos libros igni adiudicat. 81
Perſarum rex Manichæos cum libris comburit. 45
Petronio inuerecundior eſt Ianus 187.
Petrus Galatinus ob defenſionem Thalmudicorum librorum reprehenditur. 82
Philoponi ſcripta Cononitæ prohibent. 241
Photius. 66. *Photii libri comburuntur.* 75. 76. *eius fraus.* 279. *eius impoſturæ in falſandis epiſtolis Pontific.* 288
Pii 4. *lex de Thalmud Iudæorũ.* 82
Platina à calumnia vindicat Gregorium Magnum. 229
Platonis aduerſus poetas decretũ. 175.

ſua poemata ob mollitiem exuſſit. 184. *Democriti libros cur exurere voluerit.* 228
Poeta quomodo legendi. 177
Poeſis quæ & qualis. ibid.
Poetæ aliiq́; ſcriptores molliores ſe purgantes nō audiendi. 181. 182
Poetas recentiores Trident. index meritò proſcripſit. 187
Poetas veteres non in totum vetuerunt Pont. 187
Pontifex ius habet in libros alienos. 13
Pontificis, de libris Patrum censura. 15
Pontificibus iure interdictum Gentilium lectione à Gregorio Magno. 37
Pontificis Bullam quo honore Luther exceperit. 16.248
Pontif. Anaſtaſius libr. Origenis damnat & quos. 63.64
Pontifex Clemens VIII. 82.303 314.324.
Pontif. Sixtus V. libros iudiciarios & ſuperſtitioſos ſeuerè prohibet. 58.302.
Pontifex Gelaſius libros Origenis quoſdam prohibet. 65. 313. *librorum indicem facit.* 70.204
Pont. Agapetus. 66 79
Pontif. Leo Magnus libros Priſcillianiſtarum proſcripſit. 70. 172. 274.
Pontificum decreta de libris Thalmudicis comburendis. 81
Pontificis errores in iure Canonico reperti diſcutiuntur. 122. & ſeqq.
Pontificii à calumniis Iunii defenduntur. 314
Pontifex Gregorius Magnus. 37 71. 73.
Pontifex Leo nonus. 71
Pontifex Nicolaus primus. 74. 76.
Pontifex Adrianus ſecundus. 74.
Pontif. Zacharias. 77
Pontif. Stephanus. 78
Pontifex Leo Magnus. 44 *Symmachus primus, Gelaſius, Manichæorum libros exurunt.* 40. 44. 45. 274. 279.
Pontifex Bonifacius ſecundus. 79.
Pontif. Gregorius nonus. 81
Pontifex Innocentius quartus. 81.
Pontifex Iulius tertius. 81. 204. 206.
Pontifex Paulus IV. 81. 303. 207.
Pontifex Pius quartus. 81. 302. 207.

Pontifex Martinus V. 86. 87
Pontifex Leo X. 90. 206. 248
Pontifex Gregorius 13. 102
Pontifex Nicolaus primus. 107
Pontif. Stephanus. 205
Pontifex Paulus tertius. 206
Pontifex Ioannes 23. 247
Pontifex Xiſtus 275
Pontif. Iulius. 277
Pontifex Vigilius. 278
Pontif. Syluerius. *ibid.*
Pontifex Clemens. 282
Porphyrii libros prohibuit Conſtantinus Magnus. 48
Porphyrii libri ab Impp. rogo adiudicati. 47
Pragenſis Epiſcopus VViclephi libros exurit. 84
Pragenſem Academiam rexerunt Teutones. 84
Pragenſis Academia VViclephi libros damnat. 83. 246
Prædicantes Ieſuitas indicis Auctores eſſe volunt. 3. 9
Prædicantes Auerni ſatellites & emiſſarii. 4
Prædicantium impudentia. 6
Prædicantium impoſtura. 9
Prædicātium contra indicem querela. 11
Prædicantes ſuorum librorum emptores decipiunt. 13
Prædicantes pecora irrationabilia 15.
Prædicantium mos. 15
Prædicantium in Pontifices calumnia & mendacium. 32
Prædicantis Crameri mendaciū. 5
Prædicantium Palatinorum ſtupor Ratisbonæ 336. *eorundem vanus timor.* 335. *eorum acumen.* 336
Prædicantes ſcriptorum Lutheri falſarii. 338. & ſeqq.
Prædicantes VVittebergenſes Lutheri libros mutilant. 340
Priſcillianiſtarum libri proſcripti 70.
Protagoræ libri exuruntur ab Athenienſibus. 19
Prutenus nobilis ob libros hæreticos lectos febri cruciatur. 173
Pſylli liberos legitimos qua ratione probârint. 193
Pueri vt educandi. 177

Q

QVadus ſeu Cabades Perſarum rex Manichæos cum libris comburit. 45
Quintiliani iudicio qui iuuentuti Poetæ prælegendi. 185

R

RAbienus, vide, Labienus.
Ranæ Ægyptiacæ ſunt hæretici. 255

Ratio-

Rationes. 9. Schluſſelburgii quibus probat libros hæreticorum meritò & iure interdici, &c. præfat. med.
Recharedus Gotthorum rex hæreticorum libros cremat. 40
Rockyzana Huſſita.84.eius ſtultitia. 85
Roffenſi adſcriptus liber Buceri. 281.
Romani libros cremant. 19
Romanorum cura circa libros Sibillinos. 20
Rorarii querela de Prædicantibus. 340
Ruffinus Origeniſta, & eius in ſanctum Hieronymum calumnia. 243. eius impoſtura, 275. eius teſtimonium de ſtudio & temeritate hæreticorum corrumpendi libros Patrum. 281. redarguitur à ſancto Hieronymo, 283. item à Baronio. ibidem. teſtatur Origenis libros deprauatos. 284.

S

Sacerdotibus licitum legere libros Ethnicorum. 32
S. Scriptura apud Hebræos non cuiuis indiſcriminatim legenda permiſſa. 180
Schytiani 4. lib. quid orbi inuexerint. 22.
Salomonis Hygromantia. 56
Saluianus Maſſilienſis libro ſuo cur nomē non prænotârit. 266.267
Saluii Albigenſis Epiſcopi conſtantia & in libros hæreticos odium. 59
Saracenorum libri iubentur comburi. 76
Saxonum in Caluiniſmū odiū. 317
Saxoniæ Elector Caluiniſtas in vincula coniicit & quibus conditionibus dimittat. Præfat.
Sbinco Archiepiſcopus Pragenſis, libros VViclephi exurit. 85. ad id audendum à quo excitatus ſit 245.
Schluſſelburgii de Caluiniſtis querelæ. praf. eius ratiōes, ob quas iure vetētur hæretic. libri præf.
Sermo animi index. 182.183
Seueri libri à Iuſtiniano Imp. proſcribuntur. 66. cuius genii & quā impii libri Seueri fuerint. 67. vnde hæreſim ſuam hauſerit. 69
Sibyllini libri. 20.23
Simoniani dicti Neſtorii ſectatores. 50
Sixtus V. libros iudiciarios & ſuperſtitioſos ſeuerè interdicit. 58
Sixtus Sen. Pet. Galatinum ob defenſionē Thalmud. librorū reprehendit. 82.

Socratis verecundia. 185

Sorbonā Iun. falsò calūniatur. 332

Sotades quis. 240

Staniſlaus Hoſius Cardina. morbi cauſam edicit. 173

Stephanus Pont. acta Conſtantini Pſeudopapa comburit. 79

Surena Parthus Rom. milites ob libros molles deteſtatur. 177

Symmachus I. Manichaeorū libros exurit. 45

Syngraphæ aliaq́ ſcripturæ nūinis placandi gratia concrematæ 79

Synodus Conſtantinop. I. epiſtolas Aetii damnat. 41

Synodus Alexand. libros Origenis interdixit. 60

Synodus V. Oecumenica libr. Origenis damnat. 65

Synodus VI. Monothelitarum libros rogo addixit. 71

Synodo VII. damnatur liber, itineraria Apoſtolorum. 71

Synodus IIX. Oecumenica Photii librum comburit, &c. 75

Synodus Conſtantienſis damnat libros VViclephi 83. *eadē dānat & igni addicit libros Huſſ.* 86

Synodus Tridentina librorum vetitorum indicem conficit. 302

Synodus Conſtantienſis defenditur à calumnia Iunii. 315

T

Tachygraphi qui. 67

Thalmudici libri exuſti 81

Thalmudicorum librorum 12000 ex Cremonenſium Iudæorum Synagoga exuſta. 82

Thalmud vetatur. 82

Tarquinius rex Atilium ob ſacros libros vulgatos punit. 17

Theoctiſtus Anachoreta ob lectionem libri mali reprehēditur. 73

Theodoretum à calumnia vindicat Baronius. 276

Theodoſius Magnus formulas hæreticorum ſibi oblatas fruſtatim comminuit. 40. *Eunomii libros cremari mandat.* 41. *eius & Valentiniani lex in Manichæos.* 45. *is cum Valentiniano Porphyrii & Neſtorii libros rogo adiudicat.* 47

Theognidis turpiloquentia. 194

Theognidis conſilium, quibus Poetis vtendum. 203

Theophilus Epiſcopus Alexandr. Orig. lib. prohibuit. 60. *eoſdem tamen cur legerit.* 216

Theotimus Scythiæ Epiſcopus Origenis libros defendit. 61

Terentii belli ducis piū factū. 313

Tertulliani cum noſtræ ætatis hæreticis cōparatio. 223 224

Tiberius Imper. Eutychii librum flammis addicit. 71
Thomas Anglicus alius eſt à D. Thoma Angelico D. 270
Thalia Arii. 239
Thomas Iames Anglus refutatur 297. *& ſeqq.*
Thomæ Iuſtinipolitano aſſicta cõciones Ochini. 281
Tridentinum Concilium Indicem prohibitorũ librorũ cõficit. 102
Tridentinus Index recentiores poetas meritò proſcripſit. 387
Turrianus, vide Frã. Turrianus.
Turibius Aſturicenſis Epiſcopus, lib. Priſcillianiſt. proſcripſit. 70
Typographorum liborum hæreticorum pœna. 214.

V

VAlentiniani Imperatoris in Manichæos lex. 45. *cum Theodoſ. Porphyrii & Neſtorii libros rogo addicit.* 47
Valens Imperator libros magicos exurit. 56
Vergerius Indices prohibitorum librorum exagitat. 102
Vergerii impoſtura. 280
Veiento, vide Fabricius.
B. Virgo libros Neſtorii deteſtatur. 55
Viuis patronus Iunius. 325
Vlpiani ICti de malis libris iudicium. 22
Vulpes ſunt hæretici. 254. *& ſeq.*
VVenceſlai regis tempore Huſſitarum Secta exorta. 84
VViclephi libri damnantur. 83. 246. *exuruntur.* 84. *eius libri Bohemiæ cladem inferunt,* 84. *eius libri ſeuerè probibentur à Martino V.* 87. *damnantur à Ioanne XXIII.* 247
VViſigothorum lex in Iudæos de libris probibitis. 89
VVittebergæ etiamnum Ius Canonicum legitur. 163
VVittebergenſes Lutheri libros mutilant. 340

Z

ZAcharias Pontif. lib. Adelberti comburendos edicit. 77
Zuinglii pro ſuis ſuorumque libris preces. Præfat.
Zuinglianorum libri à Lutheranis proſcribuntur. Præfat. eorum libros iure probiberi probat Schluſſelb. Præfat. med.

Errata ſic corrigantur:

NEc cauea, præfat. initio ſtatim. Pindaricæ, folio 3. verſu 30. mereatur, f. 7. v. 12. tam certa, & refutatu, f. 10. v. 2. informari, f. 15 v. 8. Aſtronomi, f. 35, v. 9. à fine. tulerunt, f. 47. v. 16. continentes, f. 53. v. 8. & 9. cap. XI, f. 58. quædam, f. 60. v. 7. Georgius, f. 64. v. 8. corruptibilia, f. 66, v. 11, notarii, f. 67. v. 1. ſcribunt, f. 69. v. 8, continentur, f. 85. v. 30. quæ res, ibid. v. 18. Non, f. 111. v. 21. ille, f. 122. v. 16. Huttenus, f. 149. v. 14. Nefariis, f. 172. v, 28, ſpurcitie, f. 181. v. 13. Martialis, f. 190. v. 3. à fin. peccabitis, f. 149. v. 19. peragantur, f. 167. v. 10. πόπ φύσεις, f. 203. v. 2. lapſus, f. 215. v. 9. refellere, f. 224. v. 20. tabidi, f. 225. 8. à fine. inquit. f. 235. v. 9. poſſeſſoribus, ibid. v. 22. tam græcus quàm, 240. v. 20, φλοίακας, ibidem. Mameranus, f. 290. v. 11. ſpongia elui, f. 326. v. 15. ſeu magnam, f. 329. v. 13. diſertis, f. 332. v. 13. Patrum, f. 333. v. 9. à fine. logengeiſt / fol. 341. v. 7. imperitum, fol. 378, verſ. vltim.

FINIS.

ANT 1741214

3630

C 39.

Digitized by Google